


18

BIBLIOTECA

DEL

PRESBÍTERO

Gabriel López García





R-4203

NATALIS ALEXANDRI

ORDINIS PRÆDICATORUM
THEOLOGIA DOGMATICA,
ET MORALIS.

IN EPITOMEN REDACTA
A FR. SALVATORE MARIA ROSELLI
S. THEOL. MAGISTRO EJUSDEM ORDINIS.
TOMUS TERTIUS.

EDITIO PRIMA VENETA.



V E N E T I I S ,

Supt. HEREDIS NICOLAI PEZZANA,

1786

M D C C L X X X V I .

SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO,

NM 440
R. 589

21 APRIL
JANUARY
GOMBERG
SERVIRIS LIBERATIONIS
THEOLOGIA & MORALITATIS
ET MORALITATIS
IN PRACTICAE REDUCENDA
A LI SANCTA MARIA ROBERTI
SALVATORIS MEDIATORIS OFICIA
TOMUS TERTIUS.
ADDITIONES ET VARIATIONES
ADDITIONES ET VARIATIONES



VENITIUS
HERBESCHICKELI GERMANY
MDCCXLVI



L I B E R III.

DE PECCATIS, ET VIRTUTIBUS.

P A R S I.

D E P E C C A T I S.

CUM Pœnitentiæ Sacramentum ministrari, ut par est, minime possit, nisi Confessariis perspectæ sint natura, & qualitates peccatorum; in iis præsertim explicandis Theologia Moralis versatur, cuius institutum sequemur.

T R A C T A T U S I.

De Peccatis in genere.

C A P U T I.

De Peccati definitione, & divisione.

PEcctatum in genere est *Dei offensa, seu injuria Deo irrogata.* Dividitur in originale, & actuale; in mortale, & veniale; in peccatum commissionis, & omissionis; in spirituale, & carnale; in

A 2 pec-

peccatum in Deum, in seipsum, & in proximum; in peccatum ex ignorantia, ex infirmitate, vel ex malitia; denique in septem vitia capitalia, & in peccata in Spiritum Sanctum.

ARTICULUS I.

De Peccato Originali.

Q. 1. Quid sit peccatum originale?

R. Est privatio iustitiae originalis per communem originem, seu propagationem, in omnes homines ab uno homine, scilicet Adamo totius humani generis capite, ac primo parente derivata. Dicitur privatio, quia mali nulla est natura, ut ait S. Leo (*a*); idque ipsi cum peccato actuali commune est. Dicitur privatio iustitiae originalis, in quo differt ab aliis peccatis. Erat autem iustitia originalis donum eximium, complectens gratiam, virtutesque omnes, primo homini in sua origine infusam, quo mens Deo, vires inferiores rationi, corpus animae subdebat, itaut nulla perturbatio, nulla concupiscentia insurgeret. Hoc donum non sibi uni, sed omnibus hominibus Adam a Deo accepit, qui in eo velut omnium capite omnium voluntates constituit; ideoque in peccatum lapsus Adam, non sibi soli, sed posteris omnibus illud amisit.

Q. 2. An de fide sit, peccatum originale in omnes homines transfundi?

R. Affirmative ex verbis Apostoli (*b*): *Si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt. Et pro omnibus mortuus est Christus.* Transfunditur autem peccatum originale, non imitatione, ut Pelagiani contendebant, sed propagatione; ait enim idem Apostolus

(*a*) Epist. 15. alias 15. ad Turribium cap. 6.

(*b*) 2. Corinth. 5.

LIBER III.

stolus (a) : *Eramus natura* (hoc est nativitate) filii
iræ , sicut & ceteri . Et quamvis humana ratione
comprehendi non possit , quomodo parentes baptiza-
ti peccatum originale eis remissum , in filios trans-
fundant ; tamen hæc transfusio utcumque explicari
potest : nam sicut si flos in loco fœtido seratur ,
utut natura pulcher , vitium quoddam inde contra-
hit ; sic anima a Deo creatur , corporique infundi-
tur pura , sed ut primum infusa est , in corpore
tamquam in vitiato vase corruptitur , cum fiat pars
hominis ex Adamo progeniti , in quo velut in ca-
pite tota natura humana vitiata est .

Q. 3. Qui sunt effectus peccati originalis?

R. Per peccatum originale homo exceptit quatuor vulnera, scilicet ignorantiae in mente, unde falsa pro veris facile approbat; malitiæ in voluntate, idest propensionis ad malum; infirmitatis, & concupiscentiae in appetitu sensitivo, quibus difficultatem experitur vitandi peccatum, & operandi bonum, & inordinationem sentientis appetitus, qua repugnat legi mentis. Hæc vulnera Sanct. Augustinus (*b*) exprimit duobus verbis, ignorantiae scilicet, ac difficultatis. Quamvis autem per Baptismum deleatur labes originalis, manet tamen concupiscentia ad agonem (*c*).

Ex peccato originali sequuta est etiam moriendo necessitas: item privatus fuit homo naturali simul, & supernaturali beatitudine; unde parvuli cum solo originali decedentes, utraque beatitudine privantur; & licet in damnatione omnium levissima erunt, ut docet S. Augustinus (*d*), erunt tamen mi-

(a) Ephes. 7.

(b) Lib. 3. de lib. arbit. c. 18.

(a) *Concupiscentiam manere ad*

agonem, definitum est in Concilio

lio Trid. sess. 5. can. 5.

(d) Enchir. c. 93.

6 DE PECCATIS IN GENERE

seri, æternumque damnati, ac sub diaboli potestate, in ejus domo, & atrio perpetuo manebunt (a).

AR-

(a) S. Thomas qu. 5. de malo agens de parvulis decedentibus sine Baptismo, in art. 2. statuit, parvulos illos nulla affici pena sensus, quia poena sensus non debetur, nisi peccato aequali, cum respondeat conversioni ad commutabile bonum, qua non reperitur in peccato originali. Art. 3. docet, eosdem pueros cum solo originali decedentes, nullam afflictionem pati interioris doloris ex carentia divinæ visionis; quia cum beatitudo supernaturalis sit supra cognitionem naturalem, & sola fide cognoscatur, animæ illorum puerorum se illa privari non cognoscunt; adeoque nec dolent, cum dolor sequatur cognitionem; sed quod obtinent per naturam, absque dolore possident.

Quas quidem sententias ab Ecclesiæ Patribus traditas S. Thomas accepit, præsertim ab utroque Gregorio Nazianzeno, ac Nysseno. Ac Nazianzenus quidem, cuius auctoritatem adversus Pelagianos S. Augustinus agens de peccato originali, urget l. 1. con. Jul. Pelag. cap. 5., & l. 2. c. 3., & l. 6. c. 23., atque in illo omnium Orientalium Episcoporum auctoritatem agnosces, cit. cap. 5. l. 1. cor. Julian. n. 16. ait: *An tibi parva in anno Gregorio Episcoporum Orientalium videtur auctoritas?* Nazianzenus, inquam, Orat. 40. de Baptismo, ubi de parvulis sine eo decedentibus loquitur: *Futurum, inquit, existimo . . . ut postremi (scilicet parvuli) nec caelesti gloria, nec supplicis a justo Iudice afficiantur, ne pose qui, licet si-*

gnati fuerint, improbitate tamē carcent, atque hanc jacturam paſſi potius fuerint, quam fecerint. Neque enim quisquis dignus suppicio non est, protinus honorem quoque meretur: quemadmodum nec quisquis honore indignus est, statim etiam premnam promeretur. Nyssenus autem in eo, quem edidit de Infantibus, qui præmature abripiuntur, Tractatu, pluribus ostendit eorum parvulorum a tristitia immitatem, illdemque ferē, quibus Thomas, rationibus utitur, ac denique concludit: *Immatura mors infantium neque in doloribus, ac mortitia esse eum, qui sic vivere desit, intelligendum esse nobis suggestit; neque in pari ipsum conditione, ac sorte versari cum iis, qui per omnia virtutem in hac vita purgati sunt.* Mitto, ne longior sim, Athenagoram lib. de resurrect. mortuorum num. 14., S. Ambrosium lib. 2. de Abrah. c. 11. nu. 84., Nicetam in laudatam Nazianzeni Orat. n. 21., Severum Antiochenum Catena in Joan. ad cap. 3. v. 3., Auctorem Questionum ad ad Orthodoxos qu. 12. & 56. in Append. Opp. S. Justini; Autorem Questionum ad Antiochum q. 115. Tom. 3. S. Athanasii. Ex quibus plane constat, quam sit vehementer hallucinatus nuperus quidam Anonymus Scriptor Gallus, novitatem harum opinionum Magistro Sententiarum adscribens, quam nemo ante duodecimum Ecclesia seculum extiterit, cui illæ probata fuerint.

Quod autem de mitissima illorum parvulorum pena S. Augustinus

ARTICULUS II.

De peccato actuali, mortali, & veniali.

Q. I. **Q**uid sit peccatum actuale?

R. Peccatum actuale, quod proprio a-
ctu, ac propria voluntate committitur, definitur ex

A 4

S. Au-

stius docet, ita interpretatur S. Thomas q. cit. de malo ar. 1. ad 3. Per hunc modum dicitur esse *mitissima omnium panarum sola carentia visionis divinae, in quantum visio divina essentia est quoddam bonum omnino supernaturale*. Idem Angelicus ib. ar. 2. ad 1. explicans auctoritates quorundam Patrum, qui ajunt, pueros illos tormentis, suppliciis, gehennæ, & cruciatibus addicendos: *Nomen, inquit, tormenti, supplicii, gehenna, & cruciatus, vel si quid simile in dictis Sanctorum inventari, est large accipendum pro pena, ut ponatur species pro genere*. Ideo autem Sancti tali modo loquendis sunt, ut detestabilem redderent errorem Pelagianorum, qui afferabant, in parvulis nullum peccatum esse, nec eis aliquam penam deberi. Ne vero quis ad arbitrium consilatam responsum putet, adeundus est S. Augustinus q. 9. in Josue scribens: *Ignis nomine penam potuisse significari, Scriptura testis est in Deuteronomio, ubi dicitur ad filios Israel: Et eduxit vos de forna ferrea ex Aegypto: ubi utique duram tribulationem intelligi voleuit*. Et quoniam qui oppositam tueruntur opinionem, magnum in ejusdem Augustini sententiis praesidium ponunt, paucis expenden- da est Augustini mens. Itaque Augustinus licet nonnullis in locis affirmet, parvulos illos, cum

futuri non sint in Regno Dei, in igne eterno futuros esse, nec ullum dari medium locum; sic tamen loquitur, ut Pelagianorum excludat errorem, qui parvulos sine Baptismo decedentes, affirmabant quidem, non habiuros partem in Regno Cœlorum cum Christo, habituros tanien vitam eternam alibi. Ceterum dem Augustinus I. 3. de lib. arbit. c. 23. de iisdem parvulis ait, *sane superfluo quarti de meritis ejus, quæ nihil meruerit. Non enim meruendum est, ne vita est potuerit media quedam inter recte factum, atque peccatum, & sententia Iudicis media esse non possit inter primum, atque superfluum*. Et epist. 166. al. 28 ad Hieron. c. 6. *Cum ad penas ventum est parvorum, magnis, mihi credo, carcer angustiis, nec quid respondeam prorsus invenerio. Quæ verba ostendunt, Augustinum angustum fuisse de qualitate penarum, quibus parvuli illi afficerentur. Fatemur tamen, eos absolute damnatos esse, hoc est, vita eterna, & omni beatitudine etiam naturali perpetuo privatos. Quo sensu intelligendum est Concilium Africæ universæ, cum de parvulis loquens: Quis Catholicus, inquit, dubitet, lparticipem fieri diaboli, qui cohaeres esse non meruit Christi? Qui enim dextera caret, sinistram procul dubio partem incurrit.*

3 DE PECCATIS IN GENERE

S. Augustinus (a): *Est factum, vel dictum, vel concupitum aliquid contra æternam legem.* Cum dicitur *factum, dictum, vel concupitum* designatur materia peccati, quæ est vel opus externum, vel verba, vel internus animi motus. Dum additur *contra legem æternam*, designatur peccati deformitas, quæ est defectio a lege Dei. *Lex æterna est ratio divina, vel voluntas Dei, ordinem naturalem conservari jubens, perturbari vetans*, ut ait S. Augustinus (b). Ordo naturalis in eo positus est, *ut homo subdat sibi, quod habet commune cum bestiis; subdat Deo, quod habet commune cum Angelis*, ut ait idem S. Augustinus (c). Quoties ergo pervertitur hic ordo, quod fit, cum homo transgreditur divina mandata, toties peccatum committitur.

Q. 2. Quid sit peccatum mortale? quid veniale?

R. Peccatum mortale est *aversio a Deo tamquam ab ultimo fine, & conversio ad creaturam; seu adhaesio creaturæ tamquam ultimo fini.* Quod tunc fit, cum homo creaturis fruatur, quibus uti dumtaxat debet, hoc est illis inhæret propter seipfas (d).

Peccatum veniale est *inordinatus creaturarum affectus, servato ordine finis ultimi;* cum scilicet homo, servato ordine ad finem ultimum, perturbat ordinem eorum, quibus utendum est ad finem obtinendum; seu rebus creatis plus afficitur, quam par sit, in eisque nimium hæret, sic tamen comparatus est, *ut creaturam Deo præponere nolit, & in ea velut in ultimo fine quiescere.*

Differt ergo peccatum mortale a veniali, 1. quod peccatum mortale evertit ordinem hominis ad Deum ut ad finem ultimum; seu conjunctionem hominis cum Deo ut fine ultimo, quod fit per charitatem: veniale

(a) Lib. 22. contr. Faustum cap. 27.

(b) Ibidem. (c) Ibid. cap. 28.

(d) Vide S. August, l. 1. de Doctr. Christ. c. 3. &c 4.

veniale autem hunc ordinem non evertit, ideoque charitatem non extinguit. Hinc peccatum mortale dicitur esse *contra legem*, veniale *præter legem*; non quia veniale non prohibetur lege divina, sed quia non ita legi repugnat, ut finem ejus evertat, quamquam ab ordine legis in aliquo recedat. 2. Quod peccatum mortale est irreparabile, habita ratione non divinæ misericordiæ, quæ potest hominem reparare, sed status, in quo peccatorem constituit, in eo penitus extinguendo principium vitæ spirituallis (a). At peccatum veniale propter oppositam rationem est reparabile. 3. Quod peccatum mortale subdit hominem pœnæ æternæ: veniale autem pœnæ dumtaxat temporali.

Q. 3. An peccatum veniale a mortali suapte natura distinguiatur?

R. Nullum esse peccatum *ex natura sua veniale*, sed omne peccatum mereri pœnam æternam, vigesimus est inter articulos Michaelis Baji a S. Pio V., & Gregorio XIII. damnatos. Baji adsertio Scripturæ Sacrae, & Traditioni adversatur, quibus ostenditur intrinsecum venialis, mortalisque peccati discrimen. Nam Matth. 7, quædam peccata comparantur *festucæ*, quædam *trabi*. Et 1. Cor. 3. quædam *ligno*, *fano*, *stipulae*, quæ facile absumuntur; ut significetur, illa facile remitti, quia super fundamentum superstruuntur, idest committuntur, manente charitate in anima: unde subditur de eorum auctore: *Ipse autem salvus erit, sic autem quasi per ignem*; cum e *contra* de illis qui graviora committunt, ibidem dicatur: *Si quis templum Dei violaverit, disperdet illum Deus*. Id ipsum

(a) Loquitur hic Natalis de vita gratia sanctificantis; cum quo tamen sit, uti docet S. Thomas 3. P. q. 8. a. 3. ad 2, ut Catholici, qui mortaliter peccant, re-

cipient a Christo quemdam actum vita, qui est credere, sicut, si membrum mortificatum moveatur aliqualiter ab homine.

Id ipsum SS. Patres (*a*) perpetuo docent, qui si aliquando afferunt, omnia venialia simul congregata necare, non ita sunt intelligendi, ut peccata venialia etiam multiplicata necem animæ per se inferant; sed quia ad mortale peccatum disponunt. Si enim curare parva negligimus, insensibiliter seducti, audenter etiam majora perpetramus, inquit S. Gregorius (*b*).

Q. 4. Quomodo noscis, an aliquod peccatum sit mortale, vel veniale?

R. 1. Peccata, quæ in Scripturis dicuntur execranda, Deo exosa, excludere a Regno Dei, esse morte digna, aut quibus *væ* dicitur, mortalia sunt: quæ autem notantur, vel reprehenduntur mitioribus verbis, sunt venialia. *2.* Mortalia censeri debent peccata illa, quæ vel a SS. Patribus, vel a Theologis doctrina, & pietate insignibus unanimi consensu mortalia judicantur: venialia vero, quæ ab iisdem venialium loco habentur. Nam Patres in aliquo dogmate consentientes, testes sunt Traditionis, ideoque erroris convincitur, qui ab eis dissentit: Theologorum vero omnium, aut certe plurimorum, sancitorum, & doctiorum consensus, et si minoris sit ponderis, est tamen tanti momenti, ut ab iis dissentire absque temeritate nemo possit (*c*). *3.* Naturalis ratio plurimum conducit ad dijudicandum, quæ peccata sint mortalia, quæ venialia; lumine enim mentis dirigimur in agendis. Ne autem mens erret in ferendo judicio, has teneat regulas. *1.* Videat, an peccatum graviter laedat charitatem Dei, vel proximi: homo enim, ut S. Augustinus ait (*d*), est tanto plenior iniquitatis, quanto ina-

(*a*) Vide S. Hieron. in cap. 2. Jerem., S. Ambros. lib. 1. de Pa-
nit. cap. 10., S. August. Enchir. c. 64. & 71., & alibi.

(*b*) Lib. 10. Moral. c. 9. (*c*) Vide Clement. de Summa Trin. §. 3.

(*d*) Epist. 167. al. 29. n. 17.

inanior charitatis. 2. Expendat materiæ gravitatem, vel parvitatem. 3. An peccatum ex genere sit mortale, vel veniale. 4. Ponderet verba legis, aut præcepti, an severe præcipiant; an gravem poenam statuant in transgressores; an legislatoris, aut præcipientis intentio fuerit, graviter obligandi in hoc, vel illo casu. Sic mortalis censetur violatio præcepti Ecclesiastici, cui adjuncta est Censura. 5. An peccatum sit commissum cum plena deliberatione, vel secus.

Quod si nihilominus conscientiæ Moderatores certo judicare non possint, an aliqua peccata sint mortalia, judicium suum debent suspendere, nec statim audacter dicere, hoc mortale, illud veniale est. Nam, ut docet S. Thomas (*a*): *Omnis questio, in qua de mortali peccato queritur, nisi expresse veritas habeatur, periculose determinatur; quia error, quo non creditur esse peccatum mortale, quod est peccatum mortale, conscientiam non excusat a toto, licet forte a tanto: error vero, quo creditur esse mortale, quod non est mortale, ex conscientia ligat ad peccatum mortale. Præcipue autem periculosum est, ubi veritas ambigua est.* Ad hanc autem ambiguitatem tollendam non est habenda ratio consuetudinis, nisi in iis tantum casibus, in quibus præscriptio legis dari potest, & iam legitime facta est. Nam, ut ait S. Augustinus (*b*)

Peccata, quamvis magna, & horrenda, cum in consuetudinem venerint, aut parva, aut nulla esse creduntur; usque adeo, ut non solum non occultanda, verum etiam prædicanda, ac diffamanda videantur. “

Q. 5. An peccatum veniale ex genere fieri possit mortale, & econtra?

R. Peccatum mortale ex genere, sive ex objecto, dici-

(*a*) *Quodlib. 9. art. 15.* (*b*) *Enchir. cap. 20.*

12 DE PÉCCATIS IN GENERE

dicitur illud, cuius objectum secundum se repugnat charitati Dei, vel proximi. Quod vero charitati Dei, vel proximi non ita repugnat, dicitur veniale ex genere. Tria enim genera peccatorum venialium distinguntur: quædam sunt venalia ex genere, quæ scilicet secundum se habent pro objecto rem levem, ut risus solutior: quædam sunt venalia ex levitate materiæ, seu quæ essent mortalia, nisi materia foret parva, ut levis detractio: quædam sunt venalia ex imperfectione actus non satis plene deliberati, ut motus repentini circa objectum mortali pravum (*a*).

Itaque peccatum veniale ex genere fieri potest mortale, 1. si in ipso constituatur ultimus finis. 2. Si referatur ad aliquid, quod est peccatum mortale, ut si verbum otiosum ordinetur ad commitendum adulterium (*b*).

Econtra peccatum mortale ex genere fieri potest veniale, 1. ex levitate materiæ. Attamen in materia infidelitatis, & impudicitiae non datur levitas materiæ (*c*). 2. Ex imperfecta deliberatione, sicut in semidormientibus, seu non plene a somno excitatis accedit, ac interdictum etiam in vigilantibus, dum ex improviso moventur ad infidelitatem, ad odium, &c. nam *primus motus sensualitatis non habet quod sit peccatum*, nisi in quantum *judicio rationis reprimi potest*, ut docet S. Thomas (*d*). Igitur si motus illicitus est in sensualitate, & ratio ei resistit, nullum est peccatum, sed meritum: si ratio illum

im-

(*a*) S. Thom. 1. 2. q. 88. a. 2.

(*b*) Ibid. art. 4.

(*c*) Plura alia sunt peccata, quæ non admittunt materiæ parvitudinem, ut desperatio, odium Dei, blasphemia, perjurium, simonia,

uno verbo omnia peccata, in quibus in ipsa etiam levitate materiæ reperitur *integra irreverentia Divinæ Majestatis*, & *gravis læsio charitatis Dei*, vel proximi.

(*d*) Idem 2. 2. q. 154. a. 5.

imperat, & ex proposito excitat, est peccatum mortale, quoties motus illicitus est in genere peccati mortalis: denique si ratio se habeat ut neque prohibens, neque imperans, seu consentiens, tunc est peccatum veniale, si non adsit probabile periculum consensus, nec ratio plene advertat (a). Si autem ratio attendit pravum motum, vel appetitum, nec positive ipsi resistit, sed quasi negative se habet, consentire censenda est. *Antequam ratio*, ait S. Thomas (b), *delectationem perpendat, vel nocumentum ipsum, non habet interpretativum consensum, etiam si non resistat*. Sed quando jam perpendit ratio de delectatione insurgente, & de nocumento consequente, utpote cum percipit homo, se totaliter per hujusmodi delectationem in peccatum inclinari, & in praeceps ruere, nisi expresse resistat, videtur consentire.

Q. 6. An circumstantia possit transferre peccatum veniale ex genere in mortale?

R. Negative, si circumstantia maneat in ordine circumstantiarum (c): cum enim circumstantia sit accidens actus humani, ipsum trahere non potest ad aliud genus, quamdiu circumstantia manet: si tamen transferat actum ad aliam speciem, quia tunc fit quodammodo differentia specifica actus moralis, potest id, quod est veniale ex genere, fieri mortale ratione circumstan-

(a) S. Thom. q. 7. de Malo a. 6, ad 6.

(b) Q. 15. de Veritate a. 4. ad 10.

(c) Circumstantia ex D. Thoma I. 2. q. 18. a. 10. aliae sunt materia circumstantia, quae non dant speciem; aliae, quae mutantur in principalem conditionem objecti: quod tunc est, cum aliqua circumstantia respicit specialem ordinem rationis, vel pro, vel

contra. Itaque nisi circumstantia adjuncta peccato veniali afferat deformatitatem alterius generis, seu importet deordinationem respectu ultimi finis, non potest facere de veniali mortale. Hanc autem deordinationem importat, si aggravet in infinitum ex gravitate materiae, vel si pariat periculum proximum peccandi mortaliter.

stantiae (a). Quare nec diuturnitas actus moralis, nec ejus frequentia, vel assiduitas sunt circumstantiae trahentes ad aliud peccati genus, nisi forte superveniat aliquid, quod variet speciem, ut inobedientia, vel contemptus &c. (b).

ARTICULUS III.

De reliquis peccatorum divisionibus.

Q. I. **Q**uid sit peccatum commissionis? quid peccatum omissionis?

R. Peccatum commissionis est actio prava, qua homo facit id, quod lex prohibet, ut cum occidit. Peccatum omissionis est praetermissio boni, quod lex præcipit, ut cum aliena non restituuntur. Illud est contra præcepta negantia, istud contra affirmantia. Negantia præcepta sunt, quæ malum prohibent, ut *non occides*. Affirmantia sunt illa, quæ bonum præcipiunt, ut *Dum coles*. Illa obligant semper, & pro semper: ista obligant semper, sed non pro semper. Et ideo, inquit S. Thomas (c), *solum pro tempore illo aliquis cessando ab actu peccat, pro quo præceptum affirmativum obligat*. Si tamen adsit tempus implendi præceptum, & desit facultas, v. g. si quis ob infirmitatem non intersit Missæ die festo, omissione non est peccatum. Idem dicendum, si omissione sit omnino involuntaria, tam in se, quam in sua causa. Si vero in se quidem sit involuntaria, sed tamen volita sit in sua causa, v. gr. si quis operi elicito vacans non cogitet de præcepto implendo, reus est omissionis; ita enim peccatum redditur voluntarium ex voluntate præcedentis actus: diminuitur autem, quia diminuitur ratio voluntarii (d).

Hinc

(a) S. Thom. I. 2. q. 88. art. 5. (b) Ibid.

(c) I. 2. q. 71. ar. 5. ad 3. (d) 2. 2. q. 150. ar. 4.

Hinc peccat, qui sua culpa destitutus usi rationis, vel facit quod non licet, vel non facit quod debet, si id præviderit, aut prævidere debuerit.

Q. 2. Qua ratione peccata spiritualia differant a carnalibus?

R. Differunt ratione objecti, a quo peccata speciem habent. Spiritualia sunt ea peccata, quæ perficiuntur in delectatione spirituali, ut superbia. Carnalia sunt, quæ perficiuntur in delectatione carnali, ut luxuria. Septem capitalium vitiorum duo tantum sunt carnalia, luxuria, & gula, cætera sunt spiritualia, ut docet S. Gregorius (*a*).

Q. 3. Unde oriatur divisio peccatorum in Deum, in seipsum, & in proximum?

R. Oritur ex parte eorum, in quos peccatur: nam peccatum est defectio ab ordine: triplex autem ordo in homine esse debet, scilicet ad Deum, ad seipsum, & ad proximum. Etsi autem omnia peccata generali ratione sint contra Deum, illa tamen dicuntur proprio contra Deum, quæ directe, & immediate sunt contra ejus Majestatem; aut sunt defectus ab ordine rationis supernaturalis, quo homo speciatim ordinatur in Deum; sive in his, quæ soli Deo debentur: hujusmodi sunt odium Dei, hæresis, idolatria, & generaliter omnia peccata, quæ repugnant virtutibus Theologicis, Religioni, & Pœnitentiæ. Peccata contra nos ipsos sunt illa, quibus violatur ordo rationis, quem unusquisque servare debet erga seipsum, ut ebrietas. Peccata in proximum ea sunt, quibus violatur ordo rationis servandus erga cæteros homines, sive sunt superiores, sive æquales, sive inferiores, sive conjuncti, sive alieni, sive domestici, sive extranei, ut furtum, homicidium &c. Ab hoc triplici peccatorum genere Apostolus

(*a*) Lib. 31. Moral. cap. 17.

16 . DE PECCATIS IN GENERE

stolus hortatur , ut abstineamus , cum ait (*a*) : *Sobrie , & juste , & pie vivamus in hoc saeculo.*

Q. 4. Quo ex capite distinguuntur peccata cordis , oris , & operis?

R. Accipitur hæc distinctio ex diversitate gradus intra eamdem speciem . Primus gradus est in corde , in quo peccatum inchoatur . Alter est in ore , quia homo facile prorumpit ad manifestandum conceptum cordis . Tertius est in consummatione operis (*b*) . Peccatum cordis tribus gradibus perficitur , suggestione , delectatione , consensu . Et si consensio facta fuerit , plenum peccatum erit , inquit S. Augustinus (*c*) .

Q. 5. Qua ratione differant peccata ex ignorantia , ex infirmitate , & ex malitia ?

R. Differunt ratione causarum interiorum , ignorantiae scilicet ex parte intellectus , cupiditatis ex parte appetitus sensitivi , & malitiae ex parte voluntatis . De his causis opportunius dicemus infra . Nunc quoniam peccata in Spiritum Sanctum sunt ex certa malitia ; ideo

Q. 6. Quid , & quotuplex sit peccatum in Spiritum Sanctum ?

R. Peccatum in Spiritum Sanctum Patres antiqui diversimode intelligunt . Quidam (*d*) dicunt , esse blasphemiam proprie dictam , qua opera divinæ bonitatis , ex destinata malitia diabolo tribuuntur , ut Pharisæi fecerunt . S. Augustinus docet (*e*) , peccatum in Spiritum Sanctum esse impenitentiam finalē , quæ numquam remittitur . Alii arbitrantur , peccatum ex certa malitia esse in Spiritum Sanctum . *Quod quidem* , inquit S. Thomas (*f*) . *contingit dupl. citer .*

(*a*) Ad Tit. 2. (*b*) S. Thom. 1. 2. q. 72. art. 7.

(*c*) L. 1. de serm. Dom. in monte , c. 12.

(*d*) Vide SS. Athanaf. , Chrysost. , & Ambros. in c. 12. Matth.

(*e*) Serm. 84. de verb. Evan. al. 11. de verb. Apost. n. 20.

(*f*) 2. 2. qu. 14. art. 1.

citer. Uno modo ex inclinatione habitus vitiosi, qui malitia dicitur, & sic non est idem peccare ex malitia, quod peccare in Spiritum Sanctum. Alio modo contingit ex eo, quod per contemptum abjicitur, & removetur id, quod electionem peccati poterat impedire, sicut spes per desperationem, & timor per præsumptionem... Hæc autem omnia, quæ peccati electionem impediunt, sunt effectus Spiritus Sancti in nobis. Et ideo sic ex malitia peccare, est peccare in Spiritum Sanctum.

Si postremo hoc modo peccatum in Spiritum Sanctum accipiatur, dividitur in sex species. 1. Est desperatio, vel impetrandæ a Deo veniæ, vel salutis consequendæ. 2. Est præsumptio de misericordia Dei, vel de impunitate peccati, dum aliquis præsumit, se gloriam posse adipisci sine meritis, aut veniam sine poenitentia. 3. Est agnitæ veritatis impugnatio, cum quis agnitam fidei veritatem impugnat, ut liberius peccet. 4. Est invidentia fraternalæ gratiæ, cum quis non solum invidet personæ fratris, verum etiam gratiæ Dei crescenti in mundo. 5. Est impenitentia, non prout dicit permanentiam in peccato usque ad mortem, quia sic non est speciale peccatum, sed peccati circumstantia; sed quantum importat propositum non poenitendi. 6. Est obstinatio, cum scilicet homo obfirmato plane animo in peccatis perseverat, nec ullis admonitionibus, increpationibus, aut Dei flagellis a peccatis deflecti patitur; cum in peccatis gloriatur, eaque contemnit, ac Doctores, & Prædicatores audire non vult.

C A P U T II.

De distinctione Peccatorum.

Q. 1. **U**Nde sumatur unitas, & distinctio specifica peccatorum?

R. Sumitur ex objecto: nam, ut docet S. Thomas (*a*), peccata specie distinguuntur ex parte alium voluntariorum.... actus autem voluntarii distinguuntur specie secundum objecta. Objecta debent esse specie diversa moraliter: hujusmodi vero sunt, cum speciale habent, & distinctam repugnantiam cum lege æterna, & recta ratione. Porro hanc repugniam habent objecta cum lege, & ratione.

1. Quoties objecta sunt opposita diversis virtutibus: nam sicut diversæ virtutes diversam habent bonitatem, ita objecta illis opposita diversam habent malitiam. Cum ergo plura præcepta transferunt actum præceptum ad virtutes specie diversas, peccata illis opposita, sunt diversæ speciei. Hinc adulterium a Religioso patratum, malitiam habet triplicis peccati specie distincti, scilicet luxuriæ contra castitatem, injustitiæ contra justitiam, & sacrilegii contra Religionem.

2. Quoties objecta opponuntur quidem eidem virtuti, sed non sub una, eademque ratione. Sic furtum, contumelia, detraçcio &c. sunt peccata specie diversa, quia licet opponantur eidem virtuti justitiæ, ipsi tamen repugnat diversis modis, qui speciale diffinitatem habent cum lege, & ratione. Quocirca si plura præcipiant sub una, & eadem ratione, eorum violatio est unum specie peccatum. Sic violatio

(a) 1. 2. q. 72. art. 1.

latio jejunii die Quadragesimali, in quo Vigilia occurrat, est unum specie peccatum, quia licet præceptum sit duplex, jubetur tamen eadem res sub eadem ratione.

3. Quoties objecta sunt opposita præceptis diversis ex parte motivi intrinseci præcipientis; quia cum motiva intrinseca sint diversa, objecta iis opposita specialem habent malitiam. Hinc frangens jejunium die ab Ecclesia, & a Confessario præscripta, committit duplex specie peccatum, quia præceptum Ecclesiæ est ob motivum temperantiae, præceptum vero Confessatii est ex motivo penitentiae.

Ex quibus infertur, unum, eundemque physice actum posse multiplicis speciei malitiam continere.

Q. 2. Unde sumatur distinctio numerica peccatorum?

R. Quemadmodum peccata specie distinguuntur ex objectis specie diversis, ita distinguuntur numero ex objectis numero moraliter distinctis. Consentur autem objecta numero moraliter distinguiri, cum moraliter non se habent ad modum unius, sive quia unum non est pars alterius, sive quia omnia unum aliquod totum ut partes non consti-
tuunt, sive quia non ordinantur ad eundem finem, idemque opus consummandum. Sic trium peccatorum reus est, qui uno actu tres homines odiit; aut non vult audire Sacrum tribus diebus festis; vel non jejunare tribus diebus Quadragesimæ. Similiter qui totam familiam vult extingue-
re, tot homicidiorum reus est, quot personas fa-
milia complectitur. Econtra, quia multæ partes unam domum, multæ oves unum gregem, variæ species pecuniæ unam summam constituunt; qui circa hæc peccaverit, committit unum numero pec-
catum, & in Confessione solum exprimere tenetur

tur damni illati quantitatem, & pretium gregis, vel pecuniæ.

Distinctio numerica peccatorum desumitur etiam ex interruptione morali actuum voluntatis; nam, ut ait S. Thomas (*a*), secundum unitatem voluntatis est sumendum judicium de unitate ejus, quod in genere moris dicitur. Actus autem voluntatis censentur moraliter interrumpi, cum nec in se, nec virtualiter perseverant: quod contingit 1. cum per actum contrarium expresse retractantur. Hinc si quis morose delectetur, & postea eam delectationem retractans, post modicum tempus iterum morose delectetur, duplex peccatum committit. 2. Per cessationem voluntariam ab actu voluntatis: ut si quis post morosam delectationem, ad alia cogitanda, vel agenda voluntarie se convertat, & rursus morose delectetur. 3. Si inter unum, & alterum actum tantum temporis intercesserit, aut impedimentum tale, ut nullam invicem connexionem, vel ordinem prudentis iudicio habere censeantur, actus moraliter interrumptur, sive cessatio a priori actu fuerit voluntaria, sive non. Quare si quis morosam delectationem animo gerens, somno corripiatur, excitatus vero eamdem delectationem concipiatur, duo peccata committit. At contra, qui mane ad occidendum inimicum profectus, saepe in itinere eam voluntatem iterat, nunc de concepto peccato, nunc de aliis rebus cogitans, unum numero peccatum committit (*b*),
quia

(*a*) In 2. d. 42. q. 2. ar. 1.

(*b*) Cum peccata cordis alia sint, que interius consumantur, nec opus externum respiciunt, ut sunt peccata odii, inuidiae; iudicij temerarii &c. alia, que respiciunt agus exteriores, ut

voluntas furandi, fornicandi &c. communior sententia docet, priora illa peccata cordis numero multiplicari per temporum morulas interruptas, seu per cessationem ab actu etiam involuntariam: nam quoties actus illi iteratur

quia prima voluntas virtualiter perseverat in actione itinerandi eo fine suscepta. Similiter qui ut possit cum muliere fornicari, ipsam tangit, osculatur, amplectitur, & tandem fornicatur, unum numero peccatum committit, quia actus illi fuerunt ad copulam ordinati, & cum ea connexi, ad eamque proxime disponuerunt: unde necesse non est illos in Confessione exprimere, sed sufficit peccatum fornicationis confiteri. Alia est ratio de verbis obscenis, osculis, tactibus &c. fornicationem subsequitis: haec enim ceu novae fornicationis inchoationes, sunt peccatum numero distinctum a praecedenti fornicatione.

Q. An actus interiores, & exteriores constituant peccata numero distincta?

R. Si voluntas peccati cum actu externo conjungatur, est unum numero peccatum, quia malitia ex actu interiori in exteriorem refunditur. At si actus interior ab exteriori sejungatur, sunt duo numero peccata, quia dum expletur actus exterior, multiplicatur actus interior voluntatis (*a*).

C A P U T III.

*De pertinentibus ad cognoscendam malitiam
humanorum actuum.*

Q. I. **A** Quo procedat consensus in actum peccati?

R. Procedit a ratione superiori deliberante, & ju-

B 3 dican-

rantur post cessationem etiam involuntariam, toties perfecte consummantur. De reliquis tenenda est regula Natalis, qua^e est S. Thomae loco cit. Ad primum vero quod attinet, si Poenitens non recordetur, quoties perversam voluntatem renovaverit, interrogandus est a Confessario, quot

dies, vel hebdomadas, aut menses perseveraverit in prava illa voluntate, ut ex temporis diutinitate, ac repetitione plus minus parvissi propositi, Confessarius colligere possit statum Poenitentis.

(*a*) S. Thom. in 2. dist. 42. q. 2. art. 1.

22 DE PECCATIS IN GENERE

dicante, Nam, ut ait S. Thomas (*a*): *Hoc ipso, quod ratio superior non dirigit actus humanos secundum legem divinam, impediens actu peccati, dicitur ipsa consentire, sive cogitet de lege æterna, sive non, Cum prim cogitat de lege Dei, actu eam contemnit; cum vero non cogitat, eam negligit per modum omissionis cuiusdam.* Ratio ergo superior consensum præbens, semper mortaliter peccat, si actus inferiorum virium, quibus consensum præbet, sint peccata mortalia. Ratio superior est mens hominis, quatenus legi æternæ adhæret. Ratio inferior est eadem mens, quatenus ad temporalia gubernanda deflectitur.

Q. 2. An sola cogitatio, seu delectatio morosa de re prava, absque animo perficiendi opus externum, sit peccatum?

*R. Distinguenda est cum S. Thoma (*b*) delectatio ex cogitatione peccati & delectatione profecta ex ipso peccato cogitato, v. g. delectatio de cogitatione fornicationis a delectatione de ipsa fornicatione cogitata, „ Cogitatio ipsa secundum se, non est „ peccatum mortale, imo quandoque est veniale „ tantum, puta, cum quis inutiliter cogitat de ea: „ quandoque autem sine peccato omnino, puta, „ cum aliquis utiliter de ea cogitat, sicut cum vult „ de ea prædicare, vel disputare. Et ideo per con- „ sequens affectio, & delectatio, quæ sic est de co- „ gitatione fornicationis, non est de genere pecca- „ ti mortalis, sed quandoque est peccatum veniale, „ quandoque nullum: unde nec consensus in talem „ delectationem est peccatum mortale... Quod au- „ tem aliquis cogitans de fornicatione, delectetur „ de ipso actu cogitato, hoc contingit ex hoc, quod „ affectio ejus inclinata est in hunc actum. Unde „ quod aliquis consentiat in talem delectationem, „ hoc*

(*a*) *S. Thom.* 1. 2. q. 74. art. 7. ad 2. (*b*) *Ibid.* art. 8.

„ hoc nihil aliud est, quam quod ipse consentiat in
 „ hoc , quod affectus suus sit inclinatus in fornicationem : nullus enim delectatur , nisi in eo, quod
 „ est conforme appetitui ejus Unde talis consensus in delectationem peccati mortalis est peccatum mortale.“ Nisi ergo delectatio comprimatur , & prava cogitatio repellatur statim , atque ratio periculum animadvertisit , vel animadvertere potest , sola cogitatio morosa , & morosa delectatio (a) de re mortaliter gravi , ut cogitata , etiam sine animo perficiendi opus externum , est peccatum mortale pertinens ad eamdem peccati speciem , ad quam pertinet actus , de quo habetur delectatio ; idque siue peccatum , de quo quis delectatur , sit a se commissum , vel committendum , sive ab alio . Si autem quis delectetur tantum de modo actus peccati , v.g. de industria furis , talis delectatio non est per se peccatum mortale , quoties peccatum ipsum detestationi habetur .

Q. 3. An pecchet , qui delectatur cogitatione operis alioquin liciti?

R. Si habita ratione status praesentis , opus alicui est mortaliter illicitum , quamvis olim fuerit ipsi licitum , aut aliquando licitum erit , non potest absque peccato mortali delectari de cogitatione illius : nam delectatio sequitur opus : hoc autem in praesentia est illicitum , adeoque illicita & ipsa delectatio ; præsertim si hujusmodi cogitatio cogitantem exponat periculo peccati nunc committendi . Quamobrem sponsus , & sponsa opus conjugale futurum , viduus , & vidua opus conjugale præteritum mente

(a) Delectatio , inquit S. Thomas 1. 2. q. 74. a. 6. ad 3. , dicitur morosa , non ex mora temporis , sed ex eo , quod ratio liberans circa eam immoratur ,

nee tamen eam repellit , tenens , & volvens libenter , que statim ut attigerunt animum , respue deruerunt , ut August. dicit 12. de Trinit.

volventes , & de eo quasi præsente se delectantes ; mortaliter peccant maxime quia periculo pollutio-
nis se exponunt . Idem dicendum de marito , cuius
maritus absens est .

Q. 4. An liceat optare , ut aliquid non sit divina
lege prohibitum ?

R. Qui optant , ut ea , quæ sunt per se mala , non
sint prohibita a Deo , mortaliter peccant ; id enim
est velle ordinis , ac legis naturalis eversionem , quod
deterius est , quam naturæ legem solum violare .
Idem dicendum de illis , qui propositum habent perficiendi
opus externum sub iis conditionibus , quibus positis , opus adhuc esset peccatum mortale , v.
g. si Monachus dicat , fornicationem committerem ,
nisi essem professus : in ipsis enim viget affectus ad
peccatum mortale , quod per hujusmodi conditiones
minime excluditur .

Q. 5. An sola malitia intentionis sufficiat , ut volunta-
tas sit mala ?

R. Affirmative , quia quod malo fine agitur , malum est . Non ita est de bonitate intentionis : nam si actus sit per se malus , nullo modo bene fieri potest , adeoque bonitas voluntatis intendentis non sufficit ad bonitatem actus (a) . Quantum ergo mala est intentio , tantum mala est voluntas : in iis autem , quæ sunt per se mala , bona intentio peccatum non excusat ex toto , interdum tamen efficit peccatum levius in eodem genere . Nam , ut ait S. Augustinus (b) : *Gravius est avaritia , quam misericordia furtum facere & tamen gravius est adulterare misericordia , quam furari avaritia .*

Q. 6. An opera nostra mala sint , si ad Deum non referantur ?

R. Omne opus , quod virtuali saltem intentione
ad

(a) S. Thom. in 2. d. 40. qu. 1. art. 2.

(b) Lib. contra Mendacium c.

ad Deum non refertur, malum est (a). Hujus enim intentionis, & relationis omissione violatur præceptum charitatis, quo Deum ex toto corde diligere debemus. Hinc Apostolus 1. Corint. 10. ait: *Sive ergo manducatis, sive bibitis, sive aliquid facitis: omnia in gloriam Dei facite.* Quibus verbis non me-

rum

(a) Quomodo fiat hæc virtualis ordinatio, præclare exponitur a S. Thoma qu. 9. de spirit. creat. art. 11. ad 2. ubi postquam ait: *Quod omnia virtute referantur in Deum, hoc pertinet ad per- fessionem charitatis, ad quam omnes tenentur,* subdit. „ Ad cujus evidentiam consideran- dum est, quod sicut in causis efficientibus virtus prima cau- sa manet in omnibus causis sequentibus; ita etiam inten- tio principalis finis virtute manet in omnibus finibus secundariis: unde quicumque a- stu intendit aliquem finem secundarium, virtute intendit si- nem principalem; sicut medie- cus dum colligit herbas, actu intendit confidere potionem, nihil fortassis de sanitate co- gitans; & virtualiter tamē in- tendit sanitatem, propter quam potionem dat. Sic igitur cum aliquis seipsum ordinat ad Deum sicut in finem, in omnibus, quæ propter ipsum facit, ma- net virtute intentio ultimi fi- nis, qui Deus est: unde in omnibus mereri potest, si cha- ritatem habeat. Hoc igitur modo Apostolus præcipit, quod omnia in Dei gloriam referan- tur. “ Quoties ergo homo ex præcepto charitatis seipsum actu ordinat in Deum sicut in finem, in omnibus, quæ agit propter ipsum

Deum; tunc intentio ultimi finis di- citur virtute manere in actibus sub- sequentibus, qui proinde actus di- cuntur etiam virtute in Deum relati.

Quod si queras, quando te- neatur homo ex præcepto chari- tatis seipsum, omnisque actus suo in Deum referre tamquam in finem ultimum; responderet idem S. Thomas in 2. d. 40. a. 5. ad 6., ad id hominem tuhe te- neri, cum ex eodem præcepto charitatis teneretur elicere actum amoris Dei. Si queratur (in- quir) quando oporteat ad eum re- ferre in finem ultimum, hoc nū- hil aliud est, quam querere, quando oporteat, habitum chari- tatis exire in ultimum, quia quan- documque habitus charitatis in ultimum exire, sit ordinatio totius ho- minis in finem ultimum, & per con- sequens omnium eorum, que in ipsum ordinantur, ut bona si- bi. Quoties autem teneatur homo actum charitatis elicere, dice- mus infra, ubi de præcepto charitatis redibit sermo. Itaque si homo diligat bonum crearum ho- nestum, nulla adjuncta prava cir- cumstantia, nullumque eo tem- pore urgeat præceptum clarita- tis, actum elicit moraliter bo- num, tametsi hunc actum in De- um propter seipsum dilectum mi- nime referat. Ita Sanct. Thomas in 2. d. 41. ar. 2. ad 2. ubi ait: *Dileendum; quod fides dirigit in- tentio-*

rum consilium, sed præceptum omnia opera nostra ex deliberatione facta, ad Deum virtute saltem referendi contineri, multis in locis docet S. Thomas, & confirmat S. Augustinus, præsertim l. II. de Trinitate c. 5., & l. de Catechiz. Rudibus c. II. ubi ait: *Tunc est vere opus bonum, cum a charitate jaculatur agentis intentio; & tamquam ad locum suum rediens rursus in charitate quiescit.*

Q. 7.

tentionem in finem ultimum; sed ratio naturalis, vel prudentia potest dirigere in aliquem finem proximum. Et quia ille finis proximus est ordinabilis in finem ultimum, etiam actus non ordinetur, ideo in infidelibus, quorum actus per vim rationis in talen finem diriguntur, possunt aliqui actus esse boni. Et clarius etiam in solut. ad 4. ubi ostendit, actiones infidelium, ex quo in Deum agere non diriguntur, tunc solum esse peccata, cum urget præceptum referendi illas in Deum, seu quando urget præceptum amandi Deum. Dicendum, inquit, quod non obligamur ad hoc, quod quilibet actus actu referatur in finem illum, in quem non potest, nisi sues dirigere, quia præcepta affirmativa non obligant ad semper, quamvis semper obligent: & ideo non oportet, ut alius infidelium, qui in finem illum non est ordinatus, semper sit peccatum, sed SOLUM PRO TEMPORE ILLO, IN QUO TENENTUR ACTUM SUUM IN FINEM ULTIMUM REFERRE. Quod autem S. Thomas loquatur nedum de actionibus, quae sunt bona ex objecto, vel ex genere, sed etiam de illis, quae sunt bona ex circumstantiis, sive in individuo, manifestum est ex iis, quae habet idem in corp. ubi ait: *Quamvis ab infidelium aliibus* subtrahatur ista *bonitas*, secundum quam *actus meritorius* dicitur: remanet tamen *BONITAS ALIA*, vel *VIRTUTIS POLITICÆ*, vel *EX CIRCUMSTANTIÆ*, vel *EX GENERE*: & ideo non oportet, quod omnis eorum actus sit malus; sed solum quod sit deficientis *bonitatis*: sicut quamvis equus deficiat a rationalitate, quam homo habet, non tamen ideo malus est, sed habet *bonitatem deficientem a bonitate hominis*. Huic autem veritati non obstant testimonia quædam S. Augustini, quæ videntur ostendere, omnia opera infidelium, & peccatorum esse peccata. Nam ea testimonia jampidem explicata fuerunt ab eodem S. Thoma qu. 4. d. spiritual. creat. art. 9., ubi secundo loco ibi objicit, quod S. Augustinus dicit super illud Apost. Omne, quod non est ex fide &c. omnium infidelium vita peccatum est, & nihil est bonum sine summo bono: ubi deest cognitio veritatis, falsa est virtus, etiam in optimis moribus. Et Respondet: Dicendum, quod Augustinus loquitur de virtutibus secundum quod ordinantur ad eternam beatitudinem, sive de actibus meritoriis. Vide eudem S. Thomam l. 2. qu. 65. ar. 2., & q. 71. ar. 4., & 2. 2. q. 23. art. 7., & qu. 51. art. 2., & alibi.

Q. 7. An detur aliquod opus indifferens in individuo?

R. Omne opus deliberatum, quatenus in individuo spectatur, sive quatenus exercetur, bonum, vel malum est, nullum omnino indifferens. Nam ut ait S. Thomas 1. 2. q. 18. ar. 9. *Actus a ratione deliberativa procedens, si non sit ad debitum finem ordinatus, ex hoc ipso repugnat rationi, & habet rationem mali. Si vero ordinetur ad debitum finem, convenient cum ordine rationis: unde habet rationem boni. Necesse est autem, quod vel ordinetur, vel non ordinetur ad debitum finem. Unde necesse est, omnem actum hominis a deliberativa ratione procedentem, in individuo consideratum, bonum esse, vel malum.*

Q. 8. Quot modis homo particeps fiat alienorum peccatorum?

R. Alienorum peccatorum homo fit particeps 1. co-operatione, ut si quis ad inferendum quodvis damnum corpori, famae, bonis fortunæ, ac in primis animæ cuiuspam, suam aliis operam locet, vel gratis det. 2. Auxilio, ut si ad expugnandam mulieris pudicitiam, ad litem injustam prosequendam, quis præbeat auxilium, patrocinium, vel favorem. 3. Confilio, ut si quis a statu Religioso aliquem evocet absque justa causa. 4. Consensu, ut si Pater, aut Dominus consentiant, ut filii, aut servi peccatum aliquod committant. 5. Jussione, ut si quis alicui imperet, ut alterum occidat. 6. Volo, vi, metu, adulacione, vel lenocinio, 7. Suasione. 8. Conniventia, ignavia, & silentio, ut si quis peccata non prohibeat pro viribus, nec impedit, cum ex officio tenetur. 9. Prava doctrina, ut qui disseminant, vel docent falsam, erroneam, pericolosam, aut scandalosam doctrinam in materia fidei, aut morum. 10. Malo exemplo: quo peccati generi ii potissimum rei sunt, qui majorii pollent auctoritate, quique aliis ratione sui status, ordinis, vel officii, præbere debent exempla probitatis. De-

indeque

nique alienis peccatis communicant, qui aliis occasionem peccandi quoquo modo præbent. De hac alienorum peccatorum imputatione loquitur Apostolus Rom. 1. cum ait : *Qui talia agunt, digni sunt morte, & non solum qui ea faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus.*

C A P U T IV.

De Peccatorum gravitate.

Q. I. **U**Nde sumatur peccatorum gravitas?

R. Post Stoicos docuit Jovinianus, omnia peccata esse paria : quem errorem pluribus in locis S. Litteræ damnant, præsertim ubi pro iniqutatis magnitudine statuunt supplicii gravitatem. Diversa est igitur peccatorum gravitas. Desumitur hæc diversitas ex objecto, ex fine, ex circumstantiis (a).

Ratione objecti gravius est peccatum immediate contra Deum, quam peccatum in seipsum, & in proximum. Insuper gravius est peccatum contra substantiam hominis, ut homicidium, quam peccatum circa res exteriores, ut furtum. Et in ordine quorumlibet horum peccatorum unum est altero gravius, prout est circa aliquod principalius, vel minus principale. Hinc peccatum, quod repugnat virtuti præstantiori, gravius est ; proinde odium Dei, quod directe opponitur charitati omnium virtutum præstantissimæ, est omnium peccatorum gravissimum.

Ratione finis peccatum est gravius, quoties fit ob pejorem finem. Sic furtum ad fornicandum gravius est furto ad sublevandam propriam inopiam.

Deni-

(a) S. Thom. 1. 2. q. 73. art. 3. 6. & 7.

Denique ratione circumstantiæ peccatum est gravius, cui adjungitur circumstantia magis aggravans.

Q. 2. Quot modis peccatum fiat gravius ratione circumstantiæ?

R. Id potest contingere tripliciter. 1. Si circumstantia transferat ad aliam speciem; ut fornicatio conjugati ex circumstantia personæ adjunctam habet etiam malitiam adulterii. 2. Si circumstantia non transferat quidem ad aliud genus, multiplicet tamen rationes peccati; ut si prodigus det quando, & cui non debet, multiplicius peccat eodem genere peccati, quam si solum det, cui non debet, & ex hoc ipso peccatum fit gravius. 3. Circumstantia aggravat peccatum, non secundum se spectata, sed presupposita alia circumstantia, ex qua provenit deformitas peccati, quam auget circumstantia superaddita; ut accipere multum ex hypothesi, quod sit res aliena, est peccatum gravius, licet multum, vel parum de se non dicant rationem boni, vel mali (*a*).

Q. 3. Quot fit circumstantiæ humanorum actuum?

R. Septem numerantur, hoc versu comprehensæ:

Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo,
quando.

Quis indicat conditionem personæ, an sit laica, an sacra, an nupta, vel soluta, an publica, vel privata. *Quid* significat conditionem materiæ, vel objecti, v. g. quantitatem, vel qualitatem: ut in furto est gravitas, vel levitas pretii rei furatæ, & conditio personæ, a qua res aufertur. *Ubi* designat conditionem loci, an sit facer, vel profanus. *Quibus auxiliis* denotat media, & instrumenta adhibita ad

(*a*) *S. Thom.* *r. 2. q. 73. art. 9.*

ad peccandum, v. g. falsam clavem, venenum &c. *Cur* significat finem, non quidem primarium, & proximum, qui stat speciem actioni, & dicitur finis intrinsecus, sed adjunctum, & extrinsecum, ut si quis fitetur ad se inebriandum. *Quomodo* significat qualitatem actus, ut fieri per insidias, vel aperte, intense, vel remisso &c. *Quando* exprimit qualitatem temporis, ut die festo, jejunii &c. Huc reducitur occasio, quæ tempus est rei gerendæ opportunum.

Q. 4. An voluntas patrandi peccatum, sit peccatum & que grave, ac si cum opere externo coniungeretur?

R. Quamquam exteriori opere non sequito, non incurvantur pœnæ Ecclesiasticæ, vel Civiles; nihilominus qui voluntate plene deliberata, & efficaci, quæ tota propensione fertur in opus, est paratus illud exequi, nisi facultas, vel opportunitas deesset, non minus reus est coram Deo, ac si opere externo peccatum consummasset; tunc enim *defectus perfectionis*, quæ est ex actu exteriori, est simpliciter *involutarius* (*a*). Unde Christus (*b*) ait: *Omnis, qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo.* Si autem adsit opportunitas exequendi opus externum, tunc malitia peccati non est consummata absque tali opere, quia non est perfecta voluntas, nisi sit talis, quæ opportunitate data operetur (*c*). Sæpe etiam malitia voluntatis cum opere externo coniunctæ, gravior est, sive quia est diuturnior, sive quia sit intensior per ipsam delegationem operis externi: & quanto voluntas intensius tendit in bonum, vel malum, tanto est melior, vel pejor (*d*). Utat sit, actus exterior semper necessario exprimendus est in Confessione; alioquin Confessio non esset integra.

Q. 5.

(*a*) *S. Th. I. 2. q. 20. art. 4.* (*b*) *Matth. 5,*
(*c*) *S. Thom. loc. cit.* (*d*) *Ibid.*

Q. 5. An peccatum fiat gravius ex conditione personæ, in quam peccatur?

R. Affirmative. Nam persona, in quam peccatur, est quodammodo peccati objectum (*a*). Quare eo gravius est peccatum, quo est in personam magis Deo conjunctam, sive ratione virtutis, ut in homines justos, sive ratione officii, & status, ut in Sacerdotes, & in Religiosos, de quibus dictum est (*b*): *Qui tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei.* Pari modo peccatum est eo gravius, quo est in personam magis conjunctam nobis, sive naturali necessitudine, ut in parentes, consanguineos &c. sive beneficiis, aut quovis alio vinculo. Eo etiam gravius peccatur, quo peccatum plures tangit: unde gravius peccatur in Règem, in Principem, sive in personam insignem, quam in privatam, & vulgarem, quia peccatum illud in scandalum, & in tribulationem plurimorum redundat.

Q. 6. An peccata eo sint graviora, quo persona peccans est major?

*R. Si sermo sit de peccatis ex subreptione provenientibus, minus imputantur iis, qui sunt virtute præstantiores, eo quod illa reprimere minus negligent, & aliunde ea omnino vitare non sinat infirmitas humana (*c*). Quod est intelligendum de peccatis præsertim venialibus. At peccata ex deliberatione commissa, crescunt in gravitate ad dignitatem personæ; tum quod præstans virtute, ac scientia, facilius potest peccato resistere; tum quod excellentia quævis, & magnitudo etiam in temporibus, auget peccatum vitio ingratitudinis erga Deum; tum etiam ob singularem repugnantiam actus peccati cum magnitudine personæ, ut si Princeps, qui est custos justitiæ, eam violet; vel Sacerdos fornicante-*

(*a*) *S. Thom. i. 2. q. 73. art. 9.*

(*b*) *Zachar. 2.*

(*c*) *S. Thom. loc. cit. art. 10.*

nicetur; tum demum ratione scandali: unde dicitur Ossee 9. *Propheta laqueus ruinæ factus est super omnes vias ejus.* Hinc sequitur, peccata Christianorum peccatis aliorum hominum esse graviora, cæteris paribus, tum propter notitiam veritatis ex fide; tum etiam propter *Sacramenta fidei*, quibus (fidelis) est imbutus, quibus peccando contumeliam facit (a).

Q. 7. An nocumentum sequens ex peccato, augeat peccati malitiam?

R. Ex S. Thoma (b): „ Nocumentum tripliciter se habere potest ad peccatum. Quandoque enim nocumentum, quod provenit ex peccato, est prævisum, & intentum: sicut cum aliquis aliquid operatur animo nocendi alteri, ut homicida vel fur: & tunc directe quantitas nocumenti adauget gravitatem peccati, quia tunc nocumentum est per se objectum peccati. Quandoque autem nocumentum est prævisum, sed non intentum: sicut cum aliquis transiens per agrum, ut compendiosius vadat ad fornicandum, infert nocumentum his, quæ sunt seminata in agro scienter, licet non animo nocendi: & sic etiam quantitas nocumenti aggravat peccatum, sed indirecte, in quantum scilicet ex voluntate multum inclinata ad peccandum, procedit, quod aliquis non prætermittat facere damnum sibi, vel aliis, quod simpliciter non vellet. Quandoque autem nocumentum nec est prævisum, nec intentum: tunc si per accidens se habeat ad peccatum, non aggravat peccatum directe: sed propter negligenter considerandi nocumenta, quæ consequi possent, imputantur homini ad poenam mala, quæ eveniunt præter ejus intentionem, si dabat operam rei illicitæ. Si vero nocumentum per se sequatur

„ ex

(a) S. Thom. 3. 2, q. 10, art. 3. ad 3.

(b) Idem 1. 2. q. 73. art. 8.

„ ex actu peccati , licet non sit intentum , nec prævisum , directe peccatum aggravat ; quia quæcumque per se consequuntur ad peccatum , pertinent quodammodo ad ipsam peccati speciem . Puta si aliquis publice fornicetur , sequitur scandalum plurimorum , quod quamvis ipse non intendat , nec forte prævideat , directe per hoc aggravatur peccatum . “

Hic notandum est 1. quod eventus ex peccato sequens , prævisus , & volitus censetur , saltē interpretative , quoties impediri debuit , nec tamen est impeditus . Etsi eventus per se , & in pluribus sequatur ex opere externo peccat , qui vult opus exterum , censetur voluisse eventum illum in sua causa , quamvis eventum non præviderit .

Notandum 2. quod etsi gravius nocumentum auget peccatum , nihilominus peccatum per se gravius est propter inordinationem ; ideoque per se graviora sunt peccata contra Deum , quam in nos ipsos , & in proximum .

Notandum 3. quod licet damnum spirituale sit gravius damno corporali , tamen gravius peccat homicida , quam fornicator , qui mulieri peccatum suadet ; quia homicida est causa per se sufficiens mortis corporalis ; nemo autem est alteri per se causa sufficiens mortis spiritualis , quia nemo spiritualiter moritur , nisi propria voluntate peccando .

Q. 8. An peccata spiritualia sint graviora carnibus ?

R. Affirmative , si tamen cætera sint paria . Nam peccata spiritualia majorem habent aversionem a Deo , ex qua culpæ gravitas æstimatur ; pertinent enim præcisè ad spiritum , cuius est converti ad Deum , vel a Deo averti : carnalia vero majorem habent conversionem ad creaturam , unde sunt majoris adhesionis , quia consummantur in delectatione carnalis appetitus ; sunt autem majoris infamiae ;

& diabolus dicitur magis gaudere de peccato luxuriae, quia est maxima adherentiae, & difficile ab eo homo potest eripi (a).

C A P U T V.

De causis interioribus peccatorum, deque iis, quæ possunt a peccato excusare.

ARTICULUS I.

De Ignorantia.

Q. 1. **Q**uid, & quotuplex sit ignorantia?

R. Ignorantia definitur, privatio scientie perficientis rationem, quæ prohibet actum peccati, in quantum dirigit actus humanos. Spectari potest ignorantia, vel ex parte mentis, vel ex parte objecti, vel ex parte hominis ignorantis, vel ex parte voluntatis actui pravo consentientis.

Ex parte mentis ignorantia alia est *negativa*, seu nescientia rerum, quas scire aliquis non potest, nec debet, ut est ignorantia puerorum, & amentium, & cujuscumque hominis nescientis ea, quæ ad proprium statum non pertinent. Hæc nescientia minus proprie ignorantia dicitur. Alia est ignorantia *privativa*, seu privatio scientie illarum rerum, quas aliquis scire potest, & debet, scilicet sine quarum notitia debitum actum recte exercere non potest, ut loquitur Sanctus Thomas. Demum est ignorantia *pravae dispositionis*, cum videlicet homo falsis principiis, & opinionibus est imbutus.

Ignorantia ex parte objecti alia est ignorantia *facti*,

(a) S. Thom. I. 2. q. 73. art. 5. ad 2.

facti, idest respectu alicujus particularis contingentiæ circa materiam, vel circumstantiam actus, quæ facile potest ignorari. Alia est ignorantia *Juris*, seu illarum rerum, quæ lege, vel consuetudine viam legis obtinente sunt constitutæ. Et hæc rursus alia est ignorantia *Juris Divini naturalis*, alia *Juris Divini positivi*, alia *Juris humani Ecclesiastici*, alia *Juris humani Civilis*.

Ex parte hominis dividitur ignorantia in *vincibilem*, & *invincibilem*. *Invincibilis* est, quæ nulla industria, ac diligentia vinci potest, adeoque est prorsus involuntaria. *Vincibilis* est, quæ vinci potest humano studio, ac diligentia; qualis est ignorantia rerum, quas homo scire tenetur, sive quia sunt absolute necessariæ ad salutem, sive quia pertinent ad proprium officium recte gerendum; & tam non discere non curat.

Denique ex parte voluntatis ignorantia dividitur in antecedentem, concomitantem, & consequentem, *Antecedens* est illa, quæ licet non sit volunta, est tamen causa volendi aliquid, quod alias homo nollet, qui ex hujusmodi ignorantia agit; v. gr. cum ignorat aliquam circumstantiam actus, quam scire non tenebatur, & inde aliquid agit, quod cognita illa circumstantia non ageret: ut cum quis adhibita debita diligentia, nesciens aliquem transire per viam vibrat sagittam, qua interficit transcurrentem. Quod fit ex tali ignorantia est penitus involuntarium.

Ignorantia concomitans est illa, quæ ita conjungitur consensu voluntatis, ut etiamsi abesset, nihilominus voluntas operi pravo consentiret; ut cum aliquis ita accensus est odio in hostem, ut illum occidere velit, & ignorans, re ipsa occidit, putans occidere cervum. Quod fit ex hac ignorantia non est involuntarium, cum non repugnet voluntati alias ad agendum propensæ; sed est non voluntarium, quia non potest esse volitum, quod est ignoratum.

Ignorantia *consequens* est illa , quæ sequitur iudicium rationis , & voluntatis motum , ideoque est voluntaria . Duplex est , scilicet directe , vel indirecte volita . Prima est illa , in quam fertur voluntas , & quam ultiro amplectitur : ut cum quis vult ignorare , quæ spectant ad æternam salutem , ut liberius peccet , nec sentiat conscientiæ stimulos , vel ut ignorantia suffragio se excuset , juxta illud Psalmi 35 . Noluit intelligere , ut bene ageret . Et hæc dicitur ignorantia affectata . Altera est , quæ licet non sit in se volita , censetur tamen voluntaria ratione negligentia in iis rebus addiscendis , & considerandis , quas addiscere , & considerare homo potest , & debet . Hæc dicitur *crasfa* , & *supina* .

Q. 2. An ignorantia excusat a peccato ?

R. Ignorantia invincibilis omnino a peccato excusat , quia tollit voluntarium , quod est a principio intrinseco cum cognitione finis : nullum autem est peccatum , nisi voluntarium . Idem dicendum de ignorantia , quæ est causa actus , si sit omnino involuntaria ; quia talis ignorantia facit actum involuntarium ; actus enim esset contrarius voluntati , si scientia adesset (*a*) . Talis fuit ignorantia Noe sese ymo inebriantis , cuius vim nesciebat .

Non ita est de ignorantia , quæ non est causa actus peccati , sed illum concomitatur , vel consequitur ; cum enim ea sublata etiam opus fieret , proinde hæc ignorantia a peccato non excusat (*b*) .

Pari modo a peccato non excusat ignorantia rerum , quas aliquis scire tenetur , & potest ; imo ipsa est grave peccatum , sive sit volita directe , sive

(*a*) S. Thom. 1. 2. q. 76. art. 3.

(*b*) Ibid.

five tantum indirecte. Nam ut ait S. Thomas (a): *Quicumque negligit habere; vel facere id, quod teneatur habere, vel facere, peccat peccato omissionis. Unde propter negligentiam, ignorantia eorum, quæ aliquis scire tenetur, est peccatum.* Unusquisque autem tenetur scire 1. Mysteria fidei Symboli Apostolici duodecim Articulis comprehensa. 2. Quæ pertinent ad mores bene informandos, ut sunt Dei, & Ecclesiæ præcepta generalia. 3. Quæ spectant suum statum, vel officium. Nota autem ex eodem Sancto Thoma (b), quod sicut in aliis peccatis omissionis, solo illo tempore homo actu peccat, pro quo præceptum affirmativum obligat: ita non continuo ignorantia actu peccat, sed solum quando est tempus acquirendi scientiam, quam habere tenetur.

De ignorantia juris, &c facti sic habeto. Ignorantia legis debito modo promulgatae, eujusque notitia ad illum, qui contra ipsam agit, pervenire potuit, non excusat a culpa, quia est invincibilis. Ignorantia facti, si omnino sit insuperabilis, excusat quidem, sed statim atque discussa est, vel discuti potuit, reus est, qui contra legem agit.

Q. 3. An detur ignorantia invincibilis de lege naturæ?

R. De præceptis universalibus, & primariis legis naturæ, ut sunt, *quod tibi non vis fieri, alteri non feceris: Deum cole, & ama;* & omnia præcepta Decalogi, non datur in homine insuperabilis ignorantia. Ait enim Apostolus Rom. 2. *Cum enim gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt (hoc est lege naturali eis ostendente, quid sit agendum) ejusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex: qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientia ipsorum.*

(a) S. Thom. t. 2. q. 76. ar. 2.

(b) Ibid. ad 5.

De præceptis secundariis, & minus principalibus ita docet S. Thomas (*a*): *Quædam* (præcepta moralia) sunt, ad quorum judicium requiritur multa consideratio diversarum circumstantiarum, quas considerare diligenter non est cuiuslibet, sed sapientum. Hæc autem, docet, ita esse de lege naturæ, ut tamen indigeant disciplina, qua minores a sapientioribus instruantur.

Sed nota, quod licet S. Thomas præcepta Decalogi nonnumquam secundaria vocet, hoc tamen non ideo facit, quasi illa in suo genere non sint prima, sed quia illorum pleraque ex universalissimis principiis derivantur. Ipse enim docet (*b*), obliteracionem legis naturæ quoad præcepta Decalogi fieri, vel malis persuasionibus, vel pravis consuetudinibus, vel habitibus corruptis: quæ insuperabilia non esse patet, cum orientur ex vitio voluntatis ad legem naturæ non attendentis. Non ergo præcepta Decalogi ita sunt secundaria, ut dari de illis insuperabilis ignorantia queat.

Q. 4. An ignorantia circumstantiæ peccati peccatum excusat?

R. Ignorantia solius circumstantiæ peccatum aggravantis, aut ad aliam speciem transferentis, non excusat peccatum, cuius malitia nota est, sed excusat illud solum, quod est ex ignorantia circumstantiæ; idque vel ex toto, si ignorantia circumstantiæ est omnino insuperabilis, vel ex parte, si ignorantia vinci potuit. Sic qui alterum occidit, sciens quidem esse hominem (quod sufficit ad peccatum) ignorans autem esse patrem (quæ est circumstantia actus peccati) & si id nosset, ab occidendo abstineret, parricidii reus non est, si ignorantia illius circumstantiæ vinci non potuit, sed tamen reus est homicidii (*c*).

Q. 5.

(*a*) S. Thom. 1. 2. q. 100. art. 5.

(*b*) Ibid. q. 94. art. 6.

(*c*) Ibid. q. 76. art. 3.

Q. 5. An ignorantia excusat a Censuris?

R. Affirmative, si tamen ignorantia sit insuperabilis; quia pœna non incurritur, nisi propter culpam, a qua ignorantia insuperabilis prorsus excusat: contumax etiam non censetur, qui legem scire non potest.

Q. 6. An ignorantia diminuat peccatum?

R. Ignorantia concomitans, vel consequens nec auget, nec minuit peccatum, cum non sit illius causa (a). Ignorantia directe, & per se volita, peccatum auget. Ex magno enim amore peccandi videatur contingere, quod aliquis detrimentum scientiae pati velit, ad hoc, quod libere peccato inhabeat, inquit S. Thomas (b). Ignorantia autem indirecte volita, qualis est ignorantia illius, qui studio vacare negligit, vel qui bibit vinum largius, unde sequitur ebrietas, minuit peccatum, quia minuit voluntarium (c).

Q. 7. An sit necessaria mentis attentio ad actionis pravitatem, ut peccatum imputetur?

R. Alexander VIII. has propositiones damnavit:
 ≡ Numquam peccatur, nisi prævia peccati cognitione animus illustretur, ejusque vis indi desiderio extimuletur.
 ≡ Peccatum Philosophicum, seu morale est actus humanus disconveniens naturæ rationali, & rectæ rationi. Theologicum vero, & morale est transgressio libera divinæ legis. Philosophicum quantumvis grave, in eo, qui Deum vel ignorat, vel de Deo actu non cogitat, est grave peccatum, sed non est offensa Dei, neque peccatum mortale dissolvens amicitiam Dei, neque eterna pœna dignum. Quam sint absurdæ propositiones istæ, nemo non videt: nam juxta illas excusatione digni essent persecutores Apostolorum, qui præviā illam illustrationem non habebant, imo arbitra-

C 4

(a) S. Thom. I. 2. q. 76. art. 4.

(c) Q. 76. cit. art. 4.

(b) Q. 3. de malo, art. 3.

bitabantur obsequium se præstare Deo. Imutilis etiam fuisset Christi adventus, & Apostolorum missio pro revocandis ab errore hominibus. Superflua item esset hominum instructio, siquidem homines relicti in Dei, & legum ignorantia, voluptatibus servire possent absque peccati formidine (a).

ARTICULUS II.

*De cupiditate, sive animi perturbatione,
& malitia.*

Q. I. **Q**uid sit peccare ex cupiditate? & quotumplex sit hæc cupiditas?

R. Peccatum ex cupiditate, sive animi perturbatione, & infirmitate illud est, ad quod voluntas incli-

(a) Communiter Theologi docent, quod sicut ignorantia invincibilis excusat a peccato, quia facit involuntarium; ita ob eamdem rationem inadvertentia invincibilis a peccato excusat. Et econtra sicut ignorantia vincibilis, sive directe in se, sive indirekte in causa, quia est voluntaria, non excusat a peccato; ita nec inadvertentia vincibilis. Differt enim inadvertentia ab ignorantia, quia ignorantia est privatio scientiæ habitualis, inadvertentia vero est privatio scientiæ, seu cognitionis actualis. Hic autem animadvertendum est ex S. Thoma q. 3. de malo ar. 9. posse ex passione contingere, ut id, quod seitur in habitu, non consideretur in actu. Manifestum est, inquit, quod quandcumque una potentia intenditur in suo actu, alia potentia vel impeditur, vel tota alter avertitur a suo actu: siue cum aliquis intentus est ad atque audiendum, non percipit hominem pertransiuntem ... sic

ergo cum fueris concupiscentia fortis, aut ira, aut aliquid hujusmodi, impeditur (homo) a consideratione scientiæ... Quando ergo passio est fortis circa aliquod particulare, repellit contrarium motum scientiæ circa idem particulare, non solum distractabendo a consideratione scientiæ... sed etiam corrumperendo per viam contrarietatis. Et sic ille, qui in forti passione est constitutus, nisi consideret aliquo modo in universalis, in particulari tamen impeditur ejus consideratio. Ex quibus infert S. Doctor, sepe contingere, ut habentes scientiam secundum habitum, & in universalis, variis passionibus affecti ex infirmitate peccant, quod multo magis locum habet in iis, qui ex pravis habitibus peccare solent. Ad hac principia potissimum attendere debent Confessarii, ut discernant an inadvertentia, quam pœnitentes allegant, fuerit vincibilis, vel invincibilis.

inclinatur, & allicitur a concupiscentia, mentis considerationem distrahente, vel impediente: hujusmodi sunt peccata, quæ fiunt ex metu, ira, concupiscentia, & similia.

Hæc cupiditas duplex est, antecedens, & consequens. Prima est, quæ judicium rationis antevertit, ac motum voluntatis, quam trahit, vel inclinat ad consensum. Altera sequitur motum voluntatis, ut dum quis ultiōrem de inimico meditatus, iram exercitat, ut vehementius agat.

S. Joannes epist. 1. c. 2. triplicem aliam cupiditatem, ceu omnis peccati fontem indicat, iis verbis: *Omne, quod est in mundo, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ.* Porro per concupiscentiam carnis intelligitur perversus appetitus rerum, quæ carnem delestant, ut cibi, potus, & venereorum. Per concupiscentiam oculorum intelligitur cum curiositas, qua concupiscitur quidquid aspectu est delectabile; tum avaritia, qua opes, aliæque res externæ inordinate appetuntur. Per superbiā vitæ intelligitur honoris, propriæque excellentiæ inordinatus appetitus.

Triploris hujus cupiditatis, adeoque peccatorum omnium, radix est perversus *amor sui*, qui terrenam civitatem facit usque ad contemptum Dei, ut Sanctus Augustinus ait (*a*). Nam quod homo temporale bonum inordinate appetat, ex quo peccatum omne procedit, inde est, quod inordinate amet seipsum (*b*).

Q. 2. An perturbatio animi, sive passio peccatum minuat, vel excusat?

R. Passio antecedens, quia minuit libertatem, peccatum quoque minuit, & tanto magis, quanto passio

(a) L. 14. de Civit. cap. 28.

(b) S. Thom. 1. 2. qu. 77. art. 4.

passio est vehementior. Passio consequens tantum abest, ut peccatum minuat, quin ipsum magis augeat, quia voluntatis ardorem ad peccandum augent, seu potius est signum magnitudinis ejus, quatenus ardorem illum ostendit (*a*). Si tamen passio usum rationis prorsus tollat, nec ab initio fuerit volita, ut si phreneticus praे violentia febris, patrem percutiat; omnino excusat a peccato, quia actus est omnino involuntarius. Si autem non totaliter intercipiat usum rationis, nec totaliter excusat a culpa (*b*), quia non tollit omnino voluntarium.

Jam vero cum passio minuit peccatum, non ita minuit, ut peccatum mortale ex genere fiat veniale (excipe subitos motus, in quibus ratio deliberans non potest occurrere). Cum enim consensus est deliberatus, ratio potest passionem excludere, vel faltem impedire: unde nisi hoc faciat, peccatum jam est mortale (*c*). Quare Apostolus (*d*): *Passiones, inquit, peccatorum operabantur in membris nostris, ut fructificarent morti.* Quod certe proprium est peccati mortalitatis. Quoties ergo insurgit passio, sequenda est regula, quam tradit S. Augustinus (*e*) his verbis: *Quando nascitur cupiditas, antequam robur faciat adversum te mala consuetudo, cum parvula est cupiditas elide illam.* Sed times, ne elisa moriatur: *ad Petram elide.* Petra autem erat Christus. Ad Christum ergo confugiendum est, & cum Apostolis clamandum (*f*): *Domine, salva nos, perimus.*

Q. 3. In quo posita sit notio peccati ex certa malitia?

R. Qui sola voluntatis perversitate peccat, non ex ignorantia, aut infirmitate, dicitur peccare ex certa

(*a*) S. Thom. I. 2. q. 77. art. 6.

(*b*) Ibid. art. 7.

(*c*) Ibid. art. 8.

(*d*) Rom. 7.

(*e*) Enar. in Psal. 136. n. 21.

(*f*) Matth. 8.

certa malitia, sive stutio, & de industria. Qui peccant ex pravo habitu, peccant ex certa malitia, ut docet S. Thomas (a), quia proclivitas voluntatis ad malum ex inveterata peccandi consuetudine fit quodammodo connaturalis. Ex certa malitia peccant, qui letantur, cum male fecerint, & exultant in rebus pessimis (b). Item, qui non solum bona non faciunt, sed etiam persequuntur; & quæ ipsi facere negligunt, etiam in aliis detestantur (c). Præterea illi, qui nolunt vias Domini intelligere, sed quæ facere despiciunt, etiam scire contemnunt (d).

Q. 4. An peccatum ex malitia gravius sit peccato ex passione?

R. Affirmative; nam voluntas ex malitia peccans, in malum ex seipso movetur, & peccat ex habitu, qui est qualitas permanens: peccans vero ex passione, quasi intrinsecus impellitur, & passio ipsa cito transit, & sic homo cito reddit ad bonum propositum, peccati pœnitens (e). Unde Sanct. Gregorius (f) ait: *Gravius quidem infirmitate, quam ignorantia: sed multo gravius studio, quam infirmitate peccatur.* Tanto etiam est gravius peccatum ex malitia, quanto malitia est vehementior; sicut peccatum ex passione tanto diminuitur, quanto passio magis urget.

Ex quibus infertur, peccata ex pravo habitu graviora esse peccatis ex infirmitate: qui enim ulti-
tur habitu vitiioso, necesse est, quod ex certa malitia peccet (g). Hoc tamen intelligendum est de iis ha-
bitibus, quibus extirpandis peccator non adlaborat; quibus nisi repugnet, vix absque contem-
ptu peccabit (h); imo inde sequetur moralis quæ-
dam

(a) 1. 2. q. 78. ar. (b) Prov. 2.

(c) S. Greg. 1. 25. Mor. c. 11. (d) Ibid.

(e) S. Thom. 1. 2. q. 73. ar. 4. (f) Loc. cit.

(g) S. Th. q. cit. ar. 2. (h) Vide S. Th. 2. 2. q. 186, a. 9. ad 3.

dam peccandi necessitas, libertatem non minuens, sed augens, quia homo in illam voluntarie prolapsus. Inde etiam sensim emerget cordis durities juxta illud S. Bernardi (a) : *Primum tibi importabile videbitur aliquid, processu temporis, si assuescas, iudicabis non adeo grave; paulo post & leve senties; paulo post nec senties; paulo post etiam delectabit.* Ita paulatim in cordis duritiam itur, & ex illa in aversionem. Hæc autem cordis duritia in impœnitentiam docit, ajente Apostolo (b) : *Secundum duritiam tuam, & impœnitens cor, thesaurizas tibi iram in die iræ, & revelationis justi judicii Dei.*

ARTICULUS III.

De Vi, & Metu.

Q. 1. **A**N violentia omnino excusat a peccato?
 R. Affirmative, quia causat involuntarium simpliciter. Verum ad perfectam violentiam, quæ a peccato penitus excusat, satis non est, ut imens repugnet facinori; sed requiritur, ut homo etiam opere externo renitatur, quantum potest; alioquin etsi non conferat agendo, confort tamen volendo pati (c). Unde si virgo per vim opprimatur, animo quidem repugnans, sed vel clamore, vel totis etiam viribus non resistens stupratori, a peccato non est immunis; minus tamen peccat, quam si nec animo repugnasset, sed plene consensisset.

Q. 2. An metus excusat a peccato?

R. Metus duplex est, alius levus, quo timetur leve malum, aut grave quidem, sed ex causa levi, nec probabili. Hoc metu percelli solent personæ leves,

(a) Lib. 1. de Consideratione, cap. 2. (b) Rom. 2.

(c) S. Thoh. 1. 2. q. 6. ar. 5. ad 2.

leves, & meticulosæ. Alius gravis, quo timetur grave malum, vel futurum, vel imminens ex causa probabili, ut mors, mutilatio, exilium, servitus, carcer &c. Hic metus dicitur cadens in virum constantem, quia ipso viri etiam constantes, & graves percelluntur.

Itaque 1. si metus fit adeo vehemens, ut hominem sui compotem non relinquat, a peccato penitus excusat, quia causat penitus involuntarium.

2. Si metus relinquat hominem sui compotem, & sit gravis, non excusat omnino a peccato in iis, quæ sunt intrinsece mala: hæc enim nullo eventu desinunt esse mala, magisque timenda sunt, quam ipsa mors corporis (a). Nihilominus peccatum aliquatenus minuitur, quia minus voluntarium est, quod ex timore agitur (b). Non quod peccatum ex mortali fiat veniale, sed quod sit levius intra limites culpæ lethalis. Quamobrem Innocentius XI. has propositiones damnavit: \neg Urgens metus gravis est causa justa Sacramentorum administrationem simulantandi. \neg Famulus, qui submissis humeris scienter adjuvat herum suum ascendere per fenebras ad stuprandam virginem, & multoties eidem deseruit deferendo scalam, aperiendo januam, aut quid simili cooperando, non peccat mortaliter, si id faciat metu notabilis detrimenti, puta, ne a domino male tradatur, ne torvis oculis aspiciatur, ne domo expellatur. Et Alexander VII. hanc aliam propositionem proscripsit: \neg Vir equestris ad duellum provocatus, potest illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat.

3. Gravius peccant, qui futurorum malorum, quam qui præsentium metu delinquunt: nam mala futu-

(a) S. Thom. 1. 2. qu. 6. art. 6.

(b) 2. 2. qu. 125. art. 5.

futura minus terrent, quam præsentia, ideoque minus rationem perturbant, libertatemque minuant.

4. In iis, quæ non sunt intrinsece mala, sed tantum mala, quia prohibita, metus gravis ut plurimum penitus excusat a peccato. Lex enim naturalis, & divina spectata secundum præcepta positiva, non semper obligat cum vitæ, aut gravis mali periculo (*a*). Hinc lex de secreto servando non obligat eum, cui mortem, mutilationem &c. allatura est ejus observatio, nisi hæc sit majoris momenti, quam vita, sanitas &c. cuiuslibet privati; cuiusmodi est observatio sigilli sacramentalis, vel earum rerum, quibus Ecclesiæ, vel Reipublicæ commune bonum, Regisve salus, & vita consistunt, & quarum revelatione in discrimen adducerentur.

5. Idem communiter docent Theologi de legibus humanis, tam Ecclesiasticis, quam Civilibus; quia non semper, nec ut plurimum bonum commune, ob quod leges istæ latæ sunt, postulat, ut subditi cum gravi periculo illas observent. Quare a jejunio, a Missa diebus festis audienda, a recitandis Horis Canonicis &c. excusantur, qui illa præcepta servare non possunt sine periculo gravis incommodi (*b*).

Duo tamen sunt casus, quibus leges etiam humanae obligant cum vitæ periculo. Primus est, cum agitur de bono communi Ecclesiæ, vel Reipublicæ, quod procurari non potest, nisi privatorum vita periculo

(*a*) Quod metus aliquando ex-euset a lege positiva, hoc ideo est, quia cum urget metus gravis, lex positiva desit obligare pro illo peculiari casu, ob collisionem ejus cum alia lege respiciente majus bonum, ideoque prevalente. Ita colligitur ex S. Thoma 1. 2. qu. 96. art. 6. ad 1.

ubi ait: *Dicendum, quod ille, qui in casu necessitatis agit præter verba legis, non judicat de ipsa lege, sed judicat de casu singulari, de quo uidet, verba legis observanda non esse.*

(*b*) S. Thom. 2. 2. q. 147. a. 4. ad 1.

riculo exponatur. Hinc Episcopus , & Parochus , sœviente persecutione in suum gregem , grassante peste , imminente periculo obsidionis , aut excidii , manere in Dioœcesi debent , & Pastoris munera explere ; nisi forte Episcopus , & quidam alii Ministri , Episcopo auctore , fugæ se committant , ut se temporibus tranquillioribus servent pro Ecclesiæ utilitate ; dummodo tamen non desint alii , per quos suppleatur Ecclesiasticum ministerium , & modo magis non obsint exemplo fugiendi ; quam prosint vivendi officio (a). Sive autem maneat Episcopus , si-
ve recedat , Parochi , & alii Sacerdotes ab Episco-
po constituti , ut suppleant Ecclesiastica ministeria , tenentur parere Episcopi præcepto , etiam cum vitæ discrimine . Similiter tenentur milites parere Duci
præcipienti , ut in statione maneant , ut excubias agant , ut cum hoste congregiantur &c. etiam cum vitæ periculo , alioquin mortaliter peccant , cum of-
ficio suo desint in Reipublicæ damnum .

Alter casus est , cum legis violatio vergeret in contemptum Fidei , vel Religionis , aut Ecclesiasti-
cæ , vel Regiæ Potestatis : tunc enim lex humana obligaret cum vitæ periculo ; quia pluris refert , Fi-
dem , Religionem , & Ecclesiasticam , vel Regiam Potestatem non contemni , quam servari vitam cor-
poris . Nullus etiam metus excusat , si ex hujusmodi legum violatione grave scandalum oriatur .

(a) Vide S. Aug. epist. 223. xl. 189. ad Honoratum.

C A P U T VI.

De effectibus peccatorum.

Q. **U**inam sint peccati effectus?

R. Duo præcipui sunt, macula, & reatus pœnæ. Macula est privatio nitoris ex inordinato rerum terrenarum amore procedens, sicut macula corporis est detrimentum nitoris proveniens ex alieni corporis contactu. Hinc de peccatoribus dicitur Osœc 9. *Facti sunt abominabiles, sicut ea, quæ dilexerant.* Haec macula, quæ sequitur privationem gratiæ sanctificantis, unde provenit animæ nitor, manet in anima, etiam post actum peccati, donec pœnitentia diluatur; estque distincta a reatu pœnæ: unde S. Pius V. Baji propositionem 56. damnavit, qua dicitur *In peccato duo sunt,actus, & reatus, transiente autem actu, nihil manet, nisi reatus, sive obligatio ad pœnam.*

Reatus pœnæ est alter effectus peccati: nam jutum est, ut qui se ab ordine divinæ legis subduxit per culpam, in ordinem divinæ justitiae revocetur per pœnam. Hic reatus duplex est, scilicet pœnæ æternæ, & temporalis. Reatum pœnæ æternæ inducit peccatum mortale, quod de se irreparabiliter pervertit ordinem hominis ad Deum tamquam finem ultimum, & charitatem extinguit. Æterna damnatorum pœna duplex est, alia damni, alia sensus. Pœna damni, quæ indicatur illis verbis adversus reprobos proferendis: *Discedite a me maledicti;* respondet peccato ratione aversionis a Deo, & est infinita ex parte objecti, utpote amissio Dei boni infiniti. Pœna sensus, quæ exprimitur sequentibus verbis: *In ignem eternum;* respondet peccato ratione conversionis ad creaturam. Ignem illum esse corporeum, nemo Catholicus dubitat.

bitat. Nam, ut S. Augustinus (*a*) ait: *Cur non dicamus, quamvis miris, tamen veris modis, etiam spiritus incorporeos posse poena corporalis ignis affligi, si spiritus hominum, etiam ipsi profecto incorporati, & nunc potuerunt includi corporalibus membris, & tunc poterunt corporum suorum vinculis insolubiliter alligari?*

Peccatum veniale inducit reatum poenæ temporalis, quia non pervertit ordinem ad Deum finem ultimum. Hæc poena vel luenda est in hac vita, vel in altera, scilicet in Purgatorio, ubi etiam est duplex poena, privatio, seu potius dilatio beatitudinis, animabus jam in termino constitutis, & Deum summe amantibus gravissima; & purgatorius ignis, seu poena sensus gravior quavis poena hujus sæculi, ut S. Augustinus (*b*) docet.

Præter has generales peccatorum poenas, nonnumquam unum peccatum est poena alterius peccati. Quod contingit tribus modis. 1. Ratione causæ peccatum impedientis, seu propter subtractionem divini auxiliū in poenam peccati: unde Apostolus (*c*) ait: *Propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis eorum.* 2. Ratione actus, cui adjuncta est afflictio, sive sit actus interior, ut patet in ira; sive actus exterior, ut in iis, qui gravi labore, & damno opprimuntur, ut prava sua desideria expleant; quique merito dicere possunt (*d*): *Lassati sumus in via iniquitatis.* 3. Ratione effectus sequuti, infamiae scilicet, paupertatis, morbi; qua ratione peccatum etiam sui poena est (*e*).

Aliquando etiam idem peccatum est simul poena, & causa peccati. Ut enim docet Sanctus Augustinus. *III.*

D

gusti-

(*a*) L. 21. de Civit. cap. 10. (*b*) In Psalm. 37.

(*c*) Rom. 1. (*d*) Sap. 5.

(*e*) Vide S. Thom. 1. 2. qu. 83. art. 2.

gustinus (a) : Cœcitas cordis , quam solus removet illuminator Deus , & peccatum est , quo in Deum non creditur ; & pena peccati , qua cor superbum digna animadversione punitur ; & causa peccati cum mali aliquid cœci cordis errore committitur . Et Sanctus Gregorius (b) ait : Peccatum , quod penitentia non diluit , ipso suo pondere mox ad aliud trahit . Unde fit , ut non solum peccatum sit , sed peccatum , & causa peccati .

(a) L. 5. contra Julianum , c. 3.

(b) L. 25. Mōr. cap. 9.



TRACTATUS II.

De Conscientia, sive de Regula proxima
interiori ad peccata cognoscenda,
& dijudicanda.

DUabus Regulis veluti principiis ntititur Mora lis Christiana, quarum una est exterior, scilicet Lex Divina, de qua dicitur Psalm. 118. *Beati immaculati in via, qui ambulant in Lege Domini;* & de hac Regula agemus infra. Altera est Regula proxima interior, nempe judicium Conscientiae ad Di vinam Legem compositae; & de hac modo differimus. Est autem Conscientia Applicatio Scientiae ad ea, quae agenda sunt. Et dividitur in rectam, erro neam, dubiam, scrupulosam, & probabilem. De recta nihil aliud dicendum occurrit, quam quod ejus judicio standum sit, nec liceat agere contra ipsam, quia omne, quod non est ex fide (seu quod est contra Conscientiam), peccatum est, ut dicitur Rom. 14. Differemus igitur de reliquis Conscientiae divisionibus.

CAPUT I.

De Conscientia errante, & dubia?

Q. 1. **A**N liceat agere contra Conscientiam erro neam?

R. Negative, quia, ut ait S. Thomas (a), *omnis voluntas discordans a ratione, sive recta sive errante, semper est mala:* unde idem est contemnere dictamen rationis erronee proponentis aliquid tamquam a Deo præceptum, ac contemnere Dei præceptum.

Q. 2. An liceat agere secundum errorem Conscientiae?

D. 2

R. Si

(a) 2. 2. q. 19. art. 5.

R. Si error Conscientiae sit invincibilis, non peccat, qui secundum illum operatur, quia error, cum sit insuperabilis, ipsum excusat. Si autem error discussi, ac vinci potest, quamdiu manet Conscientia erronea dictans ea, quae sunt contra Legem Dei, ponit, ac tenet hominem extra statum salutis: & tunc homo peccat, sive faciat, quod Conscientia dictat, sive faciat ejus oppositum. Nam faciendo, quod ipsa dictat, facit contra Legem Dei; faciendo oppositum, illud facit in contemptum Dei, cum faciat illud, quod Conscientia dictat Deo displicere, Deponenda igitur est Conscientia vincibiliter erronea, & operandum oppositum ejus, quod ipsa dictabat.

Q. 3. Quibus mediis utendum sit ad Conscientiam erroneam legitime deponendam?

R. Ad id plurimum valent humilis, & frequens oratio; accurata negotii discussio; bonorum librorum de te, quae in questionem venit, attenta lectio; petitio consilii a viris doctis, probis, ac prudentibus; docilitas, & submissio in prosequendo hujusmodi consilio: nam, ut inquit (*a*) Gersonius: *Quilibet in agendis plus credere debet aliis, quam sibi.* Omnino autem necesse est, ut homo ratione, vel auctoritate convictus, contrarium judicet ejus, quod ante judicaverat: aut certe animadvertat, rationes, quibus in tale judicium inductus est, leves esse, ac invalidas; adeoque a priori illo judicio recedat.

Q. 4. An judicium errantis Conscientiae anteponendum sit præcepto Superioris?

R. Errantis Conscientiae judicium præcepto Superioris anteponendum est, si error dispelli, superari, ac deponi non possit: v.g. si ex errore Conscientiae existimet subditus id, quod a Superiore præcipitur,

Divi-

(*a*) Tract. de natura, & qualit. Conscientiae.

Divinæ Legi, aut Ecclesiasticæ, aut etiam Civili iis, quæ politicum regimen spectant, aut majoris Prælati præcepto, esse contrarium (a) : nam juxta S. Petri sententiam Act. 5. Obedire oportet Deo magis, quam hominibus. Hinc S. Bernardus l. de præcepto, dispensat c. 7. inquit: De illo, qui præcipit, & item de eo, quod præcipitur, hujuscemodi advertenda est secundum rationem distinctio, ut cuius inter Præceptores reverentior nobis imminebit auctoritas, ejus gravior formidetur offensio. Et c. 9. „ Quicquid vice Dei præcipit homo,

D 3

„ quod

(a) Quarens S. Thomas qu. 17.
de veritate, a. 5. num conscientia in indifferentibus plus, minusve liget, quam præceptum Prælati; in corp. art. ita resolvit: „ Conscientia non ligat; „ nisi vi præcepti Divini, vel „ secundum legem scriptam, vel „ secundum legem naturæ indi- „ tam. Comparare igitur ligamen con-“ conscientiæ ad ligamen „ quod est ex præcepto Prælati, „ non est aliud; quam comparare „ re ligamen præcepti Divini ad ligamen præcepti Prælati. Unde cum præceptum Divinum obligeat contra præceptum Prælati, & magis obligeat, quam præceptum Prælati; conscientia ligamen erit majus, quam ligamen præcepti Prælati, & conscientia ligabit, præcepto Prælati in contrarium existente. Tamen hoc diversimode se habet in conscientia recta, & erronea. Conscientia enim re- sta simpliciter, & perfecte contra præceptum Prælati obli- gat. . . Sed conscientia erro- nea ligat contra præceptum præceptum Prælati in indifferenti- bus secundum quid, & imper-

, fæcete. Secundum quid, quia non obligat in omnem even- tum, sed sub conditione suæ durationis; POTEST ENIM ALIUS, ET DEBET TA- LEM CONSCIENTIAM DE- PONERE. Imperfekte autem, quia ligat quantum ad hoc, quod ille, qui eam sequitur, peccatum non incurrit: non autem quantum ad hoc, QUOD ILLE, QUI EAM SEQUITUR, PECCATUM EVITET; CUM PRÆCEPTUM PRÆLATI EST IN CONTRARIUM; si tamen ad illud indifferentis præceptum Prælati obligeat; in tali enim casu peccat, sive non faciat, quia contra conscientiam agit; sive faciat, quia Prælato inobediens est. Magis autem pec- cat, si non faciat, conscientia durante, quod conscientia di- stat, cum plus liget, quam præceptum Prælati. “ Tenetur ergo subditus conscientiam erro- neam deponere, & se subjecere Prælato præcipienti in indifferentibus; ideoque in indifferentibus dari non potest conscientia invinci- biliter erronea, que fit ante- ponenda præcepto Prælati.

„ quod non sit tamen certum displicere Deo , haud
 „ secus omnino accipiendum est , quam si præcipiat
 „ Deus , “ Igitur e contrario si ex judicio Conscien-
 „ tiæ , quamvis erroneæ , persuasum sit alicui , id ,
 quod præcipit Superior , displicere Deo , tenetur
 non obedire .

Q. 5. An liceat agere cum Conscientia practice
 dubia de honestate , vel malitia actionis ?

R. Negative : qui enim ita agit , vult interpretative
 malitiam actionis , de cuius honestate dubitat ,
 ideoque committit peccatum ejusdem speciei , &
 gravitatis , cuius est peccatum , de quo dubitat .
 Hinc S. Thomas quodlib. 8. ar. 13. *Manente dubitatione* , inquit , *qui plures Præbendas habet , periculo se committit ; & sic procul dubio peccat , utpote magis amans beneficium temporale , quam propriam salutem (a)* .

Q. 6. An in dubio de honestate rei præceptæ , te-
 neatur subditus obedire ?

R. Dubitans de honestate rei præceptæ , parere
 non tenetur , dubio manente , quia se peccati per-
 iculo exponeret : tenetur autem dubium deponere ,
 iudiciumque suum submittere judicio Superioris , quia
 Superior est in possessione juris præcipiendi , quo
 spoliandus non est per subditorum dubitationes , &
 scrupulos ; siquidem subditi in ejus arbitrium pro-
 priam

(a) Dubium aliud est negati-
 yum , sive suspensio mentis inter
 utramque partem ob carentiam
 motivorum ; aliud est positivum ,
 seu suspensio mentis inter utram-
 que partem ob motiva & que pro-
 babilia . Rursum aliud est iugis ,
 seu de lege , aut de legitima fa-
 cultate agendi ; aliud est facti ,
 nt si dubitem , an hoc , vel il-
 lud fecerim ; an hæc persona , aut
 res sit talis , necne . Denique a-
 liud est speculativum , scilicet
 quo in genere dubitatur , an ali-

quid liceat , vel secus ; aliud
 practicum , seu quo dubitatur
 hic , & nunc de actionis hone-
 state . Ad dubia deponenda ex-
 dem fere adhibenda sunt regulæ ,
 quas Natalis præscribit pro Con-
 scientia erronea reformanda . Si
 autem post prudentem diligen-
 tiā adhibitat , adhuc persever-
 ret rationabilis dubitatio , dubi-
 tans tenetur sequi regulam juris :
In dubiis tutior pars eligenda
est , ut infra explicabimus .

priam libertatem abdicarunt. Nisi ergo gravis sit , & prudens dubitandi ratio , subditus debet dubium deponere , & acquiescere in judicio Superioris , ad quem pertinet interpretatio legum , & ipse est , qui praest , ac jubet vice Dei , & a Deo illustratur , ac dirigitur in regimine subditorum (a).

Q. 7. Quid , si dubitatio oriatur , an præcipiens sit legitimus Superior?

R. Si communis , aut majoris , sive sanioris partis subditorum opinio fayeat præcipienti , subditus tenetur ei parere , quamvis aliqui de ipsius auctoritate dubitent ; nam communis opinio in hujusmodi dubiis jus facit (b). Qua tamē in re non partium judicium , sed sapientum , & ab omni præjudicatae mentis affectu alienorum sequi tenetur , & in Superiorum majorum judicio acquiescere : & quamdiu de auctoritate controversia movetur , illi obedire , pendente lite , qui in possessione est , quia ut habet Regula Juris : *In dubiis melior est conditio possidentis.* Si vero communis , aut majoris , sive sanioris partis opinio nullam in hujusmodi viro auctoritatem agnoscat , & ne coloratum quidem Superioris titulum , dubitans non tenetur illi obedire , cum in dubio melior sit conditio libertatem suam possidentis (c).

C A P U T II.

De Conscientia scrupulosa.

Q. 1. **A**N liceat agere contra Conscientiam ex scrupulis ortam?

R. Quāmvis sperni debeant scrupuli , quando meros scrupulos esse compertum est , hoc est , inanes

D 4

suspi-

(a) Natalis Epist. 75.

(b) Colligitur ex I. Barbarius ff. de offic. Prætorum.

(c) Natalis Epist. 73.

suspiciones, timoresque vanos, ubi nulla est timendi ratio, nec ulla mali species; non tamen licet agere contra Conscientiam ex scrupulis ortam, nisi prior error deponatur (a). Porro, ut animadvertit (b) Gersonius, magnum est disserimen inter Conscientiam, & scrupulum Conscientiae: „Conscientia enim formata est, *inquit ille*, quando finaliter, idest post discussionem, & deliberationem, ex definitiva sententia rationis judicatur, & firmatur, aliquid esse faciendum, vel prosequendum, vel non faciendum, aut vitandum: & contra tallem Conscientiam formatam facere, etiamsi erranea sit, est peccatum. Timor vero Conscientiae, seu scrupulus est, quando non sic finaliter, idest, post discussionem, & deliberationem ex definitiva sententia judicatur, & firmatur, aliquid esse faciendum, aut prosequendum, vel non faciendum, aut vitandum; sed mens inter dubia vacillat, ne sciens quid sit melius, nec ad quid potius teneatur: non tamen quoquo modo vellet omittere, quod sciret esse placitum Divinæ voluntati. Et contra istum timorem, seu scrupulum Conscientiae facere, non semper est peccatum, licet periculosis valde sit, & quantum fieri potest, abiciendus, & extinguedus:

Q. 2. Quænam sint scrupulorum causæ?

R. Scrupuli plerumque oriuntur ex temperamento ad timorem proclivo, aut ex malancholia, aut ex jejuniorum, vigiliarum, orationum immoderatione: aliquando proveniunt ex diaboli tentatione: saepe etiam provenit, & angetur scrupulorum infirmitas ex similium personarum societate. Quamobrem non solum spiritualibus remediis, sed interdum etiam corporalibus procuranda est scrupulosorum tranquillitas,

(a) Ex C. per tuas 2. ext. de Simon.

(b) Tract. de natura & qualitate Conscientie.

litas, de Medicorum consilio: quod grave scrupulosis esse non debet, si hoc eis imperetur a suis Superioribus, aut Directoribus. Sejungendi etiam sunt ab aliorum scrupulosorum societate.

Q. 3. Quarum regularum adminiculo Conscientia scrupulosa deponenda sit?

R. S. Antoninus (*a*) præscribit 1. debitam ad gratiam præparationem. 2. Sollicitam S. Scripturæ indagationem (*b*). 3. Orationis devotæ continuacionem. 4. Opinionis tutæ electionem. 5. Obedientiæ humilis imitationem. 6. Scrupulorum animosam abjectionem. 7. Præceptorum prudentem interpretationem.

Pro hac autem interpretatione facienda, idem S. Archipræsul sequentia documenta tradit: 1. Ut inter duram, & benignam sententiam, benigna interpretatione, cæteris paribus, potius fiat; quia præcepta Dei, & Ecclesiæ imposita non sunt ad tollendam omnem spiritualem dulcedinem, quæ eorum nimis scrupulosa interpretatione tollitur. 2. Ut attendatur, nec Deum, nec Ecclesiam obligare ad impossibilia: impossibile autem videtur esse, quod vix possibile est ob nimiam difficultatem. 3. Nec Deum, nec Ecclesiam intendere, suis præceptis hominem amentem facere, idest obligare eo loco, & tempore, quo illorum observatione homo ridiculus fieret apud homines probos, & prudentes. 4. Ut in dubiis pro regula habeatur vita aliorum, qui boni sunt,

(*a*) 1. p. tit. 3. cap. 10. §. 10.

(*b*) Loquitur S. Antoninus de iis, ad quos pertinet, seu quibus congruit Sacras Scripturas perserutari. Vulgares autem homines; & idiotæ non solum non tenentur vacare studio Sacrarum Scripturarum, ut scrupulos devient, sive ut vita sua rationem

componant; sed ipsis hujusmodi studium obesse potest, non vitio Verbi Dei, quod optimum est; sed quia sublimitatem, ac profunditatem S. Scripturarum non omnes capiunt. Vide S. Thom. 2. 2. q. 1. ar. 9. ad 1., & Benedictum XIV. de Synodo; l. 6. c. 10. Sed de hoc alias.

sunt, & eo magis, quo sunt meliores; æquum enim est existimare, illos habere judicium rectum. 5. Ut in iis, quæ solum sunt mala, quia prohibita, attendatur consuetudo legitime præscripta, quæ legi positivæ derogat. 6. Ut in casu excommunicationis animadvertisatur, excommunicationem numquam incurri sine peccato mortali. 7. Ut circa observantiam legis humanae observetur, posse per virtutem æquitatis a peccato excusari illum, qui in aliquo casu eam prætermittit, ratione gravis periculi, quod vitari non possit, si serventur verba legis; quia Legislator cum tali periculo obligasse non censetur.

Sunt qui hoc statuunt generale documentum ad medendum scrupulis: Credere scilicet faciliter sapientum, & honorum judicio, & contra communes eorum sententias non leviter sibimet formare scrupulos. Et sane qui Superiorum, & prudentis, pii, doctique Directoris judicio contra scrupulos agere nolunt, vehementer errant; tum quod judicium, prudentiamque suam aliorum judicio superbe præponant; tum quod vix, aut ne vix quidem habere umquam possint veram devotionem, Conscientiae pacem, cum scriptum sit Psal. 75. *Factus est in pace locus ejus.*

Nec retardare scrupulosos debet a prosequenda Superioris, vel Directoris sententia, illius mediocris vel sapientia, vel prudentia, vel pietas. Non enim, ait idem Gersoninus, *commisisti te, & salutem tuam in manu hominis, quia prudens est, & plurimum litteratus, & devotus, sed quia tibi est secundum Regularem institutionem Præpositus, & Prælatus* Et tanto erit obedientia tua placentior Deo, tibique fructuofior, quanto est indignior ille, cui proprius Deum subjici non refugis. Denique concludit. *Cave, ne dum quaeris securitatem, nec illam adipiscaris, & in gravem ruas præsumptionis foveam.*

Hic autem nota, haud esse scrupulositatis indicium trepidare, ne forte displiceat Deo, quod a nobis

nobis rectum existimatur. Non enim id est scrupulositatis, sed justæ cautionis officium : nam, ut ait S. Gregorius (a). „ Quia culpæ subreptio, vel in „ ipso virtutis actu vix vincitur ; quid ad secunditatem superest, nisi ut studiose semper, & in virtute timeatur ? „

C A P U T III.

De Conscientia probabili, seu de Probabilitate.

Q. 1. **Q**UAM sententiam teneamur sequi, cum duæ opiniones occurruunt in aliqua materia morum?

R. Si duæ opiniones occurrant, quarum una favet legi contra libertatem, altera favet libertati contra legem, non licet agere secundum illam, quæ stat pro libertate, rejecta altera, quæ legi consona est, & probabilius. Id colligitur 1. ex præcepto charitatis, quo tenemur Deum ex toto corde relictæ probabiliori sententia, quæ favet legi, eligit minus probabilem faventem libertati contra legem. Quis enim sincerus amicus, ut suo commodo indulget, vult ea, ex quibus prævidet, amicum suum probabiliter offendit? 2. Ex verbis Apostoli (b) : *Ab omni specie mala abstinetе vos.* At nonne species mali præfert opinio probabilis favens libertati adversus legem, cum ejus objectum sit probabiliter in honestum? 3. Ex verbis Ecclesiast. 37. *Ante omnem actum consilium stabile præcedat te.* Quia autem dixerit, stabile esse consilium ex opinione minus probabilis? 4. Ex Doctrina S. Augustini (c), qui dogma Accademicorum refellens, nempe : *Cum agit quisque, quod ei probabile videtur, non peccat,*

nec

(a) L. 9. Mor. cap. 17. (b) 1. Thessal. 5.

(c) L. 3. contra Accadem. cap. 16.

nec errat; ostendit, hoc principium omnibus criminibus patrocinari, quia nemo est, cui non possit esse probabile, licium esse illud crimen, quod perpetrat. 5. Ex S. Thoma (*a*), qui loquens de habente plures Præbendas, in quamdam dubitationem inducit ex contrariis opinionibus, ait: *Si manente tali dubitatione plures Præbendas habet, periculo se committit, & sic procul dubio peccat.* At fieri ne potest, ut qui sequitur opinionem probabilem faventem libertati contra legem, relictæ probabiliori, in nullam dubitationem inducatur? Sane assensus ille minus probabilis est cum formidine erroris; & opinio minus probabilis est probabilius peccandi periculum. 6. Demum idipsum suadetur ex eo, quod maximæ sit imprudentiæ, in salutis æternæ negotio, relictæ probabiliori sententia, amplecti minus probabilem. Quis enim non imprudentiæ modo, sed & insaniae non damnet illum, qui affirmantibus aliis, escam esse veneno infectam, aliis minus probabiliter negantibus, horum opinioni adhærens, escam quasi innoxiam fecurus sumat?

Traditæ Doctrinæ nullo modo conformis est propositio damnata ab Alexandro VIII.: *Non licet sequi opinionem, vel inter probabiles probabilissimam.* Nam opinio probabilis favens cupiditati contra legem, non solum probabilissima non est, sed neque vere probabilis (*b*).

Q. 2. An extrinseca probabilitas morali opinioni securitatem conciliet?

R. Extrinseca probabilitas ex unius, vel plurium Scriptorum auctoritate petita, opinioni morali securitatem conciliare non potest, nisi opinio sit Legi Divinæ consentanea. Id exprimit S. Augustinus,

(*a*) Quodlib. 8. q. 6. art. 3.

(*b*) Natalis Epist. 49.

nus, (a) cum ait: *Solis eis Scripturarum Libris, qui jam Canonici appellantur, didici hunc timorem, honoremque deferre, ut nullum eorum Auctorem scribendo aliquid errasse, firmissime credam Alios autem ita lego, ut quantalibet sanctitate, doctrinaque præpolleant, non ideo verum putem, quia ipsi ita senserunt, sed quia mihi, vel per illos Auctores Canonicos, vel probabili ratione, quod a vero non abhorreat, persuadere potuerunt. Nisi ergo unius, vel plurium Scriptorum, aut Doctorum opinio sit Divinæ Legi consona, a peccato liberare non potest. Unde Innocentius XI. has propositiones damnavit: Generatim dum de probabilitate, sive intrinseca, sive extrinseca, quantumvis tenui, modo a probabilitatis finibus non exeat, consisti aliquid agimus, semper prudenter agimus* \equiv *Ab infidelitate excusabitur infidelis non credens, ductus opinione minus probabili. Et Alexander VII. hanc aliam propositionem confixit: Si liber sit alicujus Junioris, ac Moderni, debet opinio conseri probabilis, dum non constet, rejectam esse a Sede Apostolica tamquam improbabilem.*

Itaque morum regulæ ex Scriptura, ex Traditione, ex Ecclesiæ Canonibus &c., non ex solis hominum opinionibus depromendæ sunt, inde enim sumi debet Evangelica vivendi norma. Quamobrem doctrina morum a Veteribus, & Sanctis, magis quam a Recentioribus Auctoribus hauriri debet, juxta illud Eccles. 8. *Non te prætereat narratio seniorum: ipsi enim didicerunt a patribus suis. Sane Recentiorum opiniones, quæ nec Scriptura, nec Traditione, nec solidis, sed verisimilibus dumtaxat rationibus, aut extrinseca probabilitate, idest Recentiorum pariter Doctorum auctoritate nituntur, ab errore nullatenus distinguuntur. Nam, ut ait (b)*

S. Au-

(a) Epist. 82. al. 19. ad S. Hieronymum,

(b) L. de utilitate credendi, cap. 11.

S. Augustinus : *Quod intelligimus, debemus rationi : quod credimus, auctoritati : quod opinamur, errori.*

Q. 3. Quæ pars eligenda sit in dubiis?

R. In dubiis tutior pars est eligenda : quæ est Juris regula fundata in Jure naturali , quo prohibetur omnibus , ne se periculo peccati exponant , aut salutem suam in discrimen adducant , juxta illud Eccles. 3. *Qui amat periculum, in illo peribit.* Hinc in Clement. *Exivi, de verborum significat.* dicitur : *In his, quæ salutem animæ respiciunt, ad vitandos graves remorsus conscientiæ, pars securior est tenenda.* Ex quibus constat , regulam illam Juris non esse meruni consilium , sed præceptum , eamque non solius facti , sed juris etiam quæstiones spectare . Frustra vero objicitur Regula Juris Civilis : *In dubiis potior est conditio possidentis.* Nam possessio , nisi sit pacifica , nullum jus præbet : possessio autem , quam Probabilistæ obtendunt , pacifica numquam fuit . Præterea axioma illud tantum valet in foro exteriori , & in materia justitiæ commutativæ , non vero aliarum virtutum , nec in foro Conscientiæ . Nam forum judiciale pœnam irrogat , quæ ex se odiosa est ; & ideo dubia occurrentia explicari debent in favorem Rei . At forum Conscientiæ respicit emendationem Pœnitentis , qui proinde tenetur sequi partem tuiorem faventem legi , non sibi . Similiter aliæ virtutes , in hoc differunt a justitia commutativa , quod illæ nobis provideant , ista alienum jus procuret . Cum ergo nemo a sua possessione seipsum dejiciat , aut sibi litem intentet , jus istius possessionis inepte extenditur ad materiam aliarum virtutum .

Q. 4. An semper teneamur sequi sententiam tutiorum?

R. 1. Si duæ opiniones oppositæ judicentur æque , vel quasi æque probabiles , necessario eligenda est opinio tutior (a) . Nam inter opiniones æque probabi-

(a) Vide C. veniens , ext. de Presbyt. baptiz.

babiles animus est dubius; in dubiis autem tutior pars est eligenda.

2. Si ex duabus opinionibus una sit tutior, & altera ipsi opposita verior, ac probabilior, nemo tenetur sequi opinionem tutiorem; quia eligendo veriorem, & probabilem, nullo modo versatur in dubio, sed est moraliter certus; quandoquidem præsumptio vehemens pro certitudine habenda est (a).

3. Si ex duobus opinionibus oppositis æque probabilibus, exploratum non sit, quænam sit tutior; servandæ sunt regulæ a Jure præscriptæ (b), quas oportet sequi in dubiis. Hujusmodi sunt: *In dubio iudicandum, ut actus valeat potius, quam pereat (c)*. *In dubiis id sequendum, quod in regione, in qua actum est, frequentatur (d)*. Minime sunt mutanda, quæ interpretationem certam semper babuerunt (e). In pari causa possessor potior haberet debet (f); & standum potius pro Reo, quam pro Actore, nisi in causa favoribili, qualis est causa Matrimonii, libertatis, donis, & testamenti. Unde versus illi

*Stat testamentum, libertas, conjugium, dos:
Si sint æquales, qui producuntur utrimque.*

Alias ubi sunt opiniones discordes, Judex tenetur sequi opinionem communem (g). Denique in dubiis præferendum est; *quod benignius, quod verisimilius, quod plerumque fieri solet (h)*.

Q. 5. Quid faciendum, si nova aliqua emergat moralis quæstio, quæ a Theologis solvi non possit?

R. Si quæstio gravis emergat circa morum disci-
pli-

(a) C. afferte, ext. de præsumpt.

(b) Vid. tit. de Regulis Juris, de rebus dubiis, de Legibus.

(c) L. 1. ff. de rebus dubiis.

(d) L. semper in stipulat. ff. de reg. jur.

(e) L. minime, ff. de Legibus.

(f) Reg. 128. ff. de reg. Juris.

(g) Collig. ex C. novimus, ext. de verb. significat.

(h) Collig. ex l. semper in obscuris ff. de reg. Juris.

plinam , & ob fui novitatem , obscuritatem , difficultatem solvi a Theologis non possit , roganda est sententia Episcoporum , ac præsertim Romani Pontificis . Hinc solemnis consuetudo ab antiquis temporibus in Ecclesia semper observata , ut in causis majoribus , & difficilibus fidem , vel mores spectantibus , Sedis Apostolicæ sententia rogaretur , ejusque responsum instar legis haberetur (a) . Id constat ex Jure Canonico , cuius maxima pars complectitur responsa Romanorum Pontificum ad quæstiones , quas totius Orbis Christiani Episcopi ad Sedem Apostolicam referebant .

Q. 6. An in concursu duarum opinionum seligenda sit , quæ melioribus rationibus nititur ?

R. Cum S. Scripturæ , Patrum , & Canonum auctoritate quæstiones morales solvi non possunt , opinio feligi debet , quæ melioribus rationibus nititur , & a Theologis numero , doctrina , pietate præstantioribus asseritur . *Sana* quippe ratio etiam exemplis anteponenda est , ut ait S. Augustinus (b) , & referatur Can . *Sana* , d . 9. Magis ergo ponderandæ sunt rationes , quam numerandi Auctores , qui sæpe alios sequuntur , eunt , non quo eundum est , sed quo itur . Hinc Rom . Rota , & Sacr . Congregatio in casibus emergentibus sequuntur opiniones , quæ firmiter rationibus fulciuntur .

Q. 7. An Medicus in medicinæ praxi teneatur sequi opinionem probabiliorem ?

R. Affirmative : etenim Medicus nihil debet omittere , ut quantum in ipso est , sanitatem ægri procuret : quod nisi præstet , peccat non solum contra charitatem , sed etiam contra justitiam , quia deest suo officio . Medico igitur non licet sequi in medicinæ praxi opinionem minus probabilem , præbendo medicamenta , quæ probabilius nocitura sunt ægerto ,

(a) Vide Epist . Innoc . I . Epist . ad Exuperium .

(b) Lib . 1 . de Civit . c . 22 .

to, quam profutura (a); & id faciens foret homicida: nam ut dicitur Can. *abſit*, d. 50. *Hoc non eſt curare, ſed, ſi dicere verum voluimus, occidere.*

Q. 8. An Judex poſſit ſequi opinionem minus probabilem, poſthabita probabiliori?

R. Negative: ſiquidem Judex eſt in terris miſter Dei, qui Veritas eſt, ideoque debet judicium ſuum cum veritate conformare: id autem minime præſtaret, ſi relictā probabiliori, ſequeretur opinionem minus probabilem. Quare non potheſt Judex abſque personarum acceptione, ſententiam ferre in gratiam partis, pro qua militant rationes levioris momenti, adverſus aliam partem, pro qua proferuntur rationes validiores. Nec etiam debet niti exemplis, aut præjudiciis, ſed legibus, & iuſtitia. Non enim ſi quid non bene dirimatur, hoc de in aliorum Judicium uitium extendi oportet (b). Alexander VII. hanc propoſitionem damnavit: *Quando litigantes habent proſe opinioneſ æque probabiles, poſteſt Judex pecuniam accipere pro ferenda ſententia in favorem unius præ alio.* Et Innocentius XI. hanc aliam proſcripsit: *Probabiliter exiſtimo, Judicem poſſe judecari juxta opinionem etiam minus probabilem.*

Q. 9. An Princeps, vel Republica in bello indecendo, ſequi licite poſſint opinionem minus probabilem.

R. Negative: Iniquum eſt enim, ut Rex, qui pacifice Regnum poſſidet, vi dejiciatur e ſua poſſeſſione, in paritate opinionum utrimque probabiliū; & multo magis, ſi ejus jus nitatur momentis probabilioribus: quandoquidem in pari cauſa melior eſt conditio poſſidentis.

Q. 10. Quæ ſententia eligi debeat in adminiſtratione Sacramentorum?

Tom. III.

E

R. In

(a) Coll. ex C. tua nos, ext. de homic.

(b) L. nemo, C. de ſentent. & interloc, omnium Judicium.

R. In Sacramentis administrandis licitum non est sequi opinionem minus probabilem, minusque tutam, relictā probabiliōri, ac tūtiori; quia validitas Sacramenti periculō exponeretur. Unde Innocentius XI. hanc propositionem damnavit: *Non est illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relictā tūtiore, nisi id vetet lex, convention, aut periculum gravis damni incurriendi.* Hinc sententia probabili tantum utendum non est in collatione Baptismi, Ordinis Sacerdotalis, aut Episcopalis.

Peculiari etiam ratione non licet Sacerdoti in administratione Sacramenti Pœnitentiæ sequi opinionem minus probabilem, relictā probabiliōri, ac tūtiori; quia ipse fungitur officio Judicis, & Medicis: Judex autem, & Medicus tenetur sequi opinionem probabiliōrem, ut dictum est.

Ex quo sequitur, Confessario licitum non esse iudicium suum accommodare opinioni minus probabili pœnitentis: alioquin non ipse, sed pœnitens Index esset in sacro Tribunali; ideoque graviter peccaret, ministerium suum prodendo. Idem dic, si pœnitentem absolvat minus probabilem opinionem sequuntum, & in ea perseverantem: nam talis non esset vere pœnitens, quia præter peccatum commissum, haberet etiam erroris contumaciam, & peccandi propositum cum tali errore conjunctum.

Q. II. An vir Theologus consilium dare possit secundum opinionem, quæ ipsi videtur minus probabilis, & minus tuta?

R. Negative: nam, ut ait S. Ambrosius (a): *Hoc est consilium Dei habere, explorare diligenter omnia, & quæ meliora sunt, suadere; quæ tūtiora demonstrare.* Profecto si, ubi de vita agitur, vel de bonis fortunæ, licitum non est præbtere proximo aliquod consilium

(a) Epist. 63. n. 29.

filiū probabilius nocitūrum, quam profuturū ipsius saluti, aut rebus; quanto minus lícitum erit viro Theologo dare consilium in rebus animæ secundum opinionem minus probabilem, ac minus tutam?

Q. 12. An liceat exquirendæ sententiæ causa, varios adire Doctores, seu casuum Arbitros?

R. Si quis studio cognoscendæ veritatis, vitandi erroris, exquirendæ sententiæ legi Dei consentaneæ, varios Doctores, seu casuum Arbitros adeat, laudabiliter facit; agitur enim de re, in qua, ut Lactanius (*a*) ait, *Si quid fuerit erratum, vita omnis revertitur*. At si varios Doctores adeat ea intentione, ut ex eorum opinionibus illam feligat, non quæ probabilior, & tutior, sed quæ commodior visa fuerit; id nihil aliud videtur esse, quam coacervare sibi Magistros prurientes auribus, & a veritate auditum avertere, ut loquitur Apostolus (*b*).

Q. 13. An homines ignari, & rudes possint tuta conscientia aliorum consilium sequi.

R. Nendum ignari, & rudes, sed & scrupulosi tuta conscientia sequi possunt consilium Pastoris sui, aut conscientiæ Moderatoris, in illis rebus, quæ legis naturalis in omnium cordibus exaratæ lumine cognoscere non possunt, & quas absque sua culpa ignorant, ambulantes cum timore, & de sua salute solliciti. Si enim decipientur, non extrinseca probabilitas, sed ignorantia invincibilis illos excusat (*c*).

(*a*) Lib. 3. Institut. cap. 7. (*b*) 2. Tim. 4.

(*c*) Natalis Epist. 47.

TRACTATUS III.

De Vitiis Capitalibus.

Septem vulgo recensentur Capitalia Vitia, scilicet Superbia, Avaritia, Luxuria, Invidia, Gula, Ira, & Acedia. S. Gregorius (*a*) Superbiam ponit extra numerum horum vitiorum, eo quod est omnium vitiorum regina; statuit vero inanem gloriam Vitium Capitale: quam sententiam sequitur S. Thomas (*b*). Hæc Vitia dicuntur Capitalia, quia sunt veluti principia cæterorum.

CAPUT I.

De Superbia.

ARTICULUS I.

De quidditate, speciebus, & gradibus Superbie.

Q. I. **U**id sit Superbia? & quale peccatum?
R. Superbia est excellentiæ propriæ inordinatus amor; sive, ut ait (*c*) S. Augustinus, Perverse celstudinis appetitus. Est quodam sensu peccatum generale, quatenus ex ea omnia vitia oriri possunt; sive per se, quatenus ad propriam excellentiam ordinantur; sive per accidens, quatenus superbus Divinam Legem contemnit, qua prohibetur, ne pecet. Ratione tamen objecti, idest propriæ excellentiæ inordinate appetitæ, est peccatum speciale.

Ex genere suo superbia est peccatum mortale; dicitur enim Is. 28. *Væ coronæ superbie.* Verum, inquit

(*a*) Lib. 31. Mor. cap. 17. (*b*) 2. 2. q. 132. art. 4.

(*c*) Lib. 14. de Civit. cap. 33.

quit (a) S. Thomas, *aliqui motus superbiæ sunt peccata venialia, dum eis ratio non consentit.*

Vulgo superbia censetur Vitium Capitale, quatenus est speciale peccatum, ex quo multa peccatorum genera derivantur. Dicitur autem vitiorum regina, secundum generale influxum, quem exercet in cætera peccata.

Primum, gravissimumque omnium peccatorum superbia est. Primum quidem; tum ratione aversionis, quæ ad superbiam per se, ad alia vero peccata ex consequenti pertinet; tum quia cætera vitia ex superbia oriri possunt. Est autem ex genere gravissimum peccatorum ratione aversionis a Deo: nam, ut animadvertisit (b) S. Thomas, *averti a Deo, & ejus præceptis, quod est quasi consequens in aliis peccatis, per se ad superbiam pertinet, cuius actus est Dei contemptus.* Hinc illud Boetii: *Cum omnia vitia fugiant a Deo, sola superbia se Deo opponit.* Quare dicitur Jac. 4. *Deus superbis resistit.* Præterea alia peccata graviora fiunt ex superbia: nam infidelitas, desperatio &c. evadunt graviora, si fiant ex superbia, quam si procedant ex infirmitate, vel ignorantia.

Denique superbia est vitiorum omnium periculosissimum; tum quia, ut ait S. Gregorius (c), *alia virtus eas solummodo virtutes impetunt, quibus ipsa destruuntur Superbia autem nequaquam unius virtutis extinctione contenta, contra cuncta animæ membra se erigit, & quasi generalis, ac pestifer morbus corpus omne corruptit.* Tum quia, ut loquitur (d) S. Augustinus: „Vitia cætera in peccatis, superbia vero etiam in „recte factis timenda est, ne illa, quæ laudabiliter „facta sunt, ipsius laudis cupiditate amittantur.“ Tum quia maxime insidiatur justis, ut eos dejiciat;

(a) s. 2. qu. 162. art.

(b) Ibid. art. 6.

(c) Lib. 3. Mor. cap. 18.

(d) Epist. 218. xl. 56. n. 22.

*I*n quo dicitorem quemque cœperit, eo in dominio durior exsurgit: quia quo amplius res virtutis sine humilitate agitur, eo latius ista dominatur, inquit (a) S. Gregorius. Tum tandem, quia superbia ultimo destruitur in hominis animo, Deo illam non cito sanante, ne de ipsa devicta homo superbiat, ut docet (b) S. Augustinus. Quamobrem justi debent perpetuo vigilare, ne superbia obrepat, recogitantes illud ejusdem (c) S. Augustini: *Vere ille immaculatus est, qui etiam hoc delicto caret: quia hoc est ultimum redemptibus ad Deum, quod recendentibus primum fuit.*

Q. 2. Quot sint species Superbiæ?

R. Hujus tam periculosi vitii quatuor species, seu modos explicat (d) S. Thomas. 1. Cum quis bona sive corporis, sive animæ, sive naturalia, sive supernaturalia habere putat a se ipso. 2. Cum illa, quæ habet, bona agnoscit quidem a Deo, sed ea meritis suis tribuit; vel ita apud se existimando; vel volendo, ut alii ita sentiant; vel opere externo ita se gerendo, ac si meritis suis illa consequitus esset; vel illa sic habere desiderans; vel dolens, quod ita non habeat. 3. Cum quis arrogat sibi ea bona, quæ vere non habet, cujuscumque sint generis, idque sive in sua, sive in aliorum opinione, sive opere, sive desiderio. 4. Cum despiciens cæteris, videri satagit, aut peroptat singulariter habere, quod habet, aut aliis scientia, virtute aliquæ sive corporis, sive animi dotibus, & sive naturæ, sive gratiæ, sive fortunæ bonis antecellere.

Hæ quatuor species superbiæ sunt peccata mortalia, si motus superbiæ sint deliberati. Tertiam, & quartam ob levitatem materiæ quandoque excusari a mortali, non ignobiles Theologi censem: nam si cum

(a) Loco cit. (b) Lib. de nat. & grat. cap. 28.

(c) Enqr. 1. in Psal. 18, n. 17. (d) 2. 2. q. 162. 2r. 4.

si cum gravi Dei irreverentia , vel gravi damno , aut contemptu proximi conjunctæ sint , certum est , esse peccata lethalia ; v.g. si quis de dotibus ad Ecclesiæ regimen , vel ad gerendos Magistratus necessariis , quibus tamen destitutus est , ad Ecclesiasticas Dignitates , vel ad publica Munera capessenda glorietur . Si quis se locupletissimum simulat , talemque malis artibus haberi curet , ut in amplissimam , ac ditissimam familiam nubat , cum revera sit inops . Si quis ne a familiæ suæ claritate degenerare videatur , ingentia debita contrahat , quibus solvendis se non satis futurum prævidet . Si quis ita fortunæ bonis , aut potentia , scientia &c. insolecat , ut ad excellentiam propriam velut ad ultimum finem actiones suas dirigat , Divinam Legem transgredi , proximosque conculcare paratus , ut excellentiam suam , vel conceptam de illius singularitate opinionem tueatur .

Q. 3. Quot sint gradus superbiæ?

R. S. Bernardus duodecim gradus superbiæ designat , scilicet curiositatem , mentis levitatem , ineptam lætitiam , jactantiam , singularitatem , arrogantiæ , præsumptionem , defensionem peccatorum , simulatam confessionem , rebellionem , libertatem , & peccandi consuetudinem . Hi gradus non solum superbiæ species , sed etiam quædam antecedentia , & consequentia complectuntur (a).

ARTICULUS II.

De Humilitate .

Q. 1. Uid sit Humilitas , & quæ ejus necessitas , & excellentia ?

R. Humilitas est virtus temperans , & refrænans animum , ne immoderate tendat in excelsa (b) . Magnanimita-

(a) Vide S. Thom. 2. 2. q. 162. a. 4. ad 4.

(b) Ibid. qu. 161. a. 1.

mitati non opponitur. *Humilitas enim reprimit appetitum, ut tendat in magna præter rationem rectam.* *Magnanimitas autem animum ad magna impellit secundum rationem rectam (a).*

Humilitatis necessitatem ad salutem æternam ostendunt verba Christi (b): Nisi conversi fueritis, & efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in Regnum Cœlorum.

Humilitas appellatur virtutum ærarium (c); compendium omnium Christianæ Religionis præceptorum (d); tota Christianæ Sapientiæ disciplina (e); virtutis caput, sapientiæ mater (f); cœlestis ædificii firmissimum fundamentum (g): non quod per eam primus fiat accessus ad Deum; id enim ad fidem pertinet; sed quatenus expellendo superbiam, hominem Deo subjicit, ut influxum Divinæ gratiæ suscipiat (h); quia si nutet illa, virtutum aggregatio non nisi ruina est (i).

Hanc ergo Christiani omnes custodire debent, 1. quidem, ut Deum ad se allitant, qui ait Is. 66. *Ad quem respiciam, nisi ad pauperculum, & contritum spiritu, & trementem sermones meos?* 2. Ut Christianorum appellatione digni sint; nam a Christo appellantur, cuius *Evangelium nemo intuetur, qui non eum doctorem humilitatis inveniat (k)*. 3. Ut suos vincent hostes; nam tota *victoria Salvatoris, que & diabolum superavit, & mundum, & humilitate cepta, humilitate confecta est (l)*. 4. Ut beati sint; ab ea enim Christus beatitudines auspicatur, eum ait Matth. 5. *Beati pauperes spiritu.*

Porro illi maxime debent esse hujus virtutis se-
ctato-

(a) S. Thom. qu. cit. ad 3. (b) Matth. 18. (c) S. Basil. Monast. Confit. c. 16. (d) S. Aug. Epist. 118. al. 56. n. 12. (e) S. Leo Ser. 7. de Epiph. (f) S. Chrysost. Hemil. 48. in Matth. (g) Cessianus lib. 12. can. 31. (h) S. Thom. 2. 2. qu. 161. art. 5. ad 3. (i) S. Bernard. lib. 5. de Confid. cap. 14. (k) S. August. lib. San. Virg. cap. 32. (l) S. Leo Serm. cit.

statores, qui magno bono aliquo cæteris eminent, juxta illud Eccl. 3. *Quanto magnus es, humilia te in omnibus, & coram Deo invenies gratiam.* Ex quo colligit S. Augustinus (*a*), Virgines cæteris humiliiores esse debere, pura sancta virginitas magnum bonum est.

Q. 2. Quæ sint Christianæ humilitatis officia?

R. Duo præcipua sunt. 1. Hominem Deo subjicere; 2. deprimere infra cæteros homines. Quid æquius, quam subjici Deo, cuius respectu nihil sumus, & si quid sumus, ab ipso, & per ipsum sumus? Quod vero humilitas cæteris hominibus hominem subdat, docet Apostolus Phil. 2. *In humilitate superiores sibi invicem arbitrantur.* Verum quia, ut ait S. Augustinus (*b*), *Humilitas in parte veritatis, non in parte falsitatis collocanda est*, explicare oportet, qua ratione humilitas infra cæteros homines nos deprimat. Itaque cum in homine duo possint considerari, scilicet id quod est Dei, & id quod est hominis; quilibet homo secundum id quod est suum, debet se aliis subjicere quantum ad id, quod est Dei in ipsis, idest alios sibi anteferre secundum dona Dei, quæ in illis agnoscit. Non requirit autem humilitas, ut quis dona Dei sibi collata existimet minora iis, quæ alteri collata sunt; neque ut peccata sua, vel defectus comparans cum manifestis aliorum peccatis, ac defectibus, se magis peccatorem quilibet alio existimet. Potest autem, imo & debet existimare qui vere humilis est, aliquid boni esse in proximo, quod ipse non habet; vel aliquid mali in se esse, quod in alio non est (*c*).

Ut primum humilitatis officium homo impleat, necessaria est ipsi cognitio Dei; ut alterum, cognitio fui.

(*a*) Loco cit. (*b*) Lib. de Nat. & Grat. cap. 34.

(*c*) Vide S. Thom. 2. 2. q. 161. art. 3.

sui. In qua dupli cognitione summa salutis posita est (a).

Quamvis autem in externis humilitatis actibus, sicut in actibus cæterarum virtutum, servanda sit moderatio, præsertim ab iis, qui alios regunt, ne dum nimium servatur humilitas, regendi frangatur auctoritas (b); tamen in affectu, & opinione etiam Prælati debent subditis se proponere. Quid scis enim, inquit S. Bernardus (c), si unus ille, quem forte omnium vilissimum, atque miserrimum reputas melior & te, & illis, mutatione dexteræ Excelsti, in se quidem futurus sit, in Deo vero jam sit? Nemini ergo debet se homo præponere, imo nec compare. Sane qui absque palpatione se dijudicat, procul dubio humiliatur in oculis suis. Verum si displicet ei, ut alii de ipso similiter sentiant, necessitate, non voluntate humiliatur. Cognitio proprii defectu (ait (d) S. Thomas) pertinet ad humilitatem, sicut regula quedam directiva appetitus, sed in ipso appetitu consistit humilitas essentialiter.

Q. 3. Quot fint humilitatis gradus?

R. S. Thomas (e) ex SS. Benedicto (f), & Bernardo (g) duodecim recenset gradus humilitatis.
 1. Est timor Dei, & perennis præceptorum ejus memoria, atque æternæ retributionis per gloriam, vel supplicium, quæ nos expectat. 2. Abdicatio propriæ voluntatis, ejusque ad Divinam accommodatio. 3. Obedientia Majoribus, & præcipue Præpositis. 4. Ut in ipsa obedientia in duris, & contrariis rebus, vel irrogatis injuriis homo patientiam amplectatur, nec deficiat, sed ad finem usque perseveret. 5. Ut suas pravas cogitationes, & mala clam

com-

(a) Vide S. Bernard. Serm. 36. in Cant. (b) S. Aug. in Reg.

(c) Serm. 37. in Cant. (d) 2. 2. q. 161. a. 2. (e) Qu. cit. a. 6.
 (f) In Reg. c. 7. (g) Tract. de grad. humil.

commissa, humiliter suæ conscientiæ Moderatori aperiatur. 6. Ut abjectionem omnem, contemptumque sui libenter ferat, & in omnibus suis operibus se operarium malum, & inutilem existimet. 7. Ut omnibus se viliorem, & inferiorem non solum lingua pronunciet, sed intimo affectu credat. 8. Ut nihil agat, Monachus quidem contra Regulam, & Majorum exempla; Christianus vero quilibet præter id quod docet Evangelium, & Ecclesia proponit, & approbat. 9. Ut linguam coerceat, ne loquatur, nisi ob Dei gloriam, & rerum suarum, proximique necessitatem. 10. Ut non facile solvatur in risum, & ineptam lætitiam. 11. Ut cum loquitur, leniter, sine risu, humiliter, & cum gravitate, pauca verba, & prudentiæ sale condita, non clamosa, sed submissa voce proferat. 12. Ut non solum animo, sed toto corporis habitu, in omni loco humilitatem præseferat.

Q. 4. Quæ sint rationes ad humilitatem incitan tes?

R. Ad humilitatem maxime movere nos debent.
 1. Originis nostræ consideratio; sumus enim in ortu sperma fœtidum; sumus in vita foccus sterorum; erimus post mortem cibus vermium. 2. Ægreditinum, ac miseriarum animæ consideratio, ignorantia scilicet, difficultatis ad bonum agendum, & ad domandam concupiscentiam; meditatio quoque peccatorum præteriorum, quotidianorum, occultorum. 3. Recordatio judiciorum Dei, superbis præfertim imminentium, æternæque fortis nostræ ignoratio, qua nescimus, an non solum in præsenti, sed etiam in futuro, amore, vel odio digni simus. Hæc paucis complectitur S. Bernardus (*a*): Cogita, unde veneris, & erubesce; ubi sis, & ingemisce; quo vadis,

¶ con-

(a) Serm. 12. de Div.

de contremisce. 4. Exemplum Christi , qui ad hoc natus est , vixit , passus , & mortuus est , ut superbum non esse hominem doceret humilis Deus (a) ; atque ut jam tandem erubescat homo esse superbus , propter quem factus est humilis Deus (b).

ARTICULUS III.

De inani gloria.

Q. 1. **Q**uid sit inanis gloria?

R. Est perversus , *de inordinatus gloriæ appetitus*. Gloria est clara cum laude notitia . Laudis appetitus non est ex se vitiosus ; cum peccatum non sit cognoscere , & approbare quæ a Deo donata sunt nobis , aut quod aliquis velit bona sua approbari . Quia tamen vanum appetere , vitiosum est , ideo vitiosa est inanis gloria . Porro gloria dicitur vana tripliciter , uno modo *ex parte rei* , de qua quis gloriam querit , puta , cum quis querit gloriam de eo , quod non est (seu de bono , quo caret , & quo se prædictum falso existimat , vel existimari cupit) ; vel de eo , quod non est gloria dignum , sicut de aliqua re fragili , *de caduca* . Alio modo *ex parte ejus* , a quo quis gloriam querit , puta hominis , cuius judicium non est certum . Tertio modo *ex parte ipsius* , qui gloriam appetit , quia videlicet appetit gloriæ suæ non refert in debitum finem , puta ad honorem Dei , vel proximi salutem (c) .

Ex quibus constat , inanem gloriam magnanimitati oppositam esse , quia magnitudini animi repugnat , ut quis glorietur , vel de his quæ non sunt , vel de modicis , & caducis , vel ut nimium delectetur testimonio laudis humanæ (d) .

Q. 2.

(a) S. Greg. l. 34. Mor. cap. 18.

(b) S. August. Enar. 2. in Psalm. 18. n. 15.

(c) S. Thom. 2. 2. q. 132. a. 1. (d) Ibid. n. 2.

Q. 2. An vana gloria sit peccatum mortale?

R. Quamvis vana gloria non sit ex genere suo peccatum mortale, cum ex se non repugnet dilectioni Dei, & proximi; dilectioni tamen Dei quibusdam in casibus opponitur, ideoque mortale peccatum esse potest, ut docet S. Thomas (a), ratione materiae, de qua quis gloriatur, cum scilicet gloriatur de aliquo falso, quod contrariatur divinae reverentiae. Sic peccant, qui de donis Dei gloriantur, quasi illa non accepissent. Qui ex falsis, novisque opinionibus contra fidem, aut bonos mores gloriam captant; aut gloriae desiderio aliquid ad fidem pertinere docent, quod tale esse Ecclesia nondum declaravit. Item, qui de peccato mortali gloriantur, sive vere illud commiserint, sive non; & qui de peccatis lethabilius laudari amant.

Lethale etiam inanis gloriae peccatum committit, qui bonum temporale, de quo gloriatur, præfert Deo (b). Dicitur enim Jerem. 9. Non glorietur sapiens in sapientia sua ... sed in hoc glorietur, qui gloriatur, scire, & nosse me.

Similiter peccat, qui præfert testimonium hominum testimonio Dei (c). Hujusmodi sunt hæretici, necnon Doctores, Auctores, Prædicatores, qui propositiones hæreticas, vel hæresi proximas, erroneas, scandalosas, aut piarum aurium offensivas, Ecclesiae, vel Episcoporum, ac præcipue Romani Pontificis iussu ejurare nolunt, & retractare, ne partæ famæ jacturam faciant, aut imminutionem ejus patiantur. Item, qui ob hominum rumores, & judicia, aut vituperationem, necessarium virtutis officium prætermittunt; aut Deo ad perfectioris vitæ genus interius vocanti non obediunt.

Mortaliter etiam peccat, ut docet (d) S. Thomas,

(a) S. Thom. qu. cit. art. 3. (b) Ibid.

(c) Ibid. (d) Ibid.

mas, qui intentionem suam refert ad gloriam tamquam ad ultimum finem, ad quem scilicet ordinat etiam virtutis opera, & pro quo consequendo non praetermittit facere etiam ea, quae sunt contra Deum. Ita peccant, qui metu infamiae ab aliquo intentatæ mortaliter peccant; Qui ob lethale peccatum, aut finem cum eo conjunctum, gloriam, aut humanam laudem au-cupantur, verb. grat. ut mulieris alicujus pudicitiam expugnant, ut ad dignitatem, vel officium aliquod perveniant, cum sint indigni. Item qui dignitates, vel officia adepti immerentes, gloriam emendicant, vel emunt, conductis hominibus, qui egregia de ipsis prædident, ne muneribus illis impares existentur. Qui mavult grave damnum proximo inferre, quam famæ suæ discrimen subire, v. g. Medicus, qui Medicum alterum ipso forte doctorem, & majoris experientiæ recusat accersere, ut ægrotum periculo laborantem communi consilio cu-rent; Theologus imperitus, aut semidoctus, qui ad difficiles morales casus respondet, doctoribus inconsultis, ne imperitus, aut minus doctus vi-deatur.

Extra casus recensitos inanis gloria est peccatum veniale, maxime tamen pericolosum; tum quia bonum opus meritum amittit, si fiat ob vanam gloriam; tum quia, ut docet S. Thomas (a), *inanis gloria est dispositio ad gravia peccata, inquantum scilicet per inanem gloriam redditur homo presumptuosus, & nimis de seipso confidens.* Et sic etiam paulatim disponit ad hoc, quod homo privetur interioribus bonis. Tum quia homines etiam justi plerumque putant, se gloria, & laude humana delectari ob aliorum spiritualem utilitatem, cum tamen eam ament propter seipsos. Nam utilitate proximi moveor in laudibus meis

(in-

(a) S. Thom. 2. 2. q. 142. ar. 3. ad 3.

(inquit *(a)*) S. Augustinus), cur minus moveor, si quisquam alius injuste vituperetur, quam si ego? Ut ergo periculum devitemus, sequamur oportet monitum ejusdem S. Augustini *(b)*, ut scilicet, cum aliis nos laudant de recte factis, magis gratulemur illis, quibus recta placent, quam nobis ipsis, qui recte viveremus, etiam si nemo laudaret; gaudentes, quod Deus in nostra vita bona ab aliis honoretur.

Q. 3. Quæ remedia adhibenda sint adversus inanem gloriam?

R. Considerare juvat 1. ipsius inanis gloriæ vanitatem, quia nihil est. 2. Operum nostrorum defectus plurimos, frequentissimos, saepe nobis ignotos. 3. Deum esse, qui operatur in nobis velle, & perficere pro bona voluntate. 4. Præmium æternæ gloriæ, quo inanis gloria nos frustratur, permutans spem illius in mercedem transitorii favoris. 5. Exemplum Christi *(c)*, qui vanam gloriam fugiendam verbis, & factis docuit, dum jussit miracula sua celari. 6. Avertendi sunt oculi a bonis operibus nostris, & reflectendi in defectus, ac peccata nostra. 7. Recurrentum est ad divini judicii considerationem, ejusque subtile examen metuendum. Quo spectat illud S. Gregorii *(d)*: *Si distinctionem Judicis vigilanter attenderent, plus de malis suis metuerent, quam de imperfectis bonis exultarent.*

ARTICULUS III.

De filiabus inanis gloriæ.

SSeptem hujus vitii filias recenset S. Gregorius *(e)*, Inobedientiam, Jaçtantiam, Hypocrisim, Contentionem, Pertinaciam, Discordiam, & novitatum Pra-

(a) L. 10. Confess. cap. 37.

(b) L. 2. de Serm. Dom. in monte, cap. 1. *(c)* Matth. 9.

(d) L. 22. Mor. cap. 5. *(e)* L. 31. Mor. cap. 37.

Præsumptionem. Hæc vitia dicuntur filiæ inanis gloriæ, quia ordinantur ad manifestationem propriæ excellentiæ, quæ est finis vanæ gloriæ. Vitia porro, quæ ad finem alicujus vitii capitalis ordinantur, dicuntur ejus filiæ.

§. I.

De Inobedientia.

Q. Uid sit inobedientia? & cujas gravitatis?

R. Inobedientia est peccatum, quo violatur præceptum superioris, ex contemptu (a). Si contemptus est perfectus, hoc est, si quis ita est affectus, ut nulli superiori parere velit, quidquid præcipiat, & ideo renuit aliquid agere, vel pati, quia præceptum est; inobedientia est peccatum mortale etiam in rebus minimis; est enim contra charitatem Dei, quæ exigit, ut divinis mandatis obtemperemus, quorum unum est, parere superioribus: nam qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit (b). Est etiam contra dilectionem proximi, quatenus inobediens superiori, proximo subtrahit obedientiam, quam ei debet (c).

Ad dignoscendam inobedientiae gravitatem, hæ statuuntur regulæ. 1. Inobedientia tanto est gravior, quanto qui præcipit, est superior. Hinc magis peccat, qui Deo, quam qui homini non obedit (d).

2. Inobedientia, qua contemnitur divinum mandatum, est eo gravior, quo melius est, & majoris momenti, quod Deus præcipit: nam, ut observat S. Thomas (e), quanto aliquid est melius, tanto Deus vult illud magis impleri: unde gravius est non obdire præcepto de dilectione Dei, quam præcepto de dilectione proximi,

3. In

(a) S. Thom. 2. 2. q. 105. ar. 1. (b) Rom. 13.

(c) S. Thom. loc. cit. (d) Idem ibid. ar. 2. (e) Ibid.

3. In iis, quæ solum præcipiuntur ab homine, quia homo non semper magis vult, quod est melius, ideo ait S. Thomas (a) : *Non est gravius peccatum ex eo. quod majus bonum præteritur, sed ex eo, quod præteritur illud, quod est magis de intentione præcipientis.*

4. „ Inobedientia , qua contemnitur præceptum hominis , levior est peccato , quo contemnitur ipse præcipiens ; quia ex reverentia præcipientis procedere debet reverentia præcepti . Et similiter , peccatum , quod directe pertinet ad contemptum Dei , sicut blasphemia , vel aliquid hujusmodi , gravius est eo , in quo contemnitur solum Dei (b) præceptum (c) . “

§. II.

De Jactantia , & Ironia .

Q. I. **Q**UOMODO definitur jactantia ? & quale peccatum sit ?

R. Jactantia est peccatum , quo homo verbis se extollet supra id , quod in se est secundum rei veritatem , aut secundum aliorum opinionem . Oritur frequentius ex superbia , & ad inanem gloriam , ut ad finem tendit . Quandoque procedit ex sola vanitate , & pro fine habet solam delectationem , vel lucrum jactatoris , ut in iis , qui se peritos Medicinæ , vel divinationis jactant .

Tom. III.

F

Ja-

(a) S. Thom. 2. 2. q. 105. a. 2.
(b) Ibid.

(c) Nota ex S. Thoma q. cit. ar. 1. ad 1. quod licet omne peccatum mortale sit inobedientia materialiter , quia importat transgressionem divini præcepti ; non tamen cit inobedientia proprie , ex per se lognendo , sed solum tunc , quando aliquis præceptum

contemnit , quia ex fine morales actus speciem habent . Cum autem aliquid sit contra præceptum , non propter præcepti contemptum , sed propter aliquid aliud , est inobedientia materialiter tantum (nisi sit transgressio præcepti , ad quod præcise ex obedientia teneatur), sed pertinet formaliter ad aliam speciem peccati .

Jactantia est peccatum mortale, 1. cum quis jactanter de se profert, quod est contra gloriam Dei, ut se jactavit Rex Tyri (a). 2. Cum proximo debitam charitatem extinguit, puta, cum aliquis jactando seipsum, in aliorum contumelias prorumpit, ut Phariseus Publicano insultans, de quo legitur Luc. 18. 3. Cum quis jactatur de peccato mortali. 4. Cum jactantia procedit a superbia, vel ab inani gloria, quae est peccatum mortale, ut si quis se extollat, ut alterius merita obumbret, illiusque estimationem minuat. 5. Cum quis se jactat ob lucrum aliquod illicitum, & cum gravi proximi damno conjunctum; vel ut Beneficium Ecclesiasticum, aut quamlibet Praefecturam obtineat, quibus est indignus. 6. Qui se jactat, ut iurgia concitet, peccat mortaliter, quia Deus detestatur illum, qui seminat discordias (b). Si tamen jactantia sit causa iurgiorum non per se, sed per accidens, non est peccatum mortale.

Est autem jactantia peccatum veniale, 1. si quis aliqua de se jactet, quae non sunt, nec contra Deum, nec contra proximum. 2. Si se jactet delectationis causa, quod pertinet ad mendacium jocosum, nisi forte hoc divinæ dilectioni præferret, ut propterea Dei præcepta contemneret. 3. Videtur jactantia ad mendacium officiosum pertinere, cum aliquis de hoc se jactat, ut gloriam, vel lucrum acquirat; dammodo hoc sit sine damno aliorum; alioquin pertinet ad mendacium perniciosum (c).

Q. 2. Quid sit Ironia? & quam grave peccatum?

R. Ironia, seu dissimulatio est vitium oppositum jactantiae, quo quis de seipso adserit aliquid vile, quod in se non agnoscit, aut negat de se aliquid magnum, quod tamen in se habere percipit, juxta illud

(a) Ezech. 28. (b) Prov. 6.

(c) Vide S. Thomam 2. 2. q. 112.

illud Eccles. 19. *Est, qui nequiter humiliat se, & in interiora ejus plena sunt dolo.* Qui verbis, aut signis externis, puta, vili, & abjecta ueste, defectum quidem in exterioribus præseferit, sed excellentiam aliquam spiritualem mentitur, peccat ironiæ simul, & jactantiæ vitio. Jactantia ut plurimum est gravior ironia, ut docet S. Thomas (a), quia ut plurimum jactantia ex turpiori motivo procedit, scilicet ex appetitu lucri, vel honoris: ironia vero ex hoc, quod aliquis fugit, licet inordinate, per elationem aliis gravis esse ... Contingit tamen quandoque, quod aliquis minora de se fingit ex aliquo alio motivo, puta; ad dolose decipiendum, & runc ironia est gravior. De ironia, inquit S. Augustinus (b): „Cum humilitatis causa mentiris, si non eras peccator, antequam mentireris, mentiendo efficeris, quod evitaveras. Veritas in te non est, nisi te ita dixeris peccatorem, ut etiam esse cognoscas.“

§. III.

De Hypocristi.

Q. I. Quid sit hypocrisis?

R. Hypocrisis est peccatum, quo quis alienam personam simulans, adumbratam sanctitatis imaginem hominum oculis objicit, vel occultando vitia, quibus scatet, vel præreferendo speciem virtutis, qua caret. Hinc hypocrita dicitur, qui cum intus malus sit, ut bonum se palam ostendit (c). Hypocrisis simulatio est, at non omnis simulatio est hypocrisis, sed solum illa, qua quis simulat personam alterius, ut peccator personam justi. Directe opponitur virtuti veritatis; non enim refert, an

F 2 quis

(a) 2. 2. q. 113. a. 2. (b) Scr. 181. al. 29. de verbis Apostoli n. 5.
(c) S. Isidorus Hispal. l. 10. Orig. cap. 11.

quis facto , vel verbo mentiatur . Indirecte opponitur cuicunque virtuti , quam hypocrita simulare potest . Eam exitialem esse Christianæ vitae , Christus docet (a) inquiens : *Attendite , ne justitiam vestram faciatis coram hominibus , ut videamini ab eis ; alioquin mercedem non habebitis apud Patrem vestrum , qui in cœlis est .* Quam vero grave peccatum sit hypocrisy , constat ex eo , quod peccatorum neminem acrius objurgaverit Christus , quam hypocritas , eosdem fieriens octo maledictionibus . (b) .

Q. 2. Quandonam hypocrisis sit peccatum mortale ?

R. Hypocrisy est mortale peccatum , 1. cum quis non curat sanctitatem habere , sed solum sanctus apparere (c) , juxta illud (d) : *Habentes speciem quidem pietatis , virtutem autem ejus abnegantes ,*

2. Cum quis simulat sanctitatem propter finem repugnantem charitati Dei , vel proximi , v. g. ut disseminet falsam doctrinam ; ut faciat schisma ; ut dignitatem Ecclesiasticam indignus adipiscatur , vel quævis alia temporalia bona , in quibus finem ultimum constituit .

3. Cum quis in minimis anxie religiosus est , de gravibus minime sollicitus . Tales erant olim Pharisæi , nunc vero sunt Christiani plerique , qui certa pietatis officia , v. g. gestationem Scapularis , recitationem Rosarii , auditionem Sacri in diebus profestis , omittere ducerent religioni ; hanc tamen religioni ducunt detrahere famæ proximi , mendacia , & perjuria in venditionibus , & emptionibus ex habitu committere &c. Tales etiam sunt Ecclesiastici quidam , qui modestiam habitus , & capillorum accurate observant secundum Canones ; & nihilominus plura congerunt Beneficia , residentiæ leges in iis

non

(a) Matth. 6. (b) Matth. 23. (c) S. Th. 2, 2, q. III. a. 4.
(d) 2. Tim. 39

non curant, bona Ecclesiastica ditandis propinquis impediunt. Tales sunt Monachi nonnulli, qui regularium observationum minucias prætermittere religioni ducerent, & Christianam humilitatem, fraternalm charitatem, obedientiam, pacem violare, ac perturbare non verentur. De his ait S. Bernardus (a) : *Regnum Domini intra vos est : hoc est non exterioris in vestimentis, aut alimento corporis, sed in virtutibus interioris hominis...* *De corporalibus itaque observantiis Fratribus calumniam struitis; & quæ majora sunt Regulæ, spiritualia scilicet instituta relinquitis, eamelumque glutientes, culicem liquatis...* Neque hoc dico, quia hæc exteriora negligenda sint; aut qui se in illis non exercuerit, mox ideo spiritualis efficiat: cum potius spiritualia (quamquam meliora) nisi per ista, aut rix, aut nullatenus, vel acquirantur, vel obtineantur.

4. Hypocrisis est peccatum lethale, cum aliqui omnia sua, & præsertim pietatis opera ad hominum gratiam, laudemque captandam, & ad inanem gloriam referunt: nam hi simulant mendaciter intentionem rectam, quam non habent, quamvis non simulent aliquid rectum opus, quod non agunt (b).

Cæterum si quis simulet sanctitatem, quæ non est de necessitate salutis ob finem sanctitati non repugnantem, ut sunt illi, qui ipsa fictione delectantur, hypocrisis est peccatum veniale (c).

§. IV.

De Contentione, Pertinacia, & Discordia.

Q. I. **U**id sit contentio? & quam grave peccatum?

R. Contentio est impugnatio veritatis cum confidentia

F 3

ela-

(a) *Apolog. ad Guillelmum Abbat.* cap. 6. & 7.

(b) *S. Th. 2. 2. q. 88. ar. 2. ad 1.* (c) *Ibid. ar. 4.*

clamoris. Oritur ex superbia, qui enim veritatem impugnant, sententiam amant suam, non quia vera est, sed quia sua est, ut S. Augustinus (*a*) ait. Ex genere est peccatum mortale, cum ab Apostolo (*b*) recenseatur inter peccata excludentia a Regno Dei. Quia vero contentio est peccatum mortale, secundum quod importat impugnationem veritatis, & inordinatum modum, qui scilicet nec personis, nec negotiis convenit, ut docet S. Thomas (*c*); ideo mortaliter peccant peccato contentionis.

1. Qui veritatem fidei, vel moralis, ac disciplinæ Christianæ contentionis animo impugnant, sive veritas illis perspecta sit, & explorata, sive existiment falsitatem esse, levibus, & fallacibus argumentis ducti. Hujusmodi sunt hæretici omnes; necnon Catholici quidam, qui sanioris moralis capita suis cupiditatibus contraria, de industria impugnant.

2. Qui in re gravi, puta, in quæstione fidei, vel morum ita contendit, ut inde audientium subversio consequi possit, aut revera consequatur, & quod certum est, in dubium veniat, aut audientes scandalum patiantur (*d*). Hinc Tertullianus (*e*) ostendit, valde pericolosum esse adversus hæreticos disputare coram infirmis: *Si quis est, inquit, cuius causa in congressum descendis Scripturarum, ut eum dubitantem confirmes, ad veritatem, an magis ad hereses deverget?* *Hoc ipso motus, quod te videat nihil promovisse...* certe de pari altercatione incertior discedet, ne sciens, quam heresim judicet.

3. Peccant mortaliter peccato contentionis Litigatores, Causidici, Procuratores, qui causam injustum dolis, clamoribus, tergiversationibus obtinere nitunt-

(*a*) L. 12, Confess. cap. 25. (*b*) Galat. 5. (*c*) 2. 2. q. 38. ar. 1.

(*d*) Vide S. Th. loc. cit., & lect. 3. in c. 2. epist. 2. ad Timoth.

(*e*) Lib. de Praescript. cap. 18.

nituntur : nam , ut docet S. Thomas (a) : „ Secundum
„ dum completam rationem contentionis , prout est
„ peccatum mortale , ille in judicio contendit , qui
„ impugnat veritatem justitiae . “

4. Qui in quavis disputatione , aut litis prosequitione , verbis improperii disceptant , quibus charitas proximi graviter laeditur , ejusque fama proscinditur ; causae enim merita rationibus tantum tueri debent (b).

Est autem contentio peccatum veniale , i. si sit de re , de qua non est contendendum , sed absque intentione impugnandi veritatem , ut fuit contentio Apostolorum de primatu honoris (c).

2. Si disputationes suscipiantur non ad illustrandam , & explicandam veritatem , sed solo studio vincendi adversarios , & gloriae captandae ; de quibus disputationibus ait Apostolus (d) : *Stultas , & sine disciplina quæstiones devitæ : sciens , quia generant lites*. Si tamen id fiat cum gravi laesione charitatis , contendens mortaliter peccat .

3. Si contentio sumpta , quatenus est impugnatio falsitatis , modo inordinato fiat , scilicet cum quadam acrimonia locutionis , est peccatum veniale , nisi tanta sit inordinatio in contendendo , ut ex hoc generetur scandalum aliorum (e).

Quandoque tamen contentio , prout est impugnatio falsitatis , nullum peccatum est , sed laudabilis , quando nempe fit cum debito acrimoniam modo : *Dilige* , ait S. Augustinus (f) , *& quod vis fac : five taceas , dilectione taceas : five clamis , dilectione clamis* . Vir autem Christianus declinare debet , juxta regulam S. Ambrosii (g) , molesta , & plena conten-

F 4. contentionis

(a) S. Thom. 2. 2. q. 38. ar. 1. ad 3. (b) Art. cit.

(c) Ibid. ad 1. (d) 2. Tim. 2. (e) S. Thom. ar. cit. ad 1.

(f) Tract. 7. in epist. 1. S. Joann. n. 8.

(g) Epist. 63. ad Verecell. Eccles. n. 85.

tionis negotia : nam *quis justitiae fructus* (inquit ille), *nisi mentis tranquillitas?* Aut *quid est juste vivere, nisi cum tranquillitate vivere?*

Q. 2. Quid censes de Pertinacia?

R. Pertinacia vitium est, quo quis repudiata meliore, & æquiore sententia, de sua licet falsa, & iniqua, nulla potest ratione dimoveri. Proprius hic est hæreticorum character. Pertinacia opponitur perseverantia; pertinaces enim (inquit (a) S. Thomas) perseverant in propria sententia plus, quam oportet. Oritur ex inani gloria, sicut ex causa: nam ideo aliquis nimis persistit in propria sententia, quia per hoc vult suam excellentiam manifestare (b).

Est lethale peccatum, 1. cum quis, manifestata sibi doctrina fidei, resistere mavult: & hic proprius est hæreticus, ut docet S. Augustinus (c).

2. Cum quis Ecclesiæ, Summi Pontificis, aut Episcopi cuiuslibet Catholici in sua Diœcesi, judicio, & mandato, propositiones fidei, vel morum disciplinæ, pietati, Ecclesiasticae Hierarchiæ, aut paci contrarias, vel piarum aurium quovis modo offensivas, aut scandalum moventes, sed verbis tenuis assertas in Scholis, Concionibus, publicis Disputationibus, privatisque Congressibus, seu litteris consignatas, ejurare, retractare, ac emendare non vult: sic enim graviter læditur dilectio Dei, & proximi: nam *nimis perverse seipsum amat*, qui *de aliis vult errare*, ut *error suus lateat*, inquit (d) S. Augustinus.

3. Cum quis rationes quaslibet non submittat auctoritati Sac. Scripturæ, contra quam ratio vera esse non potest (e): aut Sacrae Scripturæ præter Ecclesiæ sensum intellectæ auctoritatem studiose opponit cer-

(a) 2. 2. q. 138. ar. 2. (b) Ibid. ad 1.

(c) L. 4. de Bapt. cont. Donatist. cap. 16.

(d) Epist. 143. al. 7. ad Marcellin. n. 2. (e) Ibid. n. 7.

certæ, & evidenti rationi; quia hoc modo sensum suum potius objicit veritati (a).

4. Cum quis propugnat propositiones in materia fidei, & mortum a Conciliis, ab Episcopis, in primitus a Romano Pontifice damnatas, ut sunt propositiones Jansenii, Baji, & laxiorum Casuistarum ab Alexandro VII., & Innocentio XI. confixæ; aut illas veras esse, & nihilominus sequendas sentit. Is enim refragatur illis Judicibus, quibus commissum est examen, & judicium divinarum doctrinarum.

5. Lethalis pertinaciæ rei sunt, qui damnationi propositionum aliquarum in Materia fidei, & in sensu etiam Auctoris, e cujas libris excerptæ sunt, secundum formulam a Sede Apostolica, & ab Episcopis præscriptam, subscribere recusant. Hi siquidem sententiam suam præponunt, & veritati fidei, quam subscriptione sua aperte profiteri renuunt, & obedientiæ, quam debent Summo Pontifici, & Episcopis subscriptionem jure imperantibus, ut omnis hæresos suspicio eluatur; & ædificationi, quam debent toti Ecclesiæ, submittendo privatum lumen judicio Pastorum ejus, & Summi præsertim Pastoris Romani Pontificis (b). Hinc merito Alexander VII. formulam præscriptit damnationis quinque propositionum ex Jansenii libro excerptarum, & in sensu ab eodem Auctore intento; cui formulæ subscribi mandavit sub pœnis canonicis. Quam subscriptionem absque lethalis pertinaciæ crimine superbe recusare nemo potuit, aut potest.

6. Lethalis pertinaciæ reus est, qui opinionem erroneam in materia morum, anteponit veræ, & secundum illam agit; tunc enim inititur suæ sententiae, nolens credere sententiae saniori (c); idque in

(a) Cit. n. 7. epist. ad Marcellin. (b) Vide S. Leon. epist. i. al. 6., & ep. 69. al. 52. S. Hier. ep. 65., & in Dial. adv. Pelag.

(c) S. Th. q. 91 de malo, ar. 3.

in re maximi momenti , & ubi de æterna salute agitur .

7. Eodem modo reus est quisquis in Comitiis , Conventibus , Capitulis , Conciliis , ubi deliberatur de bono Ecclesiæ , Reipublicæ , aut Societatis spirituali , vel temporali , atque in primis de eligendo Summo Pontifice , Episcopo , Superiore Ecclesiastico , Principe , vel Magistratu ; aut de condendis legibus , vel statutis , aut de gratiis concedendis , vel pœnis irrogandis , æquiore , ac saniorem sententiam , studio partium , postponit minus justæ . Is enim sententiam suam nimis amat , quia illam præponit saniori sententiæ in bonum commune tendenti .

Pertinacia est veniale peccatum , si quis in materia levi , nec sibi , nec alteri perniciose pertinax sit ; nisi forte scandalum pareret nimius amor propriæ sententiæ , & immobilis in ea permancio .

Q. 3. Discordia quid sit ? & cujus generis peccatum ?

R. Discordia est *dissensio* , & *discrepantia voluntatum circa bonum Dei , vel proximi , in quod homo consentire tenetur ex præcepto , quo Deum , & proximum diligere debet* . Dicitur *dissensio voluntatum* , non opinionum dumtaxat , quia homines possunt , salvo charitatis , & concordiae vinculo , in varias opiniones abire , nisi dissensio sit circa ea , quæ sunt necessaria ad salutem , vel cum nimia pertinacia conjuncta . Dicitur *circa bonum* , quia in malo dissentire bonum est . Et ideo , ait S. Thomas (a) , *causare discordiam , per quam tollitur mala concordia , scilicet in mala voluntate , est laudabile* . Additur *Dei , vel proximi* , quia discordia repugnat charitati , qua diligitur utrumque bonum . Dicitur denique , *in quod homo*

(a) S. Thom. 2. 2. q. 37. ar. 1. ad 2.

homo consentire tenetur, quia non tenetur quilibet amplecti bonum, quod est meræ supererogationis, sed solum quod est necessarium ad salutem. Hinc peccatum discordiæ non committit, qui ab amico dissentit vitam Monasticam suadente.

Discordia ex genere suo est peccatum mortale; immo est illud septimum, quod detestatur Dominus (a). Animadvertisendum tamen ex S. Thoma (b), posse aliquem a proximo dissentire, vel per se, vel per accidens: *Per se, quando scienter, & ex intentione dissentit a bono divino, & a proximi bono, in quo debet consentire.* *Per accidens, seu praeter intentionem, cum intentio aliorum est ad aliquid bonum, quod pertinet ad honorem Dei, vel utilitatem proximi, sed unus existimat, hoc esse bonum, aliis autem habet contrariam opinionem.* Discordia primo modo est peccatum mortale ex suo genere, propter contrarietatem ad charitatem: licet primi motus hujus discordiæ, propter imperfectionem actus, sint peccata venialia. Altero modo discordia non est peccatum, nec repugnat charitati, nisi hujusmodi discordia sit vel cum errore circa ea, quæ sunt de necessitate salutis, vel pertinacia indebitate adhibeatur.

Discordia quandoque est cum peccato unius tantum, puta, cum unus vult bonum, cui aliis sciens resistit. Talis est discordia inter haereticos, & Catholicos. Quandoque est cum peccato utriusque partis, puta, cum unus dissentit a bono alterius, & uterque diligit bonum proprium (c).

(a) Prov. 6.

(b) Art. cit.

(c) Ibid.

§. V.

De novitatum Præsumptione.

Q. *Quod peccatum sit Præsumptio novitatum?*
& quam periculosa?

R. *Præsumptio novitatum est vitium, quo quis inanis gloriæ studio, ut scilicet nomen sibi faciat, hominumque admirationem sibi conciliet, nova excogitare presumit.* Est lethale peccatum, i. cum nova doctrina contra fidem, vel bonos mores excogitatur & adseritur. Hinc Apostolus ajebat Timotheo (a): *Depositum custodi, devitans profanas vocum novitates.* Cum in ritibus, & disciplina Ecclesiæ fit innovatio circa res magni momenti absque causa, & sine auctoritate Episcoporum, atque in primis Romani Pontificis: nam, ut ait S. Bernardus (b): *Contra Ecclesiæ ritum præsumpta novitas, mater temeritatis, soror superstitionis, filia levitatis.*

Absque peccato non est præsumptio novitatum, qua antiquæ consuetudines charitati Dei, & proximi non repugnantes, immutantur, & evertuntur absque iusta causa, speque majoris boni. Id enim argumentum est levitatis, & irreverentiae erga maiores. Unde S. Augustinus (c) loquens de observantiis, quæ per loca, & regiones variantur, ait: *Faciat quisque, quod in ea Ecclesia, in quam venit, invenerit . . . Ipsa quippe mutatio consuetudinis, etiam quæ adjuvat utilitate, novitate perturbat.*

Quam vero periculosa sit præsumptio novitatum, satis probant mala inde manantia, scilicet hæreses, erroneæ sententiæ, superstitiones, perniciose artes, variæ vestium formæ fovendo luxui, novi ludi in rei familiaris eversionem, novæ choreæ excitant-

(a) 1. Tim. 6.

(b) Epist. 174. n. 9.

(c) Epist. 54. ad. 118. ad Januarium, c. 5.

citandæ libidini, novi ciborum apparatus irritandæ gulæ, nova spectacula accendendo profano amori excogitata: ex quibus optimarum veterum consuetudinum, ac legum eversiones non sine scandalo, & perturbatione factæ.

ARTICULUS V.

De Ambitione.

Q. 1. **Q**uid sit Ambitio?

R. Ambitio est *inordinatus appetitus honoris*; unde semper est peccatum (*a*); ambitiosus enim appetit honorem, vel quem non meretur, vel quem ad propriam dumtaxat utilitatem refert. Hoc vitium damnavit Christus, cum ait (*b*) discipulis: *Qui minor est inter vos omnes, hic major est*. Ab ipso deterrere nos debent 1. exemplum Christi, qui ne fieret Rex, in montem solus fugit. 2. Vilitas ipsius ambitionis: nam *quid tam inglorium, quam gloriae cupidum deprehendi?* inquit S. Bernardus (*c*). 3. Curæ, & labores cum ambitione conjuncti; quippe, ut ait S. Cyprianus (*d*): *Quam fuerit amplior summa dignitatis, & honorum, tam major exigitur usurpa pœnarum*. 4. Honorum vanitas: nam *spes impii tamquam lanugo est, qua a vento tollitur, & ... tamquam fumus, qui a vento diffusus est* (*e*). Denique ipsius ambitionis crudelitas, qua sensum omnem pietatis ambitiosi exiunt, ut ad optatos perveniant honores.

Q. 2. An ambitio sit peccatum lethale?

R. Ambitio est lethale peccatum, 1. si quis in honore finem ultimum constituat, idest, paratus sit mortaliter peccare, ut honorem assequatur. 2. Cum quis in aliquo peccato mortali honorem querit.

3. Cum

(*a*) S. Thom. 2. 2. q. 131. ar. 1. (*b*) Luc. 9.

(*c*) Epist. 126. ad Episc. Aquit. n. 5. (*d*) Epist. 1. (*e*) Sap. 9.

3. Cum honor, vel dignitas appetitur ob finem aliquem cum mortali peccato conjanctum, v. g. si quis Beneficium Ecclesiasticum querit, ut divitiis affluat, ut genio indulgeat, & ut S. Augustinus (*a*) ait, *dominandi cupiditate, non officio consulendi.* 4. Si quis honorem querat cum alterius damno, vel injuria, v. gr. si minus dignus Praefecturam ambiat, licet ad sint digniores; multoque magis si ambiens sit indignus (*b*).

Ex quibus sequitur 1. lethalis ambitionis reum esse illum, qui absque vocatione, solius honoris, aut commodorum temporalium intuitu, Ecclesiastica Beneficia captat, petit, concupiscit. Ita colligitur ex Apostolo (*c*), qui ait: *Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo tamquam Aaron.* Et ex S. Thoma (*d*), qui loquens de appetitione Episcopatus: *Appetere, inquit, Episcopatum ratione hujusmodi circumstantium bonorum (hoc est reverentiae, honoris, & sufficiens temporalium), manifestum est, quod est illicitum, & pertinet ad cupiditatem, vel ambitionem ... Quantum autem ... ad celstitudinem gradus, appetere Episcopatum est presumptuosum.* Et paulo post: *Appetere proximis prodesse, est secundum se laudabile, & virtuosum. Verum, quia prout est Episcopalis actus, habet adnexam gradus celstitudinem, presumptuosum videtur, quod aliquis praesesse appetat ad hoc, quod subditis prosit, nisi manifesta necessitate imminentie.*

Sequitur 2. lethalem ambitionem esse, si quis Episcopatum, aut quodvis aliud Beneficium Curatuum, aut Monasticam Praefecturam pro se postulet, vel sibi ipsi in electione canonica suffragetur: nam qui pro se rogat, ut obtineat curam animarum, ex ipsa *præ-*

(*a*) L. 19. de Civ. c. 14.

(*b*) 2. 2. q. 131. 22.

(*c*) Hebr. 5.

(*d*) 2. 2. qu. 185. ar. 1.

presumptio redditur indignus, & sic preces sunt pro indigno, ait S. Thomas (*a*). Reus tamen ambitus non est, qui pro se petit Beneficium simplex ad suam inopiam sublevandam (*b*).

Sequitur 3. Lethalis ambitus reum esse illum, qui eo præcipue consilio, & intentione Monasticum habitum induit, ut Abbatiam obtineat; quia in honore finem constituere convincitur.

Sequitur 4. Lethalis ambitionis reos esse Concionatores, qui majorum, & nobiliorum Ecclesiarum Pulpita suis, aut amicorum precibus obtinere nuntiantur, aut revera obtinent eo fine, ut nominis claritatem, velut olim Ethnici Oratores, consequantur, atque ad Episcopatum, aliaque Beneficia Ecclesiastica promoveantur. Hi siquidem non vocati sacrum ministerium exercent, non Christum, quem vicos, pagos, & castella obiisse legimus, sed plausum, & voluptatem querunt.

Sequitur 5. A lethali ambitione immunes non esse illos, qui Beneficium, Dignitatem, seu Præfaturam Ecclesiasticam retinent absque justo titulo; aut cum non habeant dotes necessarias ad illius functiones obeundas, nolunt eas, aut non possunt comparare. Idem dicendum de iis, qui per simoniam Beneficium obtinent, nec illud resignant in manu Collatoris; aut qui fraude surripiunt, nec restituunt ei, cui erat canonice collatum. Idem de illis, quos conscientia arguit criminis ab Ordinis, vel Officii executione impedientis, etiam pœnitentia; vel qui sunt irregulares. Similiter dicendum de iis, qui retinent Beneficium, vel Dignitatem cum gravi scandalo, quod aliter, quam cese sione sedari non potest.

Sequitur 6. Lethalis ambitionis reum esse Episcopum,

(a) 2. 2. q. 200, ar. 5. ad 3a. (b) Ibid.

pum, vel Parochum, qui a minori Episcopatu, vel Parochia ad majorem, & celebriorem, absque necessitate, vel Ecclesiæ utilitate migrant, aut transferri postulant: moventur enim cupiditate, & ambitione dominandi, & Canones violant tales migrationes sine Rom. Pontif. dispensatione prohibentes (*a*). Idem de Presbyteris a minori titulo ad majorem migrantibus. Si tamen Episcopus electione, aut Regis nominatione ab ipso non petita, nec procurata, sed Romani Pontificis auctoritate, ad majorem ex minori transeat Ecclesia; vel si Parochus ob necessitatem, vel utilitatem Ecclesiæ ex minori ad majorem Parochiam ab Episcopo transferatur, ab ambitus crimine excusantur.

Q. 3. An liceat sacrum regimen recusare?

R. Ut ambitionis reus est, qui Dignitatem, vel Praefecturam Ecclesiasticam appetit; ita reus est puerilium, & desidiae, qui a Deo vocatus, & Superioris auctoritate, ac mandatis sacro regimini admotus, impositum onus subire pertinaciter recusat (*b*): nam, ut ait S. Gregorius (*c*): *Neque vere humilis est, qui superni nutus arbitrium, ut debeat praesesse, intelligit, & tamen praesesse contemnit.* Si quis porro impedimentum in se agnoscat, quod nec ejus studio, nec Superioris auctoritate removeri possit, non tenetur obedire Superiori Praefecturam, Beneficium, ut Dignitatem imponenti; quia *nullus tenetur obedire Prælato ad aliquod illicitum* (*d*).

Q. 4. An sit ambitionis reus, qui ordinem suum, ac locum tuetur?

R. Negative; imo quandoque ignavus est, & pena dignus, qui suo juri cedit: unde S. Leo (*e*) Dorum Bene-

(*a*) Vide C. Quanto, & C. Licet, ext. de translat. Episcopi.

(*b*) S. Thom. 2. 2. q. 185. ar. 2. (*c*) I. P. Pastor. C. 6.

(*d*) S. Thom. ar. cit. ad 2. (*e*) Epist. 19. al. 18.

Beneventanum Episcopum de perturbato Presbyterii ordine, primosque Presbyteros jure suo cedentes redarguit: ac suum cuique locum vindicavit, primis, qui cesserant, ad infimum locum detrusis.

C A P U T II.

De Avaritia.

ARTICULUS I.

De Avaritia secundum se.

Q. 1. **U**id sit Avaritia?

R. Avaritia est *immoderatus amor habendi* (a). Ejus gravitas ostenditur illis verbis Eccl. 10. *Avaro nihil est scelestus*. Siquidem avarus peccat in Deum, quem contemnit propter bonum temporale, unde avaritia dicitur (b) *idolorum servitus*. Peccat in seipsum, quia, ut ait S. Augustinus (c): *Qui auro uti non novit, habetur, non habet; possidetur, non possidet*. Peccat in proximum, quia divitiis non potest unus superabundare, nisi alteri deficiant (d). Denique, ut docet Apostolus (e): *Radix omnium malorum est cupiditas: quam quidem appetentes erraverunt a fide, & inferuerunt se doloribus multis*.

Ut igitur a tam perniciose vitio animus deterreatur consideranda est, 1. opum vanitas, & fallacia. 2. Spiritualium bonorum excellentia. 3. Hominis Christiani conditio, qui ad æternam Patriam tendit. 4. Christi sententia avaros damnantis, pauores spiritu commendantis. 5. Ejusdem Salvatoris exemplum, qui propter nos egenus factus est (f).

Tom. III.

G

Q. 2.

(a) S. Thom. 2. 2. q. 118. ar. 1. (b) Ephef. 5.

(c) In Psalm. 123. n. 9; (d) S. Thom. ar. cit. ad. 2.

(e) 1. Timot. 6. (f) 2. Cor. 8.

Q. 2. An avaritia semper sit peccatum mortale?

R. Avaritia prout opponitur justitiae, seu quatenus importat adēptionem peccuniae ultra debitum per surreptionem, vel retentionem alienorum, est ex genere suo peccatum mortale (*a*). Dicitur enim Isa. 33: *Vae, qui prædari s, nonne & ipse prædaberis?* Potest tamen esse venialis propter imperfectionem actus, vel materiae levitatem; sed ex genere pertinet ad furtum, vel rapinam.

Quatenus autem avaritia opponitur liberalitati, ut cum quis nimis amat divitias, aut nimis detestatur in ipsis, et si nolit rapere aliena; sic quidem, si inordinatio amoris intra hoc sis stat, ut scilicet homo, quamvis superflue divirias amet, non tamen preferat earum amorem amori divino: ut si propter divitias non velit aliquid facere contra Deum, & proximum; sic avaritia est peccatum veniale (*b*). Hinc si quis ex cupiditate lucri nolit cessare ab opere servili diebus festis, lethale avaritiæ peccatum committit. Ex quibus

Colligitur 1. lethalis avaritiæ reos esse illos, qui plura concupiscunt, quam exigant vitæ necessitas, status decentia, & decorum; & cum necessaria praestos sint, non cessant a novis opibus congregandis. Id constat ex parabola hominis divitis, cui dictum est (*c*): *Stulte, hac nocte animam tuam repetunt a te: quæ autem parasti, cuius erant?* Quibus verbis statim subjunxit Christus: *Sic est, qui sibi thesaurizat, & non est in Deum dives.* Ubi notandum, quod dives ille de suis tantummodo colligendis cogitabat, ut S. Augustinus (*d*) animadvertis. Cum autem dictus sit stultus, constat, ipsum graviter peccasse: *Numquid enim (ait (*e*) idem Augustinus) Deus stultis daturus est Regnum Cœlorum?*

Colli-

(*a*) S. Thom. 2. 22 q. 178. a. 4. (*b*) Ibid. (*c*) Luc. 12.

(*d*) Serm. 178. 21. 29. de verb. Apost. c. 2.

(*e*) Ibid. c. 3.

Colligitur 2. lethalem esse avaritiam, cum quis cupide servat sua, si tanta sit cupiditas, ut non sit paratus illa amittere, ne Deum graviter offendat; quia, ut idem Augustinus docet (a), non solum avarus est, qui rapit aliena, sed & ille avarus est, qui cupide servat sua.

Colligitur 3. gravem impatientiam in rei familiaris amissione hominem prodere lethalis avaritiae reum. *Qui damnata impatentia concitatur*, ait Tertullianus (b), *terrena cœlestibus anteponendo, de proximo in Deum peccat*.

Colligitur 4. avaritiam lethalem esse, si ex alio peccato mortali ducat originem, v. g. si quis totus sit in congregandis divitiis ex errore circa divinam Providentiam, aut ex diffidentia benignitatis Dei. Quod & ipsos pauperes spectat. *Nam quid tibi profest, si eges facultate, & ardes cupiditate?* inquit S. Augustinus (c).

Q. 3. An liceat patribus familias facultates pro filiis congerere?

R. Quamquam recta ratio, & Christiana charitas postulent, ut patres familias, qui liberos habent, iis comparent facultates vitae, ac statui convenientes; rei tamen sunt lethalis avaritiae, si nullum congerendis filiorum gratia opibus modum statuant, eaque ratione ab erogandis eleemosynis se excusent, urgente præcepto. Ita tradit S. Cyprianus (d): *Prevaricator, inquit, & proditor pater es, nisi filiis tuis fideliter consulas, nisi conservandis eis religiosa, & vera pietate prospicias. Qui studes terreno magis, quam cœlesti patrimonio, filios tuos diabolo magis commendare, quam Christo, bis delinquis, & geminum, ac duplex orimen admittis: & quod non preparas filiis*

G 2

tuis

(a) Serm. 107. al. de temp. 196. c. 3. (b) L. de Patient. c. 7.
(c) In Psal. 51. n. 14. (d) Tract. de Opere, & Eleemosynæ.

tuis Dei Patris auxilium , & quod doces filius patrimonium plus amare , quam Christum .

Q. An Clerici possint absque avaritiæ labe , pecuniam servare ?

R. Si Clerici ex redditibus Ecclesiasticis thesauros congregent , aut villas , agros , vel domos emant , quibus res eorum familiaris , seu patrimonium augetur , dubitandum non est , quin rei sint lethalis avaritiæ : nam Clerici , ut alibi ostendimus , dispensatores sunt , non domini honorum Ecclesiasticorum . Non negaverim tamen , prudentiæ , non avaritiæ esse , si modicam pecuniæ summam Clerici refervent , quibus nullum , vel tenue patrimonium est , nec ampli redditus Beneficii , ut sibi in gravi , & diuturna , quæ contingere potest , infirmitate subveniant ; vel ut calamitosa tempestate , qua villicis debitorum aliquid remittendum est , habeant unde vivant , & pauperibus subministrent . Sed cavendum , ne ingeniosa cupiditas , & prudentia sæculi captent excusationes a faciendis eleemosynis . Describam hic monitum S. Augustini (a) : „ Timebas mala , ne scio quæ , propterea pecuniam servabas : tene fieri dejusserem ; hoc Deus tibi dicit , non te derelinquam , non te deseram . Homo non promitteret , crederes ; Deus promittit , & dubitas ? “

Q. 5. An liceat absque avaritia forenses lites suscipere , bonorum temporalium causa ?

R. Id judicari debet ex iis , quæ docet (b) S. Thomas : *Judicium , inquit , adversus aliquem est illicitum omnibus quantum ad tria . 1. quidem quantum ad causam , ex qua aliquis judicium habet , puta , ex cupiditate , & avaritia ... 2. quantum ad modum judicii , quia scilicet cum contentione , & detimento pacis judicium prosequuntur ... 3. ex perversitate judicii , puta cum*

(a) Serm. 177. n. 11.

(b) Lect. 2. in cap. 6. epist. 1. ad Cor.

cum aliquis injuste, & fraudulenter in judicio procedit ... 4. propter scandalum, quod sequitur. Ex quibus consequens est, avaritiæ saltem venialis saepe reos esse, qui ob bona temporalia forentes lites suscipiunt. Verumtamen ex charitate in judicio sua repetere, licitum est, ut si quis in judicio vitam suam defendat: si sua repetat conjugi, ac liberis alendis, fovendis, collocandis necessaria: si adversarium futurum videat ad nocendam audaciorem, nisi auctoritate Judicis reprimatur: si pupillorum, pauperum, viduarum ablata, seu male alienata repetat, vel ne tollantur obsistat: si Ecclesiæ, Monasterii, Collegii negotium agat, maxime ex obedientia, aut ex Officio. Cæterum qui ob res temporales litigant, ita debent esse affecti, ut potius quamcumque damna, & injurias sustineant, quam fraternam charitatem violent; hoc enim non est meri consilii, sed præcepti. Satius ergo erit judicium causarum permittere communibus amicis, aut electis arbitris, ne in earum prosequitione fraterna charitas, ut saepius evenit, extinguitur.

Q. 6. An Monachi, & Moniales rei sint avaritiae, si pecuniam retineant?

R. Quisquis paupertatis voto obstrictus est, si pecunias, aut quodvis aliud pretio aestimandum, absque Superiorum licentia, ad usum retineat, reus est lethalis avaritiae. Etenim paupertas religiosa requirit, ut aliquis absque proprio vivat (*a*). Unde Concilium Tridentinum (*b*): „ Nemini, inquit, Regularium, tam virorum, quam mulierum liceat bona immobilia, vel mobilia, cujuscumque qualitatis fuerint, etiam quovis modo ab eis acquifita, tamquam propria, aut etiam nomine Conventus possidere, vel tenere; sed statim ea Super-

(*a*) 2. 2. q. 186. art. 3. (*b*) Sess. 25. de Regularib. c. 2.

riori traduntur, Conventuque incorporentur.
 „ Nec deinceps liceat Superioribus bona stabilia
 „ alicui Regulari concedere, etiam ad usumfru-
 „ ctum, vel usum, administrationem, aut commen-
 „ dam, Administratio autem bonorum Monasterio-
 „ rum, seu Conventuum ad solos Officiales eorum-
 „ dem, ad nutum Superiorum amovibiles perti-
 „ neat, Mobilium vero usum ita Superiores per-
 „ mittant, ut eorum supellex statui paupertatis,
 „ quam professi sunt, conveniat, nihilque superflui
 „ in ea sit; nihil etiam, quod sit necessarium, eis
 „ denegetur. Quod si quis aliter quidquam tenere
 „ deprehensus, aut convictus fuerit; is biennio acti-
 „ va, & passiva voce privatus sit: atque etiam
 „ juxta suæ Regulæ, & Ordinis Constitutiones pu-
 „ niatur. “ Innocentius III. (a) proprietarios in
 sterquilinio sepeliri jussit.

Q. 7. Quid de avaritia Mercatorum?

R. Lethalis avaritiæ rei sunt Mercatores, si lu-
 crum tamquam finem ultimum expetant. Sic autem
 expetere censentur, si legem Dei violare parati sint
 lucri gratia, ut si rem non immutatam carius ven-
 dant (b). At cum aliquis lucrum moderatum, quod ne-
 gotiando querit, ordinat ad domus sue sustentationem,
 vel etiam ad subveniendum indigenibus: vel etiam
 cum aliquis negotiationi intendit propter publicam utili-
 tatem, ne scilicet res necessariae ad vitam patriæ de-
 sint, & lucrum expetit, non quasi finem, sed quasi si-
 pendium laboris, non peccat (c). Generaliter porro si
 censentur expetere lucrum tamquam finem ultimum,
 qui alienis incommodis commodum suum querunt,
 & honesti rationem sola utilitate metiuntur (d).

Q. 8.

(a) C. Cum ad Monasterium, ext. de statu Monachor.

(b) S. Thom. 2. 2. q. 77. ar. 4. ad 1^o (c) Idem a. cit.

(d) S. Ambros. 1. 3. de Offic. c. 4.

Q. 8. An parentes cogentes filios ad statum religiosum, rei sint avaritiæ?

R. Lethalis certe avaritiæ rei sunt, si filios, aut filias in Monasteria detrudunt, vel ad Professionem cogunt, aut inducunt, ut eorum fratribus, .vel sororibus ampliores opes relinquant; amplius peccatari, si illos Deo consecrent, qui natura sunt ad res gerendas inepti, animo hebetes, vel corpore vitiosi. Qua de re videri potest Salvianus (*a*).

Q. 9. Quid de avaritia Judicum, Advocatorum, & similium?

R. Dubitandum non est, quin lethalis avaritiæ, & rapinæ rei sint Judices, si munera accipiunt, vel ut jus dicant, vel ut alicui partium faveant, vel ut crimina impunita relinquant. Et quamvis ea intentione non accipient, ut violent justitiam; ratione tamen scandali, & periculi, in quod se conjiciunt, a lethalis avaritiæ labo non sunt immunes, si cupiditas ad munera accipienda impellat. Hinc illud Exodi 23. *Non accipies munera, quæ etiam execercent prudentes, & subvertunt verba iurorum.* Hinc Jure Civili prohibetur munerum acceptio (*b*); idemque Jure Canonico (*c*) speciatim Judicibus Ecclesiasticis interdictitur. Jure etiam Civili in causa pecuniaria pro promisso duplum imponitur, pro dato triplum: in Criminali autem, omnium bonorum proscriptio, & exilium. Si tamen munera tanti non sint, ut integritatem Judicis corrumpere valeant, & officii, humanitatisque potius, quam lucri, & cupiditatis motu accipientur, potest Judex illa absque peccato ab amicis accipere, sed numquam a partibus litigantibus, aut earum nomine; id enim & legibus prohibitum, & scandalo obnoxium est.

G 4

Ex

(*a*) *L. 3. adv. avaritiam.* (*b*) *L. Solent, ff. de offic. Procons.*

(*c*) *C. Cum ab omni, ext. de vit., & honest. Cleric.*

Ex quibus patet, damnandam merito esse quorumdam Casuistarum propositionem, quæ asserit: *Pos-
sunt Judices accipere munera a litigantibus, nec tenen-
tur restituere, quæ acceperint ad pronunciandam sen-
tentiam.*

Quod si Judices absque avaritiæ labe munera ac-
cipere ex cupiditate non possunt, multo minus pos-
sunt absque eadem nota justum judicium vendere.
*Cum iudicia iniqua venduntur, multo sceleratus utique
pecunia sumitur, quia scelerate etiam quamvis a volen-
tibus datur,* inquit S. Augustinus (*a*), qui idem de
testibus affirmit; eique subscribit S. Thomas (*b*).
Possunt tamen testes accipere, *non quasi* premium te-
stimonii, *sed quasi* stipendium laboris, expensas, vel
ab utraque parte, vel ab ea, a qua inducuntur, ut
idem S. Thomas docet (*c*).

Altera est de Advocatis, Procuratoribus, Nota-
tariis, aliisque inferioris loci, & officii hominibus
ratio. Hi namque non ut Judex, & testes commu-
nes sunt utriusque parti, sed pro altera tantum parte
sunt; ideoque absque avaritiæ labe possunt vendere
justum patrocinium, consilium, sive operam; dum-
modo tamen moderate accipient, considerata ratio-
ne personarum, & negotiorum, ac laboris, & con-
suetudine Patriæ, & publicorum Editorum verbis.
*Si autem per improbitatem aliquid immoderate extor-
queant, peccant contra justitiam* (*d*). Similiter pec-
cant Advocati convenientes de quota parte litis
cum gravi damno litigatoris; aut pactum ineuntes,
ut obtenta causa tantum ipsis solvatur; id enim ju-
ra vetant.

(*a*) Epist. 153. al. 54. cap. 6. (*b*) 2. 2. q. 71. ar. 4. ad 3.

(*c*) Ibid. (*d*) S. Thom. art. cit.

ARTICULUS II.

De filiabus Avaritiae.

Septem a S. Gregorio l. 31. Mor. c. 17. numerantur avaritiae filiae, Proditio, Fraus, Fallacia, Perjurium, Inquietudo, Violentia, & contra misericordiam Obduratio. De singulis breviter.

§. I.

De Proditione.

Q. 1. **U**id sit proditio, & quale peccatum?

R. Proditio est manifestatio illicita rei alicujus, vel personae in proximi detrimentum vergens. Exerceri potest 1. respectu personarum, 2. respectu locorum, 3. respectu rerum, 4. respectu arcanaorum.

Respectu personarum lethalis est proditio, si quis proximum simulata specie amicitiae occidat, ut Cain Abelem, vel si in hostium manus tradat, ut Dalila Sampsonem; vel si factum aliquod manifestet, cuius denunciatione grave damnum proximo procuratur. Si autem perduelles tradantur legitimo Principi, contra quem conjurarunt, sive seditionem moverunt, traditio non est peccatum, sed officium.

Lethalis est etiam proditio personarum, si quis hosti fidem datam violet in re gravi (a). Si quis adversus legitimum Principem suum quovis modo conjuret (b), aut ab eo deficiat, & jurataim ipsi, vel

(a) S. Thom. 2. 2. q. 40. a. 3.

(b) Sunt qui per summam calumniam, ut Angelici Doctoris auctoritate, quem pluie norunt

sibi contrarium, incautos capere

facilius possent, adserere non dubitarunt, ipsum docuisse, licetam esse conspirationem adver-

fus

vel debitam fidem violet; nam ut ait Apostolus Rom. 13. *Qui resistit Potestati, Dei ordinationi resistit.*
Mul-

fus legitimum Principem, quo-
ties is tyrannice imperat. Abu-
tuntur autem quodam Thomæ te-
stimonio 2. 2. quæst. 42. art. 2.
in responsione ad 3. argumentum,
ubi Aquinas ait: *Perturbatio*
(tyrannici) regiminis non habet
rationem seditionis, nisi forte
quando sic inordinate perturba-
tur tyranni regimen, quod mul-
titudo subiecta majus detri-
mentum patitur ex perturbatione con-
sequenti, quam ex tyranni regi-
mine. Sed quam inique hæc San-
cti Thomæ verba in perversum
sensum detorquentur, plane con-
stat. Nam Thomas loco cit. aper-
tissime loquitur non de Principe
legitimo in tyrannum verso, sed
de homine, qui per tyrannidem
Principatum inquit (quamquam
nec hujus tyranni regimen pri-
vativa auctoritate perturbare li-
ceat. Ibi enim post relata verba
statim subdit: *Magis autem ty-
rannus seditus est, qui in po-
pulo sibi subiecto discordias, &
seditiones nutrit, ut tuius do-
minari possit.* Is autem non le-
gitimus Princeps est, sed veri
nominis tyrannus, qui numquam
nisi per violentiam dominium ha-
bit illudque tueri per disfor-
dias populi, & seditiones cona-
tur. Nam legitimus Princeps non
habet opus nutritre discordias, &
seditiones, ut tuius dominetur;
qui imo per illas legitimi juris
Principatus vis, & potestas de-
bilitatur, & immunitur, cum
Christus dicat Matth. 2. v. 25.
*Omne regnum divisum contra se-
defolabitur: & omnis civitas,*
vel domus divisa contra stabit.
Itaque manifestum est, Thomam

nonnisi de eo tyranno logui, qui
sine legitimo titulo dominium
surripit, nec proinde verus do-
minus efficitur. Quod clariss. i-
dem Angelicus docet in 2. Sent.
dist. 44. quæst. 2. art. 2. ubi qua-
rens: *An Christiani teneantur
obedire Potestatis Sacculibns,*
& maxime tyrannis, in corp.
art. Secundum hoc, ait, quod
Prælatio a Deo est, obedire ta-
libus tenetur. Mox faciat distinc-
tione inter eos, qui licet indi-
gni, Prælationem suscipiunt, &
illos, qui per violentiam in Præ-
lationem irreputant, subdit: *Ex
primo defectu non impeditur,
quod jus Prælationis ei acquiratur:*
& quoniam Prælatio, se-
cundum suam formam, semper
a Deo est, quod debitum obe-
dientia creat; *IDEO TALIBUS
PRÆLATIS, QUAMVIS INDI-
GNIS, OBEDIRE TENENTUR
SUBDITI;* sed secundus defectus
impedit jus Prælationis: qui e-
nem per violentiam dominium
surripit, non efficitur vere Pre-
tatus, vel dominus, nisi forte
postmodum dominus verus effe-
ctus sit.

Habet igitur (Thoma auctore)
a Deo Prælationis jus, & potes-
tatem legitimus Princeps, eti-
amvis indignus sit, & tyrannice
gubernet; ideoque tantum abest,
ut subditi seditionem excitare
contra ipsum licite possint, quin
ei parere teneantur, ipsumque
revereri, non solum propter i-
ram, sed etiam propter conscienciam,
ut docet Apostolus Rom.
13. Cujus debiti rationem idem
Apostolus tradit ibid. cum ait:
*Omnis anima Potestatis subli-
mio-*

Multo magis, si quis subditos sollicitet, ut a legitimo suo Principe deficiant, & per occultas machinatio-

mioribus subdita sit. Non enim est potestas, nisi a Deo. Quae autem a Deo sunt, ordinata sunt. Itaque qui resistit Potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt ipsi sibi damnationem acquerunt. Super quæ verba S. Thomas leg. 1. in laudatum c. 13. ep. ad Rom. 13. potestates, inquit, sublimiores hic dicuntur homines in potestatis statibus constituti, quibus secundum iustitiam ordinem subiecti debemus. 1. Pet. 2. subditi estote omni humano creaturae propter Deum, sive regi, quasi præcellentí, sive Duci-
bus tamquam ab eo missis &c.
Dicit autem indefinite Potestatis statibus sublimioribus, ut ratione sublimitatis officii eis subjiciamur, ETIAMSI SINT MALI. Unde 1. Pet. 2. subditur: Subiecti estote, non tantum bonis, & modestis, sed etiam discolis... Utitur autem hoc modo loquendi, quia subjectionem Superioribus debemus ex animo, idest, ex pura voluntate, secundum illud Ephes. 6. Non ad oculum servientes, quasi hominibus placentes, sed ex animo cum bona voluntate.

Ei post pauca: Dicendum, inquit, quod Regia potestas, vel cuiuscumque alterius dignitatis potest considerari quantum ad tria. Uno quidem modo quantum ad ipsam potestatem; & sic est a Deo, per quem Reges regnant, ut dicitur Prov. 8. Alio modo potest considerari quantum ad modum adipiscendi potesta-

, tem, & sic quandoque potestas est a Deo, quando scilicet alius ordinate potestatem adipiscitur... Quandoque vero non est a Deo, sed ex perverso hominis appetitu, qui... potestatem adipiscitur &c. Ex quibus constat 1. S. Thomam distinguere duplex tyranni genus. 2. Boccare s potestatem legitimis Principis, etiæ tyrannice imperet, esse a Deo. 3. Eadem Principi, etiam si matus sit, & tyrannice imperet, subjici nos debere ex animo, ratione sublimitatis officii.

Sed longe clarius mentem suam Sanctus Doctor aperit Opusculo 20. de Regino Principum l. 1. cap. 6. ubi loquens de Rege legitimo, qui tyrannus adeo crudelis evadit, ut intolerandus plane sit ejus excessus tyrannidis, sic scribit: Si sit intollerabilis excessus tyrannidis, quibusdam visum fuit, ut ad fortium virorum virtutem pertineat tyrannum interimere, seque pro liberatione multitudinis expondere periculis mortis. Ita quidem aliis visum fuit. Quæ vero sit Thomas sententia, sic ipse declarat: SED HOC APOSTOLICÆ DCTRINÆ NON CONGRUIT. Docet enim nos Petrus, non bonis tantum, & modestis, verum etiam discolis dominis reverenter subditos esse. 1. Pet. 2. Hec est enim gratia, si propriæ conscientiam Dei sustineat quis tristias, patiens iniuste. Unde cum multi Romani Imperatores Fidem Chri-

nationes ad Regni fastigium arrepat; vel si casus Principum exquirat, & vivente Principe de successore

„st̄i persequerentur tyrantice,
„magnaque multitudo tam no-
„bilium, quam populi esset ad
„Fidem conversa, non resisten-
„do, sed mortem patienter, &
„armati sustinentes pro Chri-
„sto, laudantur, ut in sacra
„Thebæorum legione manifeſte
„apparet.... & in veteri Te-
„ſtamento leguntur occisi fuſi-
„ſe, qui occiderunt Joas Re-
„gem Iuda, quamvis a cultu
„Dei recedentem. Porro quid
fit faciendum, si legitimus Prin-
ceps in tyrranis etiam intol-
lerandæ excessum deflectat, i-
dem Angelicus ibidem docet,
inquiens: „Si ad jus multitu-
dini alicujus pertineat, ſibi
providere de Rege; non in-
juste ab eadem Rex institu-
tus, potest deſtrui (alias de-
ſtitui), vel refroſnari ejus
potestas, ſi potestate Regia
tyrannice abutatur... Si ve-
ro ad jus alicujus Superioris
pertineat multitudini provide-
re de Rege, expectandum eſt
ab eo remedium contra tyran-
ni nequitiam.... Quod ſi o-
mnino contra tyrranum auxi-
lium humanum haberi non pe-
nitest (ut cum Princeps, luc-
cessorij jure Regno potitur,
nec alium superiorem Princi-
pem habet), recurrentum
eſt ad Regem omnium Deum,
qui eſt adjutor in opportuni-
tibus, in tribulatione. Ejus
enim potentia ſubeft, ut cor
tyranni crudele convertat in
mansuetudinem, ſecundum Sa-
lomonis ſententiam Prov. 12.
Cor Regis in manu Dei, quo-
cumque voluerit, iniunavit

„iſtud.... Sed ut hoc bene-
ficium populus a Deo confe-
ſſi, qui mereatur, debet a pecca-
tis cefſare, quia in ultionem
peccati divina permissione im-
pli accipiunt Principatum, di-
cente Domino per Oſea 13.
Dabo tibi Regem in furore
meo.“

In his Thomæ verbis habes
1. ſententiam, quæ tyrranicu-
m propugnat, adverſari Apo-
ſtolicæ Doctrinæ. Habes 2. ad-
verſari etiam Ecclesiæ Traditioni-
ni, exempliſque veterum Chri-
ſianorum, qui tyrranis non re-
ſiterunt, ſed mortem patien-
ter ſuſtinerunt. Habes 3. nihil
omnino aliud ſuperelle ad eva-
dendam tyrranidem Principis,
qui abſoluto Regni jure poti-
tur, quam ad Regem omnium
Deum recurrere, & peccandi fi-
nem facare. Quibus a Thoma
conſtitutis, quis iniquam calu-
miam non videt, cum ille tra-
ducitur veluti pernicioſe tyran-
nicidit doctrinæ adſertor?

Reſtat nunc brevit̄ ostende-
re, Patrum, & Ecclesiæ Doctrinæ
quam fuerint ſimiles Thomæ
loquutiones. Incipiam a S. Po-
lycarpo Joannis Apoſtoli Disci-
pulo, ut S. Hieronymus ait lib.
Script. Ecclesiast. Sic autem Po-
lycarpus Proconsuli interrogan-
ti respondit: Edicti ſumus, Princi-
pibus, & Potestatibus a Deo
ordinatis honorem, prout decet,
dare. Vide Epiftol. Ecclesiæ
Smyrnensis de Martirio S. Poly-
carpi, num. 10. apud Cotelerium
Tom. II. PP. Apoſtolicorum.
Similiter Sanctus Cyprianus re-
ſpondit Proconsuli de Religio-
ne ip-

sore eligendo consilia agit, & alios in partem
trahat.

Parī

ne ipsum interroganti : Deo, inquit, nos Christiani deservimus : hunc deprecamur diebus, ac noctibus, pro nobis, & pro omnibus, & pro incolumentate ipsorum Imperatorum. Confer Acta Proconularia ejusdem S. Martyris praefixa ejus Operibus edita Baluzianæ. Tertullianus autem quo tempore Christianum nomen dire per orbem exagabatur, Apologeticæ cap. 30. „ In de, inquit, est Imperator, unde est & homo, antequam Imperator ; inde potestas illi, unde & spiritus. Illuc iuscipientes Christiani manibus expansis . . . precantes sumus semper pro omnibus Imperatoribus vitam illis prælixam, Imperium securum, domum tutam, exercitus fortis, Senatum fidem, populum probum, orbem quietum, & quæcumque hominis, & Caesaris vota sunt. “ Et cap. 36. „ Idem sumus Imperatoribus, qui & vicinis nostris. Male enim velle, male facere, male dicere, male cogitare de quoquam ex æquo vetamur. Quodcumque non licet in Imperatorem, id nec in quemquam. Quod in neminem, eo forsitan magis, nec in ipsum, qui per Deum tantus est. “ Et cap. 37. „ Si inimicos jubemur diligere, quem habemus odisse ? Item si Ihesi vicem referre prohibemur, ne de facto pares simus, quem possumus laedere ? . . . Externi sumus, & vestra omnia impleimus, Ur-

bes, Insulas, Castella, Municipia, Conciliabula, Castra ipsa, Tribus, Decurias, Palatiuum, Senatum, Forum. Soli vobis relinquimus Tempora. Cui bello non idonei, non prompti fuissimus, etiam impates copiis, qui tam liberenter trucidamus ? Si non a pud istam disciplinam magis occidi licet, quam occidere. Potuimus & inermes, nec rebellles, sed tantummodo discordes solius divertit invicta aduersus vos dimicasse. Si enim tanta vis hominum in aliquem orbis remoti sumus abrupissimus a vobis suffosidisset utique dominationem vestram tot qualicumque amissio Civium ; etiam & ipsa destitutione punire. Procul dubio expavissetis ad solitudinem vestram . . . Plures hostes, quam Cives vobis remanserint ; nunc enim pauciores hostes habetis præ multitudine Christianorum penae omnium Civium, pene omnes Cives Christianos habendo. “ Et in lib. ad Scapulata cap. 2. „ Christianus nullius est hostis, nedium Imperatoris, quam sciens a Deo suo constitui, necesse est, ut & ipsum diligat, & reveratur, & honoret, & salvum velit cum toto Romano Imperio. “ Ita Tertullianus depellit crimen laicæ Majestatis, quo veteres Christiani a Gentilibus per calumniam accusabantur.

Similia scribunt ceteri Ecclesiastici

110 DE VITIIS CAPITALIBUS

Pari modo lethalis est conjuratio adversus Episcopos facta a subditis ; quos quidem , si Clerici sint,

sic Patres . S. Justinus Martyr Apologia 1. num. 17 . , Illud ,
 33 inquit , studio nobis est , ut
 33 vedi galia , & censu'is , qui
 33 bus hoc minus commissit ,
 33 primi omnium persamus , que
 33 madmodum ab eo (Christo)
 33 sumus instituti Proinde
 33 nos solum Deum adoramus ;
 33 vobis autem in rebus aliis la
 33 ti servimus , Reges , ac Prince
 33 cipes hominum esse agnoscen
 33 tes ; & simul precantes , ut
 33 cum Régia potestate sanam
 33 quoque mentem obtinere com
 33 periamini . " Præterea Athene
 33 agoras Legat pro Christ. num.
 37 ita Imperatores alloquitor :
 33 Pro Imperio vestro precamur
 33 ut filius a patre , prout ex
 33 quissimum est , Regnum acci
 33 piatis , & accessio'ibus , ac
 33 incrementis imperium vestrum ,
 33 omnibus ditioni vestrae subje
 33 citis , augeatur . Atque id qui
 33 dem nostra etiam interest ,
 33 quo tranquillam vitam aga
 33 mus , & imperata omnia ala
 33 cres ministremus . " Adeun
 33 dus est etiam S. Theophilus An
 33 thiochenus lib. 1. ad Autolycum
 33 num. 11. sic scribens : , Regem
 33 cole , sed eum diligendo co
 33 le , eidem parendo , & oran
 33 do pro eo . Hoc enim si fa
 33 cies , voluntatem Dei exequ
 33 sis ; ita enī p̄cipit Lex
 33 Divina Proverb. 24. vers. 21.
 33 22.) Honora , fili mi , Deum ,
 33 & Regem , nec eis inobediens
 33 sis . Subito enim ulciscuntur
 33 inimicos suos . " Immenius
 33 forem , si lingua , qua in hac
 33 re Patres docent , persequi vel
 33 igem . Sufficiat Sancti Augustinus ,

qui lib. 5. de Civit. cap. 19.
 33 impiissimis etiam Tyrannis a Deo
 33 potestatem tribus docet : Etiam
 33 talibus dominandi potestas non
 33 datur , nisi summi Dei provi
 33 dentia . quando res humanas ju
 33 dicat talibus dominis dignas .
 Et lib. eodem cap. 21. , Non
 33 tribuamus dandi Regni , atque
 33 Imperii potestatem , nisi Deo
 33 vero , qui dat felicitatem in
 33 Regno Cælorum solis piis ;
 33 Regnum vero terrenum & piis ,
 33 impilis , sicut ei placet , cui
 33 nihil injuste placet . . . Ille
 33 igitur unus verus Deus , qui
 33 nec judicio , nec adjutorio de
 33 serit genus humanum , quan
 33 do voluit , & quantum voluit
 33 Romanis Regnum dedit , qui
 33 dedit Assyriis , vel etiam Per
 33 sis qui Mario , ipse
 33 Cajo Cesari , qui Augusto ,
 33 ipse & Neroni ; qui Vespasia
 33 no vel Patri , vel Filio , sua
 33 viissim Imperatoribus , ipse
 33 & Domitiano crudelissimo ; &
 33 ne per singulos ire necesse sit ,
 33 qui Constantino Christiano ,
 33 ipse Apostolæ Juliano . " Ec
 33 in Proposition. ex Epistol. ad
 33 Roman. cap. 73. idem Augustinus
 33 hæc habet : , Quod ait (Apo
 33 stolus) Vis autem non timere
 33 potestatem ? bonum fac , &
 33 habebis laudem ex illa , po
 33 test movere aliquos , cum co
 33 gitaverint , ab illis potestati
 33 bus persecutionem sape pa
 33 sos fuisse Christianos
 33 Consideranda ergo sunt verba
 33 Apostoli . Non enim ait , Bo
 33 num fac , & laudabit te po
 33 testas : sed ait , Bonum fac , &
 33 habebis laudem ex illa . Sive

33 enim

sint, e Cleri matricula expungendos, omnique gradu
privandos, & Curiæ Sæculari tradendos; si vero
Lai-

„ enim prober factum tuum bo-
„ num, sive persequatur, lau-
„ dem habebis ex illa; vel cum
„ eam in obsequium Dei lucra-
„ tus fueris, vel cum ejus per-
„ secutione coronam merueris.“
Et c. 74. „ Quoniam dixit, Ne-
„ cessitate subditi estote; ne quis
„ non integro animo, & pura
„ dilectione subditus fieret hu-
„ iusmodi potestatibus, addidit;
„ dicens, Non solum propter i-
„ ram, sed etiam propter con-
„ scientiam, idest non solum ad
„ iram evadendam, quod potest
„ etiam simulate fieri, sed ut in
„ tua conscientia certus sis, il-
„ lius dilectione te facere, cui
„ subditus fueris iussu Domini
„ cui. “ Vide, Nazianenum Or-
rat. 17. Ambrosium lib. 4. in
Luc. num. 73. Chrysostomum Ho-
mili. 23. in Epist. ad Rom. Da-
masceum Orat. 2. de Imaginibus
num. 12. Uno verbo Patres uni-
versos, qui uti debitam subli-
mioribus Potestatibus subiectio-
nem, & obedientiam professi
sunt, etiam Principum aliquis
potentiam non in publicum bo-
num, sed in Religionis, ac Rei-
publicae perniciem adhibuerint,
ita impiam tytannicidū senten-
tiā execrati sunt.

Merito igitur in Concilio Con-
stantiensi sess. XV. eadem senten-
cia condemnata fuit tamquam her-
etica; quam Concilii definitio-
nem Paulus V. Rom. Pont. edita
Constitutione, quæ incipit, *Cum
Dominicus gregis an. 1615. inno-
vavit, & quatenus opus esset,* approbavit, & confirmavit, ut
videtur est Tom. V. par. IV. Bull.
Rom. pag. 179. Definitio autem

Constantiensis Synodi, quæ in
eadem Constitutione refertur,
est hujusmodi: *Hec Sacrosancta
Synodus . . . nuper accepit,*
*quod nonnullæ assertiones erro-
neæ in fide, & bonis moribus,*
*ac multipli citate scandalose, to-
tiusque Reipub. statum, & ordi-
nem subversere molientes, dog-
matizatae sunt, inter quas haec
assertio delata est: Quilibet ty-
rannus potest, & debet licite,*
*& meritorie occidi per quem-
cumque vassallum suum, vel sub-
ditum; etiam per clanculares in-
fidas, & subtile blanditias,*
vel adulaciones, & non obstante
quocumque praestito iuramento,
seu confederacione fallis cum eo,
non expectata sententia, vel
mandato Judicis cuiuscumque.
Adversus hunc errorem satagens
haec Sancta Synodus insurgeare,
& ipsum funditus tollere proba-
bita deliberatione matura, de-
clarat, decernit, & definit, hu-
jusmodi doctrinam erroneam esse
in fide, & in moribus, ipsam
que tamquam hereticam, & scan-
dalosam, & ad fraudes, dece-
ptiones, mendacia, proditiones,
perjuria vias dantem, reprobat,
& condemnat. Declarat insuper
decernit, & definit, quod per-
tinaciter doctrinam hanc perni-
cioſissimam afferentes, sunt her-
etici, & tamquam tales juxta
Canonicas Sanctiones punienti.

Has divinas prescriptiones ex
Romane, adeoque Catholicæ Ec-
clesie senti confessatus Sanctissi-
mus Dominus Noster Clemens
XIV. Pontifex Maximus in his,
quas anno 1769. 12. Decembbris
ad universos Ecclesias Catholicæ
Episco-

Laici , excommunicatione plectendos , decernitur
Can. Conspirationum , & Can. Si qui Clerici , cauf. II.
quaest. I.

Respectu locorum , lethalis proditionis rei sunt , qui Regnum , Provinciam , Urbem , Castrum , aut aliquem locum seu fidei suæ , seu alienæ commissum , & a legitimo Domino possessum , hostibus tradunt ; nam fides , & justitia hujusmodi traditione violantur .

Respectu rerum , proditio lethalis est , si quis absconditas alicujus pecunias , supellectiles , chârtas , titulos , contractus , apochas , codices magni momenti , & similia indicet latroni , ut ea rapiat .

Denique respectu arcanorum , lethalis perditio-
 nis labem contrahunt , qui alterius arcum in ejus
 detri-

Episcopos dedit , Litteris , ma-
 gnopere eos hortatur , ut post
 Deum , ac divini cultus consti-
 tutas in Ecclesia rationes , om-
 nem sollicitudinem suam ad Po-
 pulum Regum obedientia , ac ob-
 sequio rite imbuendum conver-
 tant . Illi nimirum , inquit , ad
 publicam incolumitatem tuendam ,
 ac homines in iuri equitate
 continentados in altissimo gradu
 præ ceteris sunt constituti . Mi-
 nistri enim Dei sunt in bonum ,
 nec sine causa gladium portant ,
 vindices in iram ei , qui malum
 agit ; carissimi præterea Ecclesiæ
 Filii sunt , ac Patroni , quorum
 est eandem ut Parentem dilige-
 re , ejusque causam , ac jura cu-
 stodire . Quos igitur instruendos
 in Christi Lege suscepistiis , ma-
 ture divino illo precepto imbuen-
 dos curate : Fidem Regibus san-
 te esse servandam ab ipsis in-
 cunabulis percipiunt , parendum
 auctoritatî , legibus obsequen-
 dum , non solum propter iram ,
 sed etiam propter conscientiam .
 Cum ita Populorum animi fuerint
 opera vestra excitati , non

solum ut Regibus dicto audienc-
 tes sint , sed etiam ut eos con-
 lant , ac diligent , tum optime
 & Civium tranquillitati , &
 Ecclesiæ utilitati , que inter se
 disjunctæ esse non possunt , con-
 suletis &c.

Postremo animadvertisimus , im-
 proborum , & hereticorum ho-
 minum morem esse , Principibus
 Catholicis tyrannidem exprobra-
 re . Sic Petilianus apud S. Au-
 gust. lib. 2. contra litteras Petili-
 anii n. 202. ajebat : „ Quid au-
 „ tem vobis est cum Regibus
 „ seculi , quos numquam Chri-
 „ stianitas , nisi invidos sensit ? ” Cui Augustinus respondet ibidem
 n. 203. seqq. „ More vestro uni-
 „ veraliter in omnes Catholicos
 „ hujus inventionis impetu fe-
 „ reris An forte quia Im-
 „ peratores Christiani quod va-
 „ lere arbitrantur ad Christiani-
 „ tatem , contra vestram statu-
 „ unt voluntatem , Christianita-
 „ tis invidi appellantur ? Sic
 „ desipiant omnes heretici , &
 „ testiant , ut non sint here-
 „ tici . ”

detrimentum aperiunt, & divulgant: quod repugnat naturæ legi, fidei, amicitiæ, & justitiæ. Tales sunt Consiliarii, & Ministri Principum, & Rerumpublicarum revelantes eorum secreta. Similiter qui societatis alicujus arcana, consilia, & negotia patefaciunt in ejus damnum. Item Procuratores, & Advocati, qui clientum arcana revelant adversæ parti. Præterea Medici, Chirurgi, Pharmacopolæ, qui morbos pudendos, sed occultos eorum, qui se ipsorum fidei, curisque crediderunt, ad ipsorum infamiam divulgant. Multo magis Confessarii abutentes sigillo Confessionis. Demum quisquis arcanum amici sibi creditum, quod sit gravis momenti, & ex eius revelatione malum ipsi probabiliter immineat, alteri præter illius voluntatem revelat. Nam qui denudat arcana amici, fidem perdit, ut dicitur Eccl. 27.

Q. 2. An liceat aliquando revelare arcanum sibi creditum?

R. Qui arcanum sibi creditum etiam ab amicissimo, revelat, cum vergit in grave damnum tertii, præsertim Ecclesiæ, Reipublicæ, & cuiuscumque Communitatis, non solum non est reus proditionis, sed mortaliter peccaret, nisi illud revelaret iis, ad quos pertinet, ut damnum caveant, vel prohibeant. Nec contra hoc debitum potest quisquam obligari per secreti commissum, quia, ut docet S. Thomas (*a*) *in hoc frangeret fidem, quam alteri debet* (excipe sacramentalis Confessionis arcanum, quod nullo casu patefieri potest). Id verum est, etiamsi dixerit vir nequam, hoc tibi arcanum credo sub sigillo Confessionis (modo extra Confessionem sacramentalem hoc dicat), quia nullum secretum

Tom. III.

H

reci-

(a) 2. 2. q. 70. ar. 1. ad 2.

recipiendum, ac celandum est contra bonos mores, & bonum commune: unde secretum contra bonum commune suscipere non licet (*a*). Si tamen arcana, alterius fidei commissa, celari sine peccato possunt, ille cui credita sunt, nullo modo tenetur ea prodere, etiam ex præcepto Superioris, quia servare fidem est de jure naturali (*b*).

Q. 3. An peccet qui obsignatas aliorum litteras resignat?

R. Non solum injustæ curiositatis, sed & proditionis crimen incurrit, juri gentium, & publicæ fidei contrarium, qui obsignatas aliorum litteras, invitis dominis, resignat: nullum enim homo habet jus cognoscendi cogitationes, & arcana consilia, vel negotia alterius litteris commissa, & sigillo munera; nam quilibet jus habet cogitationes suas abscondendi, & cui voluerit patefaciendi.

Excipitur 1. Si quis certus sit, res levis dumtaxat momenti alienis litteris contineri; sic enim venialiter peccaret, litteras referando.

2. Si non temere, sed probabiliter judicet, litteras, vel in proprium, vel in tertii cujuspiam, præfertim Communitatis daminum conscriptas esse: nam jure suo excidit, qui eo abutitur in alterius dimum.

3. Si litteræ referentur publica auctoritate, scilicet Regis, Proregis, Præfecti Provinciæ, vel Urbis, aut Ducis exercitus mandato, tempore belli: item jussu Magistratus, cum ad eos scriptæ sunt, qui criminis alicujus in suspicionem veniunt.

4. Licet patri, & matri referare litteras filiorum, & filiarum sub eorum cura adhuc veſtantium. Et idem dicendum, tam de iis, qui sunt loco patris, & matris post ipsorum mortem; quam de viro respectu uxoris, non tamen de uxore respectu viri, si vir

(*a*) S. Th. 2. 2. q. 68. ar. 1. ad 3.

(*b*) Ibid. q. 70. ar. 1. ad 2.

si vir sit invitus, & repugnans; cum uxor subdatu*r*
viro, non vir uxori.

5. Licet Superioribus Religiosorum, & Abbatis-
sis, aut Priorissis Monialium, quibus litterarum scri-
ptio, & receptio clandestina ex Regula; vel Con-
stitutionibus est interdicta, subditotum, vel subdi-
tarum litteras aperire, & legere.

§. II.

De Fraude, Fallacia, & Perjurio.

Q. 1. **Q**uid sit fraus? & quomodo differat ab astutia, & dolo?

R. Fraus est peccatum, quo quis media astute ad pro-
ximi deceptionem excogitata, adhibet ad assequendum
avaritiae finem. Differt ab astutia, & dolo, quia
astutia est excogitatio viarum falsarum, simulata-
rum, obliquarum ad finem aliquem consequendum;
dolus est exequitio astutiae, seu verbis, seu factis,
quamvis etiam in corde sit dolus juxta illud Ps. 37.
Dolos tota die meditabantur. At vero fraus spectat
ad exequitionem astutiae, quatenus ejus opus factis
consuminatur. Astutia licita non est ne quidem ad
bonum finem, quia non oportet ad finem bonum falsis
viis pervenire, & simulatis, sed veris. Unde astutia
etiamsi ordinetur ad bonum finem, est peccatum (*a*),
& pertinet ad falsam prudentiam. Fraus præcipue
committitur in emptionibus, venditionibus, & lu-
do: de quibus dicemus infra agentes de contracili-
bus in specie.

Q. 2. Quid sit fallacia? quid perjurium? & quan-
do fallacia sit peccatum lethale?

R. Fallacia est verborum mendacium, aut equivoco-
rum dolosa usurpatio ad decipiendum proximum. Perju-

(a) S. Thom. 2. 2. q. 55. ar. 3. ad 2.

gium est eadem usuratio in eundem finem jura-
mento confirmata.

Lethalis fallaciæ reus est, qui promissa, & pa-
sta non servat in re gravi: nam frangendo fidem,
violat jus naturæ, & contra iustitiam agit, cum
se promissione obligaverit. Item qui sponte promis-
sa rem honestam, possibilem, gratam, & acceptam
ei cui facta est promissio, & res est magni momen-
ti, lethalis fallaciæ reus est, tamen si non habuerit
voluntatem se obligandi, si eam voluntatem ver-
bis, aut instrumentis expresserit, nec tamen pro-
missionem impleat; quia delusus proximum in re
gravi (a).

Non est tamen fallaciæ reus, qui non servat pro-
missionem de re illicita, quia promittendo pecca-
vit, & mutando propositum bene facit: unde illud (b), *In malis promissis rescinde fidem*. Idem esto
judicium, si mutatae sint condiones personarum, &
negotiorum; ut si fiat impossibile, quod tempore
promissionis erat possibile; vel si promissum ita fiat
arduum ex aliqua circumstantia, ut si promissor il-
lam prævidisset, non fuisse promissurus, vel casum
illum excepisset, v. gr. si promisit merces mittere,
& accedat (c) Regis prohibitio (d).

Præterea non peccat, qui non servat promis-
sum extortum vi, metu, aut dolo; quia ille, qui
vim intulit, hoc meretur, ut ei promissum non serve-
tur (e). Et similiter dicendum de eo, qui promis-
sum non solvit illi, cui promissio non est grata,
nec accepta.

At

(a) S. Th. 2. 2. q. 88. ar. 3.

(b) Can. In malis, caus. 22.
quæst. 4.

(c) Vide S. Th. ar. cit. ad 2.

(d) Obligatio promissionis tunc
cessat, seu potius sumquam ex-

tit, cum prudenter judicatur,

promitterent, dum promitteret,
non intendisse se in tali casu ob-
ligare, seu casum illum voluit

se exceptum.

(e) 2. 2. q. 89. ar. 7. ad 3.

At vero lethalis fallaciæ reus est, qui pro altero fidejussorem se obligat, cum tamen nec ipse solvendo par est, nec principalem debitorem solvendo futurum existimat: sic enim gravis damni occasionem præbet creditor: unde dicitur Eccles. 8. Non spondeas super virtutem tuam: quod si spoponderis, quasi restituens cogita (a).

Q. 3. Quomodo se gerere debeat Confessarius cum illis Mercatoribus, qui mendaciis, & perjuriis asseverunt, nec aliter vendere, & emere se posse ajunt?

R. Debet illis absolutionem differre, donec præsum habitum emendaverint; versantur enim in occasione continua, & affectu peccati lethalis: quippe mendacium semper est lethale, cum adhibetur ad decipiendum proximum in re gravi, aut perjurio confirmatur. Sane difficile est, inter ementis, vendentisque commercium non intervenire peccatum, ut ait S. Leo (b). Sed hoc negotiatorum esse vitium, & negotiationem sine peccato exerceri posse, S. Augustinus (c) ostendit. Unde excusatione digni non sunt Mercatores, qui fatentur, se vendere, & emere absque peccato non posse.

§. III.

De Sollicitudine

Q. Quid sit sollicitudo; & an lethale peccatum?

R. Sollicitudo est nimia, anxiaque animi occupatio circa temporalia vitae subsidia, ne forte in futurum desint. In triplici casu est peccatum lethale. 1. Cum finem ultimum in rebus temporalibus quis consti-

H 3 tuit:

(a) De promissione vide infra.

(b) Epist. 107. al. 2. ad Rusticum in resp. ad inquisit. 17.

(c) In Psalm. 70. n. 17.

guit: unde ait Christus (*a*): *Quærite primum Regnum Dei, & justitiam ejus: & hæc omnia adjicientur vobis*: significans, quod illud primum quærendum sit, num vero temporale posterius; illud *tamquam bonum nostrum, hoc tamquam necessarium nostrum*, ut explicat S. Augustinus (*b*), 2. Cum quis terrenis curis ita se immergit, ut æternæ salutis curam abjiciat, juxta illud Matth. 13, *Sollicitudo seculi istius, & fallacia divitiarum suffocat verbum, & sine fructu efficitur.* 3. Cum quis Divinæ Providentiae diffidit, timens, ne faciendo, quod debet, necessaria sibi deficiant. Hunc timorem triplici via exclusit Christus, ut docet S. Thomas (*c*): „Primo propter „majora beneficia homini praestita divinitus, praे- „ter suam sollicitudinem, scilicet corpus, & ani- „mam, Secundo propter subventionem, qua Deus „animalibus, & plantis subvenit absque opere hu- „mano, secundum proportionem suæ naturæ. Ter- „tio ex Divina Providentia &c. “

Temporalium sollicitudo non repugnans fini charitatis, superflua tamen, & anticipata, est peccatum veniale (*d*): nullum enim est opus bonum, quod non sit comitatum debitiss circumstantiis, quam una est debitum tempus.

§. IV.

De Violentia.

Q. **U**id sit violentia? & quando mortale peccatum?

R. **V**iolentia est peccatum, quo quis ditior, & posterior aliena usurpat, suam ut expleat cupiditatem. Multi sunt casus, in quibus violentia est lethale peccatum.

I. Igi-

(*a*) Matth. 6. (*b*) L. 2. de Serm. Dom. in Monte c. 16.

(*c*) S. Thom. 2. 2. q. 55. art. 6. (*d*) Ibid.

1. Igitur lethalis violentiae rei sunt divites, qui pauperes opprimunt rapinis, oneribus, injuriis, verberibus, inquis vestigialibus. Hæc flagitia leges justitiae, charitatis, imo humanitatis evertentia, execratur Deus Prov. 22. his verbis: *Non facias violentiam pauperi, quia pauper est: neque conteras egenum in porta. Quia judicabit Dominus causam ejus, & configeret eos, qui confixerunt animam ejus.*

2. Ejusdem criminis rei sunt Consules, Collectores, & quicumque imponunt inductiones publicas, tributa, seu tallias (ut vocant), proportione facultatum minime servata; & pauperum aggravant onera, ut ditiores sublevent, aut ipsi præstationes suas minuant. Item Nobiles, qui ex agris non nobilibus inductiones, seu tallias non solvunt iis in Provinciis, in quibus hujusmodi inductiones solvere tenentur; quo fit, ut talia onera Consules, aut Communia Oppidorum, vel Pagorum in cæteros incotulas rependere cogantur. *Quis æstimare rem hujus iniuritatis potest? (pauperes) solutionem sustinent divitum, & indigentiam mendicorum.* Ita invehitur Salvianus (a) adversus tam crudele violentiae genus.

3. Similiter peccant, qui inductionum, sive talliarum, aut tributorum remissionem a Principe, aut a Republica concessam, non distribuunt secundum æquitatis leges, spectatis locorum, & hominum facultatibus, & oneribus. Hujus etiam immanitatem flagitiæ verbis gravissimis perstringit Salvianus (b): *Et putamus, innuit, quod pœna divine severitatis indigni sumus, cum sic nos semper pauperes puniamus?*

4. Idem esto judicium de Toparchis, Magnatibus, Divitibus, & Potentibus, qui pauperibus patrocinium suum vendunt, & ab eis munera, obsequia, servitutes indebitas, & operas exigunt clien-

H 4

telæ

(a) L. 5. de Provid. Dei n. 42. (b) Ibid. n. 53.

telæ prætextu, vexationesque graviores redimere cogunt minorum vexationum tolerantia. Contra hos etiam invehitur Salvianus (a). *Quis, inquit, afflire hoc malum possit? Rebus eorum incubant invasores, & tributa miseri pro pervasoribus solvunt.*

5. Lethalis violentiæ rei sunt Toparchæ, seu Domini, qui Tenentes suos, seu Vassallos cogunt; ut ad suum molendinum frumenta sua molenda deferant, quamvis molendinum bannale non sit. Item, qui ad molendinum bannale venire cogunt homines ab omni servitute liberos: aut molitores suos haud æqua mensura uti patientur. Item, qui absque legitimo titulo, aut præscripta consuetudine compellunt homines, ut ad suum furnum coquendum panem, aut ad torcular premendas uvas, aut poma, vel olivas deferant. Hi sane justitiam, & charitatem violent, foventque molitorum, aliorumque rapacitatem. Porro jus molendini, furni, aut torcularis bannalis nemini competit, nisi municipali jure, aut præscripta consuetudine, aut concessione Principis, aut libera pactione ab incolis inita cum Domino. Cæterum longi temporis consuetudinem vicem servitutis obtainere, si possessio, nec vi, nec clam, nec precario possidet, constat ex L. I. Si quas, C.t. de servitutibus, & aqua. Quoad molitores spectat, tenentur bannalium molendinorum domini invigilare, ut æqua mensura utantur; alioquin mortaliter peccant, & restitutioni sunt obnoxii.

6. Lethalis violentiæ rei sunt Nobiles, qui minis, & terroribus prohibent, ne ipsorum Vassalli Decimas Capitulis, Monasteriis, aut Parochiis debitas conducant, ut ipsis vili pretio elocentur. Multo magis, qui Decimarum solutionem impediunt. Inferunt enim gravem injuriam Ecclesiae liber-

(a) Cit. l. 5. de Providentia Dei n. 63.

bertati. Qua de re extat Decretum Concilii Tridentini (*a*) præcipientis „Omnibus, cujuscumque „gradus, & conditionis sint, ad quos Decimarum „solutio spectat, ut eas, ad quas de jure tenentur, Cathedrali, aut quibuscumque aliis Ecclesiis, „vel personis, quibus legitime debeantur, integre „persolvant. Qui vero eas, aut subtrahunt, aut „impediunt, excommunicentur; nec ab hoc criminis, nisi plena restitutione secuta, absolvantur.“ Ejusdem criminis rei sunt Nobiles, qui colonos cogunt, ut censualia, prædialiaque jura sibi solvant, eaque colligunt, & in sua horrea transferri jubent, ante collectionem, & solutionem Decimarum: hoc enim vergit in Ecclesiæ injuriam, & Decimatorum detrimentum (*b*).

7. Lethalis violentiæ rei sunt Nobiles, quorum Toparchiis adnexum est jus sanguinis, si maleficos, ac sceleratos poenam legibus constitutis plecti non current, sive ut sumptibus pareant, sive ut commodum aliquod ex patrocinio illis impenso consequantur. Idem est de Judicibus, qui criminosos coercere, & punire negligunt, aut poenas legibus statutas relaxant (quod soli Principes possunt, nec citra causam legitimam), aut poenas corporales in mulieras pecuniarias convertunt. Nam violentia divinum mandatum Deuter. 13. *Ausferes malum de medio tui . . . neque parcat ei oculus tuus, ut miserearis.*

8. Lethalis violentiæ rei sunt Judices, qui pauperes, pupillos, viduas, quibus succurrere possunt, & tenentur ex officio, a Magnatibus opprimi patientur. Adversus eos dicitur Jerem. 5. *Causam viduae non judicaverunt, causam pupilli non direxerunt, & iudicium pauperum non judicaverunt. Numquid super his non visitabo, dicit Dominus?*

g. Idem

(a) Sess. 25. de refor. cap. 12.

(b) Vid. C. Cum non sit, ext. de Decimis.

9. Idem crimen committunt tum Judices non admittentes recusationem , aut appellationem , quam debent , in casibus , in quibus licet Judicem recusare , vel ab eo appellare ; tum inique appellantes ; tum supremi Judices , qui male appellantes non plectunt , ut appellationum abusus rescent . Non sicut qui injuste a Judice gravatur , licite appellat , quia hoc est prudenter evadere ; ita qui appellat afferendæ moræ causa , ne contra ipsum iusta sententia pronuncietur , calumniose se defendit , injuriatque Judicem , cuius impedit officium , & adversarium suum , cuius justitiam , quoad potest , perturbat (a) .

10. Non solum violentiæ , sed & rapinæ rei sunt Publicani , qui aliquid exigunt , & extorquent præter id , quod ipsis a Rege , vel a Republica constitutum est . Dicitur enim Luc . 3. *Nihil amplius quam quod constitutum est vobis , faciatis.* Hinc in jure non modo decreta est pœna exilii contra hujusmodi Publicanos (b) ; verum est (c) , ut quod illicite exactum est , cum altero tanto passis injuriam exsolvatur : per vim vero extortum , cum pœna tripli restituatur .

11. Lethalis violentiæ rei sunt , qui pauperibus suas domos , vel agros vi adimunt , aut vendere cogunt , etiam justo pretio . *Emptor enim non cogere , sed persuadere debet* , ait Chrysostomus (d) .

12. Sunt , qui proximo de usu luminis in dominibus suis lites injustas intentant , easque demori cogunt . Hi lethalem violentiam committunt : & eorum iniqüitas dum cupid corporis oculis temporale lumen largius acquirere , cubiculum cordis luci non aperit æquitatis (e) .

13. Le-

(a) S. Th. 2. 2. q. 69. ar. 3. (b) L. Si Provincialium , t. de vestig.

(c) L. Locatio , ff. 1. 39. t. 4. de Public. Vestig.

(d) Hom. 87. in Matth. (e) Scrm. 50. al. de div. 15. n. 7.

13. Lethalis violentiae rei sunt, qui alicujus Ecclesiæ, seu Beneficii sacerdotalis, vel regularis, aut cuiuslibet Pii Loci jurisdictiones, bona, census, ac jura etiam feudalia, & emphyteutica, fructus, emolumenta, seu quascumque obventiones, quæ in Ministeriorum, & pauperum necessitates converti debent, per se, vel alios, vi, vel timore incusso, seu quacumque arte, aut quocumque quæsito colore in proprios usus convertere, & usurpare præsumplerint, seu impedire, ne ab aliis, ad quos jure pertinent, percipientur. Ejusdem criminis rei sunt, qui defunctorum oblationes, & pia legata intervertunt, retinent, vel Ecclesiis, aut aliis Pii Locis tradere differunt. Contra hos omnes excommunicationem decernunt Canones (a), donec restitutis rebus, Ecclesiam, vel ejus Administratorem, aut Beneficiatum indemnum reddiderint. Concilium Tridentinum (b) in violentos rerum Ecclesiasticarum invasores, & detentores excommunicationem pariter decernit; & hujusmodi violentia casus est Summo Pontifici reservatus. Si Patronus in hoc crimen incurrat, privatur ipso facto jure Patronatus. Clericus usurpationis auctor, vel conscientius, excidet insuper omnibus Beneficiis, & fiet perpetuo inhabilis ad alia Beneficia, & ab Ordinum suorum executione, etiam post integram satisfactionem, & absolutionem sui Ordinarii arbitrio suspendetur.

14. Lethalis violentiae rei sunt divites, qui pauperes ad tribunalia trahunt, corruptisque pecunia, vel favore judicis, opprimunt, & spoliant: aut litigantes pauperibus intentatas malis artibus ita protrahunt, ut ab iis prosequendis omnino desistere cogantur: aut minis, & incusso terrore impediunt, ne a pauperibus sua repetentibus in jus ipsi vocentur.

(a) Vide Conc. Nicæn. 2. c. 13., & Later. 3. c. 19.

(b) Sess. 22. de ref. c. 11.

tur. De his dicitur Jac. 2. *Nonne divites per potentiam opprimunt vos, & ipsi trahunt vos ad iudicia?*

15. Lethalis violentiae rei sunt Magnates, Nobiles, & Potentes, ac Magistratus, qui subditos suos, vel alios cogunt collocare in Matrimonium filias suas, nepotes, aut pupillas, liberis, amicis, aut servis suis; vel quovis modo directe, vel indirecte aliquem, vel aliquam injuste cogunt, quominus Matrimonium libere contrahat. Hoc enim est contra Matrimonii libertatem. Tridentina (a) Synodus praecipit omnibus, cuiuscumque gradus, dignitatis, & conditionis existant, sub anathematis pena, quam ipso facto incurvant, ne quovis modo directe, vel indirecte subditos suos, vel quoscumque alios cogant, quo minus libere Matrimonia contrahant. Quae tamen pena afficit tantum Dominos temporales, & Magistratus, ut declaravit Sacra Congregatio Concilii apud (b) Fagnanum; illamque incurvant, etiamsi ad puellam obtainendam regiam adhibuerint auctoritatem (c).

16. Denique libertatem violentiae rei sunt, tum ii, qui liberos, vel alios Religionem ingredi, & profiteri adigunt vi, aut metu; tum qui a Religionis ingressus, vel Professione aliquem impediunt absque justa causa. Ad priores quod attinet, Concilium (d) Tridentinum „Anathemati subjicit omnes, & singulas personas, cuiuscumque qualitatis, vel conditionis fuerint, tam Clericos, quam Laicos, Sæculares, vel Regulares, atque etiam qualibet dignitate fungentes, si quomodocumque coegerint aliquam virginem, vel vi duam, aut aliam quamcumque mulierem, invitam, præterquam in casibus in jure expressis, ad ingredien-

(a) Sess. 24. de Reform. Matrim. cap. 9.

(b) In C. insinuante, ext. qui Clerici, vel voyentes &c.

(c) Can. nullus, cauf. 36. quæst. 2.

(d) Sess. 25. de Reg. & Monial. cap. 18.

„ diendum Monasterium , vel ad suscipiendum habitum cujuscumque Religionis , vel ad emittendam Professionem : quique consilium , auxilium , „ vel favorem dederint : quique scientes eam non „ sponte ingredi Monasterium , aut habitum suscipere , aut Professionem emittere , quoquo modo eidem actui , vel præsentiam , vel consensum , vel auctoritatem interposuerint . “ Similiter eidem Concilium (a) „ Anathemati subjicit eos , qui sanctam Virginum , vel aliarum Mulierum voluntatem vel accipiendi , vel voti emittendi , quoquo modo sine justa causa impedierint . “

§. V.

De obduratione contra Misericordiam.

Q. 1. **U**id sit? & quando peccatum lethale?

R. Obduratio contra Misericordiam est pravus animi affectus , quo divites ita rerum suarum sunt tenaces , ut cor eorum miseriis proximorum emolliri non possit ad eorum inopiam suis opibus sublevandam . Lethaliter sunt obdurati contra Misericordiam .

1. Qui pauperibus pecuniam dare mutuo , nisi sub fœnoris conditione renuunt ; violent enim Domini præceptum (b) : *Mutuum date , nihil inde sperantes.* Et (c) : *Non obdurabis cor tuum , nec contrahes manus , sed aperies eam pauperi , & dabis mutuum , quo eum indigere perfixeris.* Idem dicendum de illis , qui in extrema necessitate constitutis mutuum dare renuunt , quod nulla sit spes recuperandæ fortis .

2. Qui rem pauperum usibus necessariam ab ipsis in pignus accipiunt , ac diu retinent , contra Divinum Mandatum (d) : *Si pignus a proximo tuo acceperis vesti-*

(a) Ibidem. (b) Luc. 6. (c) Deut. 15. (d) Exod. 22.

vestimentum, ante Solis occasum reddes ei. Ipsum enim est solum, quo operitur, indumentum carnis ejus, nec habet aliud, in quo dormiat. Hinc Jure Civili (*a*) prohibetur sub gravi poena, ne boves aratorii, aut aratorium instrumentum pignoris causa a creditoribus auferantur.

3. Qui frumenta necessitatis tempore abscondunt, faciuntque, ut sua culpa carior, ac durior sit annona. Peccant enim gravissime contra charitatem, & justitiam, maxime si sint Clerici. Dicitur enim Prov. XI. *Qui abscondit frumenta, maledicetur in populis : benedictio autem super caput vendentium.*

4. Qui tempore famis peregrinos Urbe expellunt, si satis annonæ suppetat, vel comparari possit, ut illis simul, & indigenis subveniatur : immane quippe est, *cum quibus fuerint communia iuria cum his nolle in tempore necessitatis subsidia partiri* (*b*).

5. Qui pauperibus in extrema necessitate constitutis non dant eleemosynam, cum ex superfluis naturæ, tum ex necessario personæ, seu status. Item qui pauperibus gravem necessitatem patientibus, seu quibus probabili conjectura mors imminentia metuitur, vel qui versantur in evidenti periculo patiënti grave aliquod detrimentum, ut gravem morbum, carcерem, infamiam &c. eleemosynam non dant etiam de necessariis ad conservandum sui status decorem. Non solum enim extremam, sed gravem necessitatem expressit S. Joannes (*c*) scribens : *Qui habuerit substantiam hujus mundi, & viderit fratrem suum necessitatem habere, & clauserit viscera sua ab eo : quomodo charitas Dei manet in eo?* Præterea, qui pauperibus communem necessitatem patientibus non erogant ea, quæ necessaria non sunt servandæ sui status,

ac

(*a*) L. Executores, & L. Pignorum. C. t. quæ res pignori &c.

(*b*) S. Ambros. lib. 3. de Offic. cap. 7. (*c*) Epist. 1. cap. 5.

ac dignitatis decentiae, lethalis obdurationis rei sunt, ut probant verba Christi (a): *Verumtamen quod superest, date eleemosynam.* Super quae verba S. Gregorius (b): *Omne, inquit, quod superest necessitatibus, in causis piis, ac religiosis erogandum est, Domino, ac Magistro omnibus dicente: Quod superest, date eleemosynam,* & ecce omnia munda sunt vobis.

6. Lethalis obdurationis contra Misericordiam rei sunt, qui praefenti statui superflua servant, ut ad altiorem statum ascendant, aut censum augeant, si avaritiæ, aut ambitionis impulsu illa reseruent: vel graves pauperum necessitates postulent, ut iis in præsentiarum succurrant: vel aschesus ille ad altiorem statum probabilis non sit: vel si probabiliter sit futurus, frequentes, & sufficientes eleemosynas pauperibus communem etiam necessitatem patientibus non erogent. Ita S. Thomas (c) docens, omissionem eleemosynæ esse peccatum mortale ex parte dantis, cum habeat superflua, quæ secundum statum præsentem non sunt sibi necessaria, prout probabiliter astimari potest. Et subdit: *Nec oportet, quod consideret omnes casus, qui possunt contingere in futurum.* Hoc enim esset de crassino cogitare, quod Dominum prohibet Matth. 6. *Sed debet dijudicari superfluum, & necessarium secundum ea, quæ probabiliter, & ut in pluribus occurront.* Hinc Innocentius XI. hanc propositionem damnavit: *Vix in sæcularibus invenies, etiam in Regibus, superfluum statui.* Et ita vix quis tenetur ad eleemosynam, quando tenetur tantum ex superfluo statui. Confessarii ergo debent præcipere divitibus, ut superflua sua pauperibus etiam communem necessitatem patientibus erogent, juxta illud Apostoli (d): *Divitibus hujus sæculi præcipe non sublime sapere, neque sperare in incerto divitiarum, sed in Deo vivo*

Bene

(a) Luc. 11. (b) Lib. 14. Epist. 16. ad interrogat. 2.
(c) 2. 2. q. 32. ar. 5. ad 3. (d) 1. Tim. 6.

Bene agere, divites fieri in operibus bonis, facile tribuere &c. Qui non ita sunt affecti divites, absolvī non debent?

7. Lethalis obdurationis rei sunt divites, qui Christianæ frugalitatis, & moderationis regulas prætergressi, ea, quæ familiæ sustentationi, & status sui decentiæ minime necessaria sunt, in frequentes, & splendidas epulas, in ædium magnificentiam, in pretiosorem, quam par sit, supellectilem, in vestium luxum, in ludos, aut voluptates, sive curiositatis lenocinia profundunt. Hi nempe pauperibus subtrahunt superflua, quæ ipsis debent, & maledictioni subjiciuntur, quæ exarata est Amos 6. *Vae, qui opulenti estis in Sion, & confiditis in monte Samariæ: Optimates capita populorum, ingredientes pompatice domum Israel.* Qui dormitis in lectis eburneis, & lascivitis in stratis vestris: qui comeditis agnum de grege, & vitulos de medio armenti: qui canitis ad vocem psalterii Bibentes vinum in phialis, & optimo unguento delibuti, & nihil patiebantur super contritione Joseph, idest super calamitate, & inopia fratris (a).

8. Ejusdem lethalis obdurationis reus est, qui pauperi omnibus omnino bonis temporalibus, & vitæ præsidiis, viribus, arte, & industria destituto, pro credito factam subvenire paratus est, non vero eleemosynam simpliciter erogare: is enim præceptum eleemosynæ eludit, quæ sine onere fieri debet.

9. Qui Prædicationis talento donati, illud in proximorum salutem impendere renuunt, lethalis obdurationis rei sunt. *Admonendi sunt, ait (b) Sanctus Gregorius, qui cum predicare utiliter possunt, immoderata tamen humilitate refugiunt Si populus fames*

(a) Vide Nazianz. Orat. 16. de pauperum amore,
(b) 3. par. Pastor. admonit. 26.

mes attereret, & occulta frumenta ipsi servarent, autores procul dubio mortis existerent. Quia ita plectendi sunt pena considerent, qui cum fame Verbi animæ perirent, ipsi panem perceptæ gratiae non ministrant. Hi sane proximum non diligunt, cujus salutem non procurant: non diligunt Ecclesiam, quam ædificare recusant: non diligunt Christum, cujus oves pacere negligunt.

10. Advocati, qui causas pauperum in extrema, vel gravi necessitate constitutorum, gratis patrocinari renuant; cum scilicet pauperes sic egent patrocinio, quod tamen procurare non possunt pecunia, & similibus auxiliis, ut, nisi adjuventur, causa sint casuri, & injusta morte plectendi, vel suis rebus omnibus spoliandi, aut gravem bonorum suorum jacturam passuri &c. lethalis obdurationis rei sunt, si verisimile sit, neminem ipsorum causam cito suscepturn, ac defensurum. *Advocatus*, inquit (a) S. Thomas, non tenetur semper cause pauperum patrocinium præstare, sed solum concurrentibus conditionibus prædictis, scilicet, ut pauper occurrat, ut necessitas sit præsens, ut non in promptu appareat, quomodo ei possit aliter subveniri. Idem dicendum de Judicibus, nisi pauperibus designent *Advocatum*, qui causas ipsorum gratis agat.

11. Ex præcepto de proximi dilectione tenentur Medici, Chirurgi, Pharmacopolæ pauperibus ægratis, qui ab omnibus deserti sunt, aut probabiliter deserendi, succurrere, & eorum curationem gratis procurare, juxta illud (b): *Erue eos, qui deducuntur ad mortem, & qui trahuntur ad interitum, liberare ne cesses.* Id nisi faciant, lethalis obdurationis rei sunt. Ita eruitur ex S. Thoma, qui post expositam *Advocati* obligationem eo, quo diximus, modo, subdit:

Tom. III.

I

Et

(a) 2. 2. q. 71. ar. 1. (b) Prov. 24.

Et idem dicendum est de Medico quantum ad curationem pauperum.

12. Lethaliter obdurati sunt, qui volentes subvenire pauperibus, & calamitosis hominibus, aut Religiosorum, vel Monialium ex eleemosynis victitantium Cenobiis, & Praepositis suis, Parochialibus Ecclesiis, pauperum Clericorum Seminariis benefacere, a pio illo proposito quoquo modo deterrent, aut impediunt; vel fundationes, aut pia legata in eorum favorem facta revocare cogunt, aut suadent, absque justa causa. Dicitur enim Prov. 3. *Noli prohibere benefacere eum, qui potest: si vales, & ipse benefac.* Quandoque tamen tenetur conscientiae Moderator penitentibus praecipere, ut fundationes in favorem praedictorum locorum, vel personarum factas rescindant, & comiutent, scilicet, cum penitentes sunt restitutioni obnoxii, vel debitibus onerati, vel parentes, aut propinquos habent egenos, vel a sui status decentia mox casuros, nisi eis succurratur; vel cum pauperes alios noverunt in Parochia, in vicinia, in Urbe magis indigentes, & quibus minus subvenitur, praesertim invalidos, aegros, orphanos, puellas ingenuas, quae ob egestatem sunt in periculo prostitutionis, familias honestas, quas pudor mendicare prohibet. His prius, potiusque subveniendum ille docebit; sed prius facienda erit restitutio, tum debita solvenda, deinde subveniendi haeredes pauperes, postea succurrendi calamitosi illi homines, quos recensuimus, postremo Capitula, Parochiarum &c. Alioquin Confessarius reus erit & ipse lethalis obdurationis.

13. Lethaliter obdurati sunt contra Misericordiam creditores, qui debitores, quos solvendo non esse satis constat, urgent, opprimantque, ut solvant, nec inducias ipsis concedunt: quod constat ex parabola a Christo proposita (*a*) de Rege, qui dixit servo,

(a) Matth. 18.

*servo ; cui debitum dimiserat ? Serve nequam , omne
debitum dimisi tibi , quoniam rogasti me : nonne ergo
oportuit & te misereri conservi tui , sicut & ego tui
misertus sum ?*

14. Non solum lethaliter est obduratus adversus Misericordiam , sed & contra iustitiam peccat , qui agrorum suorum conductori pensionem non remittit pro rata gravis damni ex sterilitate , aut alio casu fortuito , absque ipsius conductoris culpa contingente ; nisi forte sterilitas compensari valeat ubertate praecedentis , vel sequentis anni . Ita respondit (a) Gregorius IX.

15. Tandem lethalis obdurationis reus est , qui opus aliquod Misericordiae sive spiritualis , sive corporalis prætermittit , cum illud exercere potest , ac tenetur , cum nempe extrema est , vel urgens proximi ea Misericordia indigentis necessitas ; violat enim præceptum de dilectione proximi .

Q. 2. Quot sint opera Misericordiae corporalis ?

R. Ad septem revocantur , scilicet , pascere esurientem , potare sitientem , vestire riendum , excipere hospitem , visitare infirmum , redimere captivum , vel in carcere detentum , & sepelire mortuum . Unde versus ille :

Visito , poto , cibo , redimo , tégo , colligo , condo ,

Ex his operibus Misericordiae sex commendantur (b) a Christo verbis illis , quibus in extremo Judicio sententiam proferet adversus reprobos . Et cum reprobū ob ea opera neglecta in æternū damnentur , dubitandum non est , quin de illis divina extenta præcepta . Mortuorum sepulturæ Christus ibi non meminit ,

(a) C. propter , ext. de locato , & conducto .

(b) Matth. 55.

quia recenset illa opera Misericordiae, quæ sunt evidentioris necessitatis, ut docet S. Thomas. Ceterum & illam inter opera Misericordiae merito recenseri, constat cum ex Libero Tobiae, tum ex commendatione eorum, qui Dominum sepelierunt.

De visitatione infirmorum notandum, eo nomine non visitationem illam tantum intelligi, quæ fit ad levandum infirmi tedium, & mœrorem, sed maxime obsequium, & servitium infirmo exhibitum.

Ad redemptionem captivorum revocatur Misericordia, qua proximo adversus quamcumque vim, & injuriam extrinsecus illatam subvenitur, ut docet S. Thomas.

Ad hospitalitatem commendandam maxime valent verba Christi Matth. 10. *Qui recipit justum in nomine justi, mercedem justi accipiet.*

Q. 3. Quot sint opera Misericordiae spiritualis?

R. Sunt pariter septem, scilicet, ignorantes doce-re, consilium præbere dubitantibus, afflictos consolari, peccatores corrigere, offensas remittere iis qui læserunt, aliorum defectus, & infirmitates tolerare, pro omnibus orare: quæ hic versus complectitur:

Consule, carpe, doce, solare, remitte, fer, ora.

De Misericordia in condonatione injuriarum, & fraterna correctione alibi agemus: nunc de Misericordia in suggestione salubris consilii pauca describi-mus ex S. Ambrosio (a): *Est, inquit, duplex liberalitas, una, quæ subsidio rei adjuvat, id est usū pecunie: altera, quæ operum collatione impenditur..... Facile autem pecunia consumitur, consilia exhaustiri ne-sciant. Hec usū augentur: pecunia minuitur.... ut quo pluribus largiri volueris. eo pauciores adjuves.... Consilii autem operisque collatio, quo in plures diffunditur, eo redundantio manet, & in suum fontem recurrit.*

A R-

(a) Lib. 3. de Offic. cap. 15.

ARTICULUS III.

De Prodigalitate.

Q. **U**id sit Prodigalitas? & cujus generis peccatum?

R. Prodigalitas opponitur avaritiæ, & cum virtute libertatis pugnat. Nam, ut docet S. Thomas (*a*) „ in affectione divitiarum avarus superabundat, plus „ debito eas diligens: prodigus autem deficit, mi- „ nus debito earum sollicitudinem gerens.“

Prodigalitas ex genere suo est peccatum veniale, quatenus cum sola libertate pugnat: est tamen lethale peccatum, cum quis res suas prodigit contra regulas charitatis, & justitiæ, seu ob finem iis virtutibus oppositum. Sic lethaliter peccant, qui bona sua profundunt in commissationibus, & ebrietate, in scortationibus, alea, luxu, & aliis illicitis voluptatibus. Item qui bona sua profundunt cum aliorum damno, vel scandalo. Lethalis ut plurimum est Clericorum prodigalitas, qui redditus Ecclesiasticos in sumptus inanes profundunt. Lethaliter etiam peccant Tutores, & Curatores, qui bona pupillorum; Dispensatores, Economi, Administri, qui bona suæ fidei commissa; Nobiles, Mercatores, & quicumque bona creditorum decoquunt, Patres familias, qui suarum pecuniarum profusione uxori, & liberis graviter nocent, eis non providendo necessaria, Mulieres, quæ in mundo muliebri, & superfluo vestium ornatu sumptus immodicos faciunt. Sane profusionem rerum suarum a servo factam nemo probaret; quomodo ergo probabit Deus profusionem temporalium, quæ ad rectum usum de-

dit hominibus? Fidem amas in servo tuo, & Dominus tuus non querit eam in suo? ait S. Augustinus (a).

C A P U T III.

De Luxuria.

Luxuria est peccatum, quo venerea voluptas supra modum, & contra legem naturalem, & divinam appetitur, & præcipitur. Usus namque venereorum secundum se non est illicitus, si debito modo, & ordine fiat: ita autem fieri non potest extra legitimum Matrimonium (b). Luxuria est ex genere suo peccatum lethale. Nam qui abutitur corpore suo, injuriam facit Deo; ait enim Apostolus (c): An nescitis, quoniam membra vestra templum sunt spiritus sancti, qui in vobis est? Injuriam infert Christo, quatenus violat membra ejus: Nescitis, quoniam corpora vestra membra sunt Christi (d)? Peccat in seipsum: Qui fornicatur, in corpus suum peccat (e). Peccatur, quatenus, ut ait (f) S. Thomas "omnes corruptiones luxuriæ, quæ sunt præter legitimum Matrimonii usum, sunt contra bonum prolis generandæ, & educandæ."

Septem numerantur species luxuriæ, fornicatio simplex, adulterium, stuprum, sacrilegium, incestus, raptus, & vitium contra naturam.

(a) Germ. 36. al. de temp. 212. n. 8.

(b) S. Thom. 2. 2. q. 153. ar. 2. (c) 1. Cor. 6.

(d) Ibid. (e) Ibid. (f) Q. 15. de malo, ar. 2. ad 4.

ARTICULUS I.

*De simplici fornicatione, ubi de meretricio,
concubinatu, & lenocinio.*

Q. 1. **Q**uid sit fornicatio simplex? & an peccatum lethale?

Q. Fornicatio simplex est *commixtio soluti*; cum soluta, sive vidua sit, sive meretrix, sive concubina. Dogma fidei est, simplicem fornicationem esse peccatum mortale: nam recensetur ab Apostolo (a) inter ea peccata, de quibus ait: *Quoniam qui talia agunt, digni sunt morte.* Est intrinsece, & per se mala, & opposita propositio damnata fuit ab Innocentio XI. quæ erat hujusmodi: *Tam clarum est, fornicationem secundum se nullam involvere malitiam, sed solum esse malam, quia interdicta, ut contrarium omnino dissonum rationi videatur.*

Quod dictum est de simplici fornicatione, dicendum est etiam de omni actu venereo extra legitimum Matrimonium: nam si de eo, qui videt mulierem ad concupiscentum, dixit Christus Matth. 5. *Jam mochatus est eam in corde suo;* etiam alii actus venerei sive interni, sive externi sunt peccata mortalia, si sint plene deliberati (b); ait enim ipsem Christus (c): *De corde exsunt cogitationes male, homicidia, adulteria, fornicationes Hec sunt, quæ coquinant hominem.*

Q. 2. Quid sit meretricium? & an gravius simpli- ci fornicatione?

R. Meretricium est *fornicatio cum publicæ libidinis victimis.* Est gravius fornicatione simplici, seu concubitu furtivo cum aliis publice, ac promiscue non prostitutis habito: quia meretricio congressu non

(a) Rom. 1. (b) S. Thom. q. 15. de malo, ar. 2.

(c) Matth. 15.

solum impeditur bona educatio prolis nascituræ, sed etiam fit, ne ulla proles nascatur. Quia tamen meretricium est minus grave adulterio, stupro, raptu, & peccato contra naturam; ideo ad hæc majo-
ra mala vitanda, meretrices quibusdam in locis tolerantur (a). Nihilominus lethaliter peccant, qui domos suas meretricibus, vel lenonibus scientes lo-
cant: nec debent absolvī, donec infames illos con-
ductores, vel conductrices expulerint; ipsi enim
participes sunt scandali, quod toti viciniæ ex hu-
jusmodi pestibus creatur, turpisque commercii, cui
sua conniventia furent (b). Lethaliter quoque pec-
caht, nec absolvī debent patres, & matres non
prohibentes a scelere filios, aut filias scortantes:
nam violent mandatum Dei (c): *Super filiam luxu-
riosam confirma custodiam.*

Q. 3. Concubinatus quam grave peccatum sit? &
quæ pœnæ in concubinarios statutæ?

R. Concubinatus est peccatum gravius simplici
fornicatione, & meretricio; addit enim statum,
& perseverantium in fornicatione, & quasi uxoriā
cum fornicaria consuetudinem. Unde concubinarius

præ-

(a) S. Th. 2. 2. q. 96. art. 2.

(b) Etsi hæc Natalis opinio nonnullis videatur esse rigidior, nititur tamen satis valido fundamento, coequo defumpto ex doctrina S. Thomæ, qui i. par. qu. 22. ar. 2. ad 2. diversitatem statuens inter provisorem genera-
lem, & particularem: Aliter, inquit, de eo est, qui habet ex-
tam alieujus particularis, & de
provisor universalis, quia provi-
sor particularis excludit defectum ab eo, qui ejus cura subdi-
gur, quantum potest: sed provi-
sor universalis permittit aliquem
defectum in aliquo particulari
accidere, ne impediatur bonum

totius. Ex qua doctrina sequitur, posse quidem a Republica meretrices permitti ad vitanda majo-
ra mala, cum respublica debeat
veluti provisor generalis bonum
totius populi procurare. At vero
particulares homines impedit
debet defectum aliorum, quantu-
m possunt, ita exigente charita-
tate, quam proximo debemus;
proindeque ipsi non licet locare
domos suas meretricibus: nec
possunt mere permissive se habe-
re; quia talis permisso ad provi-
sorem generalem, non ad pecu-
liares personas pertinet.

(c) Eccl. 42.

præter numerum fornicationum, debet in Confessione declarare temporis intervallum, quo concubinam apud se retinuit, vel cum ea alibi manente commercium habuit: cum verisimile non sit, id contingere absque gravi scandalo proximorum.

Tridentina (^a) Synodus statuit, ut concubinarii omnes ter moniti ab Ordinario, nec concubinas ejicientes, seque ab earum consuetudine non sejungentes, excommunicentur, nec absolvantur, donec re ipsa admonitioni paruerint: mulieres vero cum adulteris, sive concubinariis publice viventes, post tri nam monitionem non parentes, graviter pro modo culpæ plectantur ab Ordinario, & extra Oppidum, vel Dioecesim, si id Ordinario, videbitur, ejiciantur; præter alias poenias contra adulteros, & concubinarios decretas.

Clericos publice concubinarios a perceptione frumentorum omnium suorum Beneficiorum trium mensium spatio statim ipso facto suspensos: deinde, nisi post monitionem Ordinarii infra brevissimum tempus concubinas dimittant, beneficiis omnibus privandos, statuitur in Concilio Lateran. V. in Concordatis tit. 29. ubi etiam declaratur, ejusdem Clericos concubinarios, usquequo cum eis per suos Superiores, post concubinarum dimissionem, manifestamque commendationem, fuerit dispensatum, inhabiles esse ad quoscumque honores, dignitates, beneficia, & officia: & si post dispensationem ad publicum concubinatum redierint, sine spe dispensationis perpetuo ad praedicta inhabiles futuros.

Concubinarii absolvendi non sunt, nisi concubinam dimiserint, firmumque propositum habuerint ad eam non redeundi; sunt enim in proxima occasione peccandi, quam dimittere nolunt. Unde Alexander VII.

(a) Sess. 24. de Reform. Matrim. cap. 3.

der VII. hanc propositionem damnavit: Non est obligandus concubinarius ad ejiciendam concubinam, si haec nimis utilis esset ad oblectamentum concubinarii, vulgo, Regalo, dum deficiente illa, nimis ægre ageret vitam, & aliae epulæ tædio magno concubinarium afficerent, & alia famula nimis difficile inveniretur.

Q. 4. Qui lenones dicantur; & quam sit grave eorum peccatum?

R. Lenones dicuntur, qui mulierum ingenuarum, aut juvenum animos, vel muneribus, vel blanditiis, vel consilio, vel aliis malis artibus ad foedos amores pelliciunt. Horum peccatum gravius est, quam fornicatorum, & meretricum, vel adulterorum cum carnales voluptates absque voluptatis sensu cooperentur. Hinc lenones, vetulasque mulierum seductrices, Ecclesia, & Christiani Principes gravissimis pœnis affecerunt. Illiberitana Synodus censuit lenonibus communionem nec in fine vitæ dandam esse; quamvis postea haec severitas temperata fuerit. Justiniano Imperatori placuit, lenones ultimo suppicio afficiendos. Quæ satis ostendunt criminis gravitatem. Lenones absolvendi non sunt, quamdiu in voluntate, & occasione lenocinium exercendi perseverant.

ARTICULUS II.

De Stupro.

Q. 1. **Q**uid sit stuprum? & quomodo differat a simplici fornicatione?

R. Stuprum est *illicita virginis sub cura parentum existentis defloratio*. Verba *sub cura parentum* explicant statum virginis usque ad Matrimonium. Unde si quis virginem grandævam, & sui juris existentem, etiam consentientem extra Matrimonium deflowererit, stupri reus est.

Stu-

Stuprum specie differt a fornicatione simplici ob singularem deformitatem, quam involvit, tum ex parte pueræ, quæ ex hoc, quod violatur, nulla paditione conjugali præcedente, impeditur a legitimo Matrimonio consequendo, & ponitur in via meretricandi, a quo retrahebatur, ne signaculum virginitatis amitteret: tum etiam ex parte patris, qui de ejus custodia sollicitudinem gerit (a). Nihil refert, si puella, ejusque parentes consentiant; imo si puella sponte se offerat: hoc enim non tollit stupri deformitatem, virginalis nempe integritatis jacturam contra ordinem lege naturæ constitutum.

Ex quibus infertur, circumstantiam virginitatis necessario exprimendam esse in Confessione a fœmina, quæ carnalem copulam desideravit, aut ejus cogitatione delaetata est, vel osculis, aut tactibus impudicis, aut pollutione voluntaria se contaminavit, aut quæ primo cum viro commixta est extra legitimum Matrimonium: & similiter a viro, qui virginem corrupit, vel impudice tetigit, aut osculatus est, aut concupivit, vel de copula cum virgine cogitans, delectioni consensit.

Stuprum est gravius, si puella vi opprimatur, vel consensus ejus extorqueatur metu, vel dolo, quam si blanditiis, & importunis precibus pelliciatur; gravior enim nolenti, vel deceptæ pueræ fit injuria.

Q. 2. Ad quid teneatur, qui virginem defloravit?

R. Qui illata vi, aut gravi metu incusso, vel importunis precibus, falsis persuasionibus, & pollicitationibus virginem compulit, aut pellexit ad stuprum, tenetur eam ducere, aut certe ita dotare, ut alteri suæ conditionis honorifice nubere valeat. Stuprator enim, & virgini, & ejus patri injuriam facit.

(a) S. Thom. 2. 2. q. 154. ar. 6.

facit (a). Si autem spe, ac promissione futuri Matrimonii puellam ad stuprum illexit, eam omnino ducere tenetur, si ipsa, & pater ejus voluerint; si vero noluerint, tenetur eam dotare: idque sub reatu peccati mortalis, sive sincera fuerit, sive simulata Matrimonii promissio: si enim promissio sincera fuit, verus fuit contractus, quem puella complevit, adeoque etiam stuprator complere tenetur: si promissio fuit simulata, stuprator est doli reus; dolus autem nemini patrocinatur.

Septem communiter excipiuntur casus. 1. Si tanta sit conditionis disparitas, ut puella perspicere potuerit, ac debuerit, se ad tales nuptias pervenire non posse: quo casu stuprator illam ducere non tenetur, sed tantum dotare, prout congruit conditioni ipsius, aut dotem augere, ut perinde collogetur, ac si virgo esset. 2. Si constuprata alteri se prostituerit, vel si affirmanti se esse virginem, stuprator promisit Matrimonium, ut ea frueretur, & tamen virginem non esse deprehendit: sic enim ipsa illusit viro, qui proinde non tenetur eam duce-re. Si tamen puella sit integræ famæ, publicaque opinione habeatur ut virgo, tenetur vir sub mortali eam dotare. Si autem ante non erat integræ famæ, aut legitimis documentis probetur, ipsam non fuisse virginem, vir ad nihil tenetur. 3. Non tenetur vir a se conitupratam ducere, si aliam duxerit, aut aliud habeat canonicum impedimentum, quia impotens est ad solvendum, quod promisit. 4. Si gravia mala, aut scandala ex Matrimonio probabiliter oritura timeantur, stuprator non tenetur puellam ducere, etiamsi fidem ei obstrinxerit, sed tantum damna resarcire. 5. Si virginem leviter rogatam, & ultro consentientem corruptit, tene-

(a) Ibid. ad 3.

tenetur tantum satisfacere patri pueræ. 6. Si pueræ tam facile nupserit, & tam bene collocata fuerit, ac si virgo esset, ad nullam compensationem stuprator tenetur, nisi maritus corruptam fuisse deprehendat, eamque propterea relinquat, vel male excipiat. 7. Si vir voto simplici obstrictus, pueram constupravit, ipsam ducere absolute non tenetur, sed tantum dotare, quia potior est voti obligatio: possunt tamen urgere graves rationes, quibus obligetur ad dispensationem voti a Summo Pontifice postulandam, scilicet, vitatio scandali gravis, aliorumque malorum merito formidandorum, vel quia continentiam servare facile non potest.

Q. 3. An vir teneatur pueram ducere, si haec habeatur ut ab ipso constuprata, quamvis reyera constuprata ab ipso non fuerit?

R. Si vir pueram non constupravit quidem, sed vi, metu, fraude, mendaciis ita sollicitavit ad stuprum, ut illa propterea notata sit infamia, ac si constuprata fuisset, tenetur ad resarcendum damnum, vel pueram ducendo, vel eam dotando, ut convenienter nubat; si sollicitatoris culpa convenienter nubere non potest. Si autem habens ipsum sollicitatorem admiserit, ejusque blanditiis facile consenserit, vir non tenetur resarcire damnum, quod sibi ipsa intulit.

ARTICULUS III.

De Adulterio, & Sacrilegio.

Q. 1. **Q**uid sit adulterium? & an distincta species luxuriæ?

R. Adulterium est accessus ad alienum thorum, sive commixtio conjugati cum aliena uxore; vel conjugati cum muliere soluta; vel conjugatæ cum viro solu-

soluto: unde adulterium dicitur violatio fidei, quam sibi conjuges pariter debent. Adulterium est species luxuriæ ab aliis distincta, novamque deformitatem includens. Ejus gravitas petitur, cum ex divinæ legis, & fidei conjugalis violatione; tum' ex damno prolis tam propriæ, quam alienæ (a). Gravius est adulterium conjugati cum uxore aliena, quam cum soluta; in primo enim casu intervenit duplex injustitia, quia adulter., & suum, & alienum Matrimonium violat, ideoque duplarem proximo infert injuriam. Similiter adulterium viri gravius est adulterio mulieris, quia, ut ait (b) S. Augustinus, *magis ad viros pertinet, q̄o virtute vincere, q̄o exemplo regere fæminas.*

Q. 2. Quæ sint adulterorum pœnae?

R. In veteri lege (c) contra adulteros lata erat pœna capitis. Eadem pœna in adulteros statuta fuit Romano Jure; quin etiam sanctum fuit (d), ut adulteri vel exurerentur, vel tamquam parricidæ culleo vivi insuerentur. Ecclesiæ disciplina adulterium cum homicidio, & idololatria publicæ pœnitentiæ subdebat. Vide infra ad 6. præceptum Decalogi, ubi rursus de adulterio dicendum erit.

Q. 3. Quid sit sacrilegium in materia luxuriæ? & cuius malitiæ?

R. Sacrilegium in materia luxuriæ est personæ, vel rei Deo consecratæ per actum venereum violatio. Quod fit cum quis voto castitatis obstrictus, luxuriæ peccatum committit: vel laicus cum muliere voto castitatis ligata: vel mulier sæcularis cum viro obstricto voto castitatis: vel cum duæ personæ sacræ simul veneree peccant. Committitur sacrilegium, si ve opus sit consummatum, sive sit imperfectum, ut sunt

(a) S. Thom. 2. 2. qu. 554. art. 8.

(b) L. 2. de adulterinis conjug. c. 8. (c) Lev. 20.

(d) Cod. Theodos. 1. 4. quorum appellat. non recipiunt.

sunt oscula libidinosa , aspectus , tactus impudici , & etiam sola deliberata delectatio personæ voto ligatæ , vel erga personæ voto pariter ligatam . Ratione loci committitur sacrilegium , si actus venereus etiam a conjugibus exerceatur in loco sacro , idest Ecclesia consecrata , vel benedicta , vel in Cœmeterio , aut Sacello auctoritate Episcopi erectorum , & Divino cultui dicato . Hæ circumstantiæ sunt omnino explicandæ in Confessione : nam sacrilegium est distincta species luxuriæ , malitiamque involvit singularē , ob injuriam , quæ fit non solum castitati , sed etiam Religioni .

Q. 4. An omne sacrilegium sit ejusdem gravitatis?

R. Negative. Sane gravius est sacrilegium , cum utraque persona est sacra , quam cum altera est omnino sacerularis , nec voto obstricta : tunc enim violatur duplex consecratio ; ideoque persona sacra , aut voto obstricta debet se saltem Confessario declarare , nisi Confessarius id novérit : & similiter declarare debet , an cum persona sacra , aut erga ipsam contra castitatem peccaverit . Exprimi etiam debet in Confessione , an votum , quo pénitens , vel persona , circa quam peccavit , obstricti sunt , simplex sit , vel solemne : nam violatio voti solemnis est gravius sacrilegium , quam violatio voti simplicis ; quippe per votum solemne castitatis videntes Deo reipsa tradunt sua corpora , per votum vero simplex fidem suam , veluti sit in sponsalibus , obstringunt Christo (*a*) .

Præterea gravius sacrilegium est luxuria Sacerdotis , Diaconi , vel Subdiaconi solemniter professorum , quam Sacerdotis , Diaconi , vel Subdiaconi sacerularium ; tum quia illi violent duplex votum solemne ,

(*a*) S. Thom. 2. 1. qu. 88. art. 11.

lemne (*a*) , isti unicum ; tum quia votum solemne castitatis Professioni adnexum strictius est , quam votum solemne castitatis adnexum Ordini sacro ; nam illud est essentiale statui Religioso , istud adnectitur Ordini sacro ex statuto Ecclesiæ (*b*) . Quare Sacerdos , Diaconus , vel Subdiaconus solemniter profesi , tenentur utramque illam circumstantiam aperire Confessario , ni forte eidem noti sint : ad quod similiter tenentur , qui ab ipsis , vel circa ipsos aliquid impudicum passi sunt (*c*) .

Ad hæc : quia sacrilegium concurrere potest cum omni specie luxuriæ , eo est gravius , quo species illa gravior est . Si enim aliquis abutatur persona conjuncta sibi secundum spiritualem cognationem , committit sacrilegium ad modum incestus : si autem abutatur virginie Deo sacrata , inquantum est sponsa Christi , est sacrilegium per modum adulterii ; inquantum vero est sub spiritualis Patris cura constituta , erit quoddam spirituale stuprum ; & si violentia inferatur , erit spirituale raptus (*d*) . Circumstantiæ igitur istæ sunt necessario in Confessione aperiendæ .

Hinc sequitur , sacrilegium cum filia spirituali penitente , magis horrendum esse , quam cum alia muliere : nam , ut docet S. Thomas (*e*) , per penitentiam contrahitur quoddam fœdus inter Sacerdotem , & mulierem confitentem , simile cognationi spirituali , ut tantum peccet eam carnaliter cognoscens , ac si esset sua spiritualis filia : & hoc ideo , quia maxima familiaritas est inter Sacerdotem , & confitentem .

Multo gravius peccaret Sacerdos , si penitentem in Confessione , vel occasione Confessionis sollicitaret ; de qua re jam dictum est in Tract. de Sacramento Pœnitentiæ .

AR.

(*a*) Ibid. (*b*) Ibid. (*c*) S. Th. Suppl. 3. p. q. 53. ar. 3.

(*d*) 2. 2. q. 154. ar. 10. ad 2.

(*e*) Idem in 4. d. 42. q. 2. ar. 2. ad 8.

ARTICULUS IV.

De Incestu, & Raptu.

Q. 1. **I**ncestus quomodo definiatur? & quæ sit ejus gravitas?

R. Incestus est *commixtio venerea personarum consanguinearum, vel affinum intra gradus prohibitos*, scilicet usque ad quartum gradum consanguinitatis inclusive, & usque ad quartum gradum affinitatis ex legitimo Matrimonio inclusive; ex copula vero illicita usque ad secundum. Hinc quibus consanguineis, vel affinibus Matrimonio inter se jungi non licet, eorum copula carnalis, sive extra Matrimonium, sive in Matrimonio invalido, incestus est.

Incestus est peculiaris species luxuriæ, eo quod sine violatione honoris lege naturæ debiti consanguineis, vel affinibus, non possunt actus venerei inter ipsas exerceri. Est tamen peccatum eo gravius, quo personæ sunt magis conjunctæ: unde incestus cum matre gravior est, quam cum noverca; cum propria sorore est gravior, quam cum sorore conjugis; & cum socrū est gravior, quam cum nepote, vel consobrina. In Confessione ergo exprimi debet, an incestus sit perpetratus cum consanguinea, vel affine, & in quo consanguinitatis, vel affinitatis gradu.

Cum ex Tridentino (^a) carnalis copula inter personas spirituali cognatione conjunctas, sit incestus; idcirco si personæ ita spiritualiter conjunctæ; carnaliter commiscentur, circumstantia spiritualis cognationis est necessario in Confessione exprimenda. Idem dicendum de congressu Confessarii cum

Tom. III.

K

filia

(^a) Sess. 24. de Reform. Matrim. cap. 2.

filia spirituali pœnitente, & de illius sollicitatione, quæ ad incestum pariter pertinent (a).

Q. 2. Quomodo se gerere debeat Confessarius cum incestuosis?

R. Illos, si in eadem domo maneant, absolvere non debet ante separationem, quoties cohabitatio, & convictus est illis occasio proxima (b) incestum committendi: si vero simul non maneant, prohibere debet mutuam frequentationem, si necesse sit, aut certe, ne clam, & remotis arbitris conversentur, vel colloquuntur; idque nisi spoponderint, absolvere eos non debet. Circa priores illos magna prudentia Confessario opus est, ut eos consiliis dirigat, ac juvet in electione mediorum, quibus necessaria illa separatio fiat: unde debet ferventius Deum orare, prudentiores, ac peritiores regiminis animarum viros interrogare, Episcopi etiam petere consilium, si necesse sit (c). Si autem hæc media non prosint, tunc præceptum Christi (d): *Si oculus tuns dexter scandalizat te, erue eum, & projice abs te, præponderate debet omnibus obstaculis, quæ saepe suggerit amor proprius, & prudentia carnis, cuiusmodi sunt mos patriæ, necessitas convictus, imminentis ex separatione periculum infamiae &c. maxime cum cætera vitia resistendo, luxuria fugiendo vincantur, juxta illud Apostoli (e): Fugite fornicationem.*

Q. 3. Quid sit Raptus?

R. Raptus est distincta species luxuriæ, qua persona quædam invita, vel repugnantibus ejus parentibus, aut iis, quorum curæ commissa est, per vim, aut seductionem abducitur, explendæ libidinis, aut Matrimonii contrabendi causa: vel in paternis edibus, aut alibi op-

pri-

(a) Can. Omnes, & Can. Si quis, caus. 30. q. 1.

(b) Vide quæ diximus in Tract. de Sacram. Pœnit. c. 9. q. 8.

(c) Id caute est agendum, ne sigillum Confessionis violetur.

(d) Matth. 5. (e) 1. Cor. 6.

primitur, & polluitur invita. Personæ nomine intellegitur vir, & mulier, sive soluta, sive conjugata, sive vidua, sive virgo, sive deflorata, & corrupta, sive sacerdotalis, sive Deo sacra. Nam quandoque invenitur raptus sine stupro, ut cum quis rapit viduam, vel puellam corruptam: quandoque stuprum sine raptu, ut cum virgo illicite defloratur, nulla vi illata: quandoque raptus cum stupro, ut cum virginis infertur vis ad eam deflorandam: & hæc quidem vis quandoque infertur parentibus, & non virginis, cum nempe ipsa consentit, ut per violenciam a paterna domo abducatur. Differunt etiam violentia; & raptus, quia quandoque puella violenter abducitur a domo parentum, & invita violatur; quandoque violenter abducta, volens corrumpitur, sive fornicario, sive matrimoniali concubitu. At quælibet vis illata, sive personæ, quæ abducitur, sive parentibus, tutoribus, marito, quibus reluctantibus aufertur, verus raptus est, sive copula sequatur, sive non. Raptor ergo raptus damnatur, si fœminam per vim abducat, etiamsi fœmina in Matrimonium, vel in copulam postea consentiat. Raptus est etiam, cum puella reclamante patre, aut iis, qui sunt loco patris, sive tutoribus; vel uxor invito marito abducitur, etiamsi consentiens, ac volens.

Ex quibus infertur, raptus reos esse illos, qui puellam abducunt etiam consentientem, & cum ea sic abducta nubunt invitis parentibus. Præterea illos, qui puellam prædivitem, aut locuplete dote auclam, impetrato Principis assensu, e domo parentum, vel tutorum, ipsis invitis, abducunt, ut cum illa nubant (*a*). Idem esto judicium de viro, qui uxorem suam Matrimonium consummare nolentem,

(*a*) Can. Nullus, cauf. 36, q. 2.

intra bimestre , quod ei ad deliberandum Canones concedunt , e parentum ædibus ad consummandum Matrimonium vi abduceret .

Quamvis autem sponsus sponsam abducens ante Matrimonium , graviter peccet , violentiam inferendo , excusatur tamen a crimine raptus , ut docet S. Thomas (a) , quia *Sponsus ex ipsa despunctione habet aliquid jus in sua sponsa ... unde Gelasius Papa dicit : lex illa præteriorum Principum ibi raptum dicit esse commissum , ubi puella , de cuius ante nuptias nihil actum fuerat , videbatur abducta .*

Q. 4. An omnis raptus sit ejusdem malitiæ ? & quæ raptorum pœnæ ?

R. Cum raptus non ad unum explendum libidinis actum fieri possit , est proinde peccatum eo gravius , quo fædior est actus ille . Gravissimum plane crimen esset , si masculus masculum , aut fœmina fœminam raperet . Inter fœminarum raptus a viris primum locum tenet raptus Sanctimonialium ; deinde illarum , quæ sunt obstrictæ voto simplici castitatis ; postea raptus consanguinearum , vel affinium ; deinde conjugatarum ; postea virginum , sive ingenuarum puellarum ; postremo viduarum . Idem dicendum de abductione viri a muliere potente ; si enim fœmina raperet Religiosum , aut Sacerdotem , aut virum obstrictum voto simplici castitatis , committeret crimen gravius , quam si raperet virum profanum : gravius item crimen esset , si raperet consanguineum , vel affinem , quam si extraneum : item gravius , si conjugatum , quam si solutum . Hæ circumstantiæ , per quas raptus concurrit cum aliis luxuriæ speciebus , sunt necessario in Confessione explicandæ .

De raptorum pœnis plura statuit Concilium Trident-

(a) 2. 2. q. 154. art. 7. ad 4.

dentium. Vide in Tract. de Sacram. Matrimonii, ubi egimus de impedimento raptus. Hic solum restat, ut Confessarios admoneam, ne raptore ab solvant, donec raptam pueram sponso reddiderint, si desponsata sit, vel parentibus, si non sit desponsata; vel nisi mulierem in pristinam libertatem restituerint, si illa sit sui juris: nam, ut ait S. Thomas (*a*), *tenetur, quicumque rem rapit, ad ejus restorationem*; quam si facere nolit, cum potest, absolutione indignus est.

ARTICULUS V.

De peccato contra naturam.

PEcatum contra naturam est *actus venereus*, ex quo generatio sequi non potest, sive qui fit praeter eum usum, unde humana natura potest nascendo subsistere (*b*). Dicitur contra naturam, quia non solum repugnat rectae rationi, ut cætera peccata, sed etiam naturali ordini, & modo, quo Deus unumque sexum copulari, & per eam copulam humanum genus propagari voluit. Hinc inter omnia luxuriæ genera peccatum contra naturam est gravissimum, ut docet S. Thomas (*c*); quia *agere contra ea, quæ sunt secundum naturam determinata, est gravissimum, & turpissimum.*

Quatuor sunt hujus peccati species, mollities, inordinatus concubitus, sodomia, & bestialitas, quibus addi potest fellatio.

(*a*) Art. cit. ad 3.

(*b*) S. Aug. lib. 3. contra Julian. c. 20.

(*c*) Quæst. cit. art. 12.

§. I.

De Mollitie.

Q. 1. Quid sit mollitie? & quo jure prohibita?

R. Mollitie, sive pollutio est, qua quis voluntaria seminis effusione seipsum contaminat, vel aliena manu provocatus contaminatur. Prohibita est jure naturae, estque per se, & intrinsece mala, quia est contra finem naturae, nempe humanam generationem: unde Innocentius XI. hanc propositionem damnavit: *Mollitie jure naturae prohibita non est: unde si Deus eam non interdixisset, saepe esset bona, & aliquando obligatoria sub mortali.* Nusquam igitur licet, aut licere potest, pollutionem sibi quovis modo procurare, aut eam expetere, aut naturali etiam impetu evenienti consensum praebere, sanitatis, aut yitae tuendae, & conservandae causa. Hinc merito contra Beguardos, & Beguinias olim a Concilio Viennensi, & novissime contra Quietistas ab eodem Innocentio XI. damnata fuit haec propositione: *Non refert, quid sensus agat, vel quid sentiat corpus, modo animus Deo conjungatur;* quae sane propositione non solum libidinibus viam aperit, & contradictionem implicat, cum sit impossibile, ut impudicus animus Deo conjungatur; verum etiam est heretica, ajente Apostolo (*a*): *Qui in carne sunt, Deo placere non possunt.*

Q. 2. An pollutio semper sit peccatum mortale?

R. Mollitie, quae directe, vel indirecte, expresse, vel interpretative, in se, vel in sua causa volita est, quae quidem causa sit peccatum lethale, mortale peccatum est, vel in se, vel in causa, sive dormienti, sive vigilanti contingat. Nam si pollutio

(a) Rom. 8.

tio vigilanti contingat, qui directe, vel indirecte consentit, vel causam prævisam, quam avertere tenebatur, & poterat, non avertit, manifestum est, pollutionem esse peccatum lethale. Si consensus interpretatus adsit, hoc est, si ratio, quæ pervagil esse deberet ad obscenos motus reprimendos, eos, dum actu insurgunt, omittit, & negligit repellere, vel improbare, quasi tacens; pollutio est voluntaria, adeoque peccatum mortale: nam *qui tacet, consentire videtur*. Si vero pollutio dormienti contingat, & tamen voluntas, cum homo vigilabat, pollutionem optaverit, aut de illa probabiliter futura delectatus sit, jam fuit expresse volita pollutio, ideoque homo mortaliter peccat. Si autem voluntas pollutionem expresse noluerit, voluit tamen causam, ex qua mens prævidebat, aut prævidere poterat, ac debebat, fore, ut pollutio sequeretur, & causa illa erat lethalis (a); pollutio etiam in somnis lethalis est ratione causæ, in qua volita est, sive, ut ait S. Thomas (b), est sequela peccati præcedentis.

Nocturna pollutio ex superabundantia, & resolutione naturali seminis proveniens, nulla præcedente culpa, quæ sit illius causa, non est peccatum; quia voluntaria non est. Si autem sit ex culpa præcedente, puta, ex superfluitate cibi, aut potus, interdum est peccatum mortale, ut si procedat ex peccato lethali gulæ, vel ebrietatis; quia tunc est voluntaria ex parte causæ; quandoque est veniale, cum ex veniali peccato ortum habet.

Pollutionis appetitus, etiam propter alleviatio-

(a) Considerandæ certe sunt circumstantia, persona infirmitas, propensio, aliaque accidentia; sœpe enim causa, quæ suapte naturæ venialis est, ob effectum moralem, quem querit, mortalis evadit.

(b) 2. 2. q. 154. art. 5.

nem naturæ , quæ naturali via , & absque nostra opera contingat, illicitus est ; quia pollutio voluntaria est per se mala : unde non licet ob quemcumque finem desiderare, ut in somnis contingat ; sicut omnino non licet appetere adulterium in somnis perpetrandum , quia est intrinsece malum .

Gaudere non licet de pollutione , quæ in somnis contigit , etiam propter alleviationem naturæ ; quia pollutio , cum sit contra naturam , objectum honestæ delectationis esse non potest . Quare cum ait S. Thomas (a) : *Si autem placeat ut naturæ exoneratio , vel alleviatio , peccatum non creditur ; non loquitur de pollutione , quæ alleviationis causa fuit , sed de ipsa alleviatione , & sanitate , de quibus honestum est gaudere .*

Pollutio nocturna peccatum non est , si contingat absque omni hominis culpa , ex sola nequitia dæmonis , qui solet has illusiones immittere , vel ad turbandum puræ conscientiæ serenitatem , vel ad impediendum bonum opus , puta , Missæ celebrationem , vel ut vigilanti placeat , quod dormiens passus est , vel ut abstinentiam periculosam , & imprudentem vitæ austерitatem suadeat . Quandoque Deus utitur malitia dæmonis , ut devotas mentes exerceat , & in humilitate custodiat , ut Patres docent . Quod si vero homo neglexerit se contra dæmonis illusiones oratione , & divini auxilii invocatione præmunire , pollutio nocturna ex illusione dæmonis progeniens , est peccatum saltem veniale in sua causa , ut docet Sanctus Thomas (b) . Sane oportet , ut Christiani non modo ante somnum se muniant contra dæmonem , qui in somno nobis infidatur : sed cum expurgiscuntur , Deum orent , ne tentatione vincantur . *Multa enim ,* ait Sanct. Ambro-

(a) In 4. d. qu. 1. art. 4. qu. 1. ad 5.

(b) 2. 2. qu. 154. art. 5.

brofius (*a*), illo in tempore tentamenta proserpunt. Tunc servet carnis illecebra : tunc tentator illudit ; coquitur cibus , potusque digeritur : stomachus æger , mens somnolenta , animus occupatus est .

Ex dictis sequitur 1. pollutionem vigilantium lethale peccatum esse , cum procuratur , aut ex letalii peccato oritur , aut deliberatæ voluntati placet : nam pollutio non est peccatum mortale , nisi sit plene deliberata , adeoque nisi præcedat , committetur , aut subsequatur consensus ; etiam si contra voluntatem cum sensu voluptatis consummetur ; aliud enim est sensus , aliud consensus . Quia tamen plerumque difficile est certo cognoscere , an pollutio ex consensu expresso , vel interpretativo , directo , vel indirecto , pleno , vel imperfecto , aut absque ullo consensu rationis superioris contigerit ; ideo excedit illam in Confessione declarare cum omnibus circumstantiis .

Sequitur 2. non solum rejiciendas esse turpes cogitationes , mortificandam carnem , Deum invocandum , cum pollutio vigilanti præter voluntatem contingit ; verum etiam sistendam , & cohibendam , quantum fieri potest , seminis fluxionem : nam , ut inquit Gersonitus (*b*) , *etsi haec retentio nocere debeat corpori , proderit anime* . Rescindendæ claram sunt râlices , & causæ pollutionis , etiam præter voluntatem evenientis , ea tamen prudentia , ne majori cum periculo , detrimento spirituali , & scandalo rescindantur : nec ex adverso admittantur , quæ sunt ex se periculosa , ut lubrici aspectus , societas , & familiaritas nimia cum alterius sexus personis , quæ aliquando sub officiis spiritualibus se abscondit .

Sequitur 3. lethaliter peccare illum , qui data-

(a) Serm. 8. in Psalm. 118. n. 45. seq.

(b) Tract. de pollut. nocturna.

operam nimium cibum , potumve sumit ob eum finem , ut in somno sequatur pollutio , et si id faciat solum ob sanitatem ; quia agit directe contra finem naturae . Item , qui somnum capit , aut somno se datus corpus inhoneste componit , ut dormienti contingat pollutio ; quia sic pollutio a voluntate imperatur .

Sequitur 4. nocturnam pollutionem ex praecedenti rerum turpium cogitatione provenientem , quam illarum comitatur desiderium , aut voluntaria in illis delectatio , esse peccatum mortale in causa (a) . Si autem nocturna pollutio sequatur ex praecedenti rerum turpium cogitatione mere speculativa , vel cum horrore , peccatum non est ; quia non est volita , neque in se , neque in causa .

Q. 3. An pollutio nocturna in somnis inchoata , & evigilante homine consummata , sit peccatum mortale ?

R. Negative , nisi forte homo plene expergefactus carnali delectationi consentiat . Ita docet S. Thomas (b) his verbis : „ Dicendum , *inquit* , quod corporales motus non pertinent ad meritum , vel demeritum , nisi secundum quod a voluntate qualis a principio causantur : & ideo nocturna pollutio magis judicatur quantum ad rationem meriti , vel demeriti secundum principium , quod est in dormiendo , quam secundum terminum , qui est in vigilando , quia ex quo in dormiendo excitatus est motus carnis , non subjacet voluntati vigilantis ulterius motus ille ; nec reputatur evigilasse ; quo usque perfectum usum liberi arbitrii recuperavit . Potest tamen contingere , quod in ipsa evigilatione peccatum oriatur , siquidem pollutio propter delectationem placeat : quod quidem

(a) S. Thom. 2. 2. q. 154. ar. 5.

(b) In 4. d. 9. q. 1. ar. 4. q. 1. ad 5.

„ dem erit veniale peccatum , si sit ex surreptione
„ talis placentia : mortale , autem , si sit cum deli-
„ berante consensu , & præcipue cum appetitu fatu-
„ ri . Ista autem placentia non facit præteritam pol-
„ lutionem peccatum , quia ipsius causa non est ,
„ sed ipsa in se peccatura est .

Q. 4. An sint in pollutione gradus malitiæ?

R. Plures in pollutione sunt malitiæ gradus neces-
sario in Confessione exprimendi . Gravius peccatum
est pollatio voluntaria in Religioso , in homine sa-
crae Ordinibus initiatu , in Sanctimoniali , in ob-
stricto voto simplici castitatis ; quam in laicis . Gra-
vius est in conjugato , quam in soluto . Item si vir
inter pollutionem de fœmina cogitet , aut fœmina
de viro , cum desiderio , vel affectu carnali , nova
species luxurijæ ad pollutionem accedit pro varietate
objectionum . Item pollutio , quæ fit aliena manu ,
vel contactu , seu ad quam aliqui mutuo se excitant ,
gravius peccatum est ea , quam quis sibi procurat ,
nullo conscientia , vel consorte criminis : qui enim al-
terum contrectatione contaminat , aut contrectari
patitur , reus est sui , & alieni peccati : multoque
magis reus est , qui tanti flagitii nescium , aut inex-
pertum docet ; vel repugnantem , aut turpitudinem
illam alias non admissurum , ad eam impellit . Gra-
vius item peccatum est , cum iis modis procuratur ,
qui ad sodomitiam , vel ad bestialitatem proprius ac-
cedunt , ut si qui inter aliorum ejusdem sexus fœ-
mora se polluant . Hæ omnes circumstantiæ neces-
sario sunt in confessione declarandæ .

§. II.

*De inordinato concubitu, sodomia, bestialitate,
& fellatione.*

Q. **U**id censes de hujusmodi speciebus peccati contra naturam?

R. Inordinatus concubitus secunda species viti⁹ contra naturam, est indebitus modus carnalis copulae, quo semen extra vas effunditur, aut effundendi periculum est, & generatio impeditur. Est lethale peccatum gravius simplici pollutione, quando debitum vas prætermittitur in seminis effusione, vel ejus effundendi periculum imminet; nam tunc totaliter frustratur intentio naturæ. Si vero debitus modus a natura institutus prætermittatur quantum ad fistum, non semper est peccatum mortale . . . sed potest esse signum mortalis concupiscentiae: quandoque etiam sine peccato esse potest, quando dispositio corporis alium modum non patitur: alias tanto est gravius, quanto magis a naturali modo receditur (a). Certe lethale peccatum est, quoties generatio defectu debiti ordinis in modo concumbendi, etiam in usu Matrimonii impeditur.

Sodomia tertia species peccati contra naturam, abominandum præposteræ libidinis crimen est; quo personæ ejusdem sexus carnaliter copulantur, & commiscentur, uno turpiter agente, altero turpiter paciente. Est peccatum gravius pollutione simplici, & inordinato concubitu. Hujus criminis reos, si Clerici fuerint, depositione, & ejectione a Clero, ac detrusione in Monasterium ad agendam pœnitentiam; si laici, excommunicatione plecti, Canones (b) statuant.

S. Pius

(a) S. Thom. in 4. c. 32. in exposit. Textus.

(b) C. Clerici, ext. de excessibus Prælator., & C. Ut Clericorum, ext. de vita, & honest. Cleric.

S. Pius V. Constit. *Cum primum*, & Constit. *Horrendum*, sanxit, ut Clerici hujus flagitii rei degradentur, & saeculari Judici tradantur; eosque omni privilegio Clericali, omnique officio, dignitate, & beneficio Ecclesiastico privat. Principum leges decreverunt (*a*), ut idem crimen gladio, vel igne vindicaretur. Ex iis, qui hoc flagitium perpetrant, gravius peccat, qui turpiter agit, aliumque ad crimen impellit, quam qui turpiter patitur. Item gravius persona conjugata, quam soluta: gravius persona obstricta voto solemni, aut Ordine sacro, quam laicus: gravius consanguinei, vel affines præser-tim in primo, vel secundo gradu: gravius maturi viri, quam adolescentes, vel pueri: senes, quam juvenes: qui diu in ea fœditate harent, quam qui semel in eam lapsi, mox ad pœnitentiam confuge-runt? Has circumstantias perscrutari debent Confessarii, ut congruam pœnitentiam imponant. An-imadvertant porro iidem sacræ Pœnitentiæ Ministris, debere se Clericis in sodomitiam lapsis, vel qui se diu, ac frequenter ad mollitatem soli excitarunt; vel cum aliis longo usu, aut brevi licet tempore, cum pluribus se contaminarunt, prohibere, ne suorum Ordinum functiones exerceant, & ad altiores gradus ascendant; Laicis vero, ne sacros recipient Ordinis: nec alia conditione illos absolvant. Nam *valde præposterum est*, inquit B. Petrus Damiani (*b*), *ut consuetudinaliter hac purulenta contagione foedati, vel ad Ordinem provehi, vel in gradu persistere audeant jam promovi; quia à rationi contrarium, à Canonicis Patrum Sanctionibus probatur adversum.* Sane statuit S. Gregorius (*c*), ut nemo ad Ordines promovere-tur,

(*a*) L. Cum vir, ad L. Julianum de Adult., & l. 6. r. 7. l. 9. Cod. Theod.

(*b*) Opusculo inscripto, Liber Gomorrhanus c. 5.

(*c*) L. 10. epist. 13. ad Paschasiūm.

tur, qui in crimen lapsus esset, quod in veteri lege pœna mortis plebatur.

Quarta vitii contra naturam species est bestialitas, scilicet nefaria copula cum re alterius speciei, cum brutis nempe, aut dæmonibus succubis, aut incubis. Hæc est gravissimum peccatorum contra naturam; deque ea scriptum est (*a*): *Qui cum jumento, & peccore coierit, morte moriatur*.

Recensitis luxuriæ speciebus addi potest execrandum illud opus, quod qui exercent, vocantur fella-tores. Hos Martialis (*b*) *lingua maritos, & ore mæchos* appellat. Videatur quod de hoc facinore scribit Minucius Felix (*c*).

ARTICULUS VI.

De Luxuriæ filiabus.

Q. Uot, & quæ sint filiæ luxuriæ?

R. Octo recensentur a S. Gregorio filiæ hujus vitii, Cæcitas mentis, Inconsideratio, Præcipitatio, Inconstantia, Amor sui, Odium Dei, Affectionis præsentis sæculis, Horror, vel desperatio futuri.

Cæcitas mentis est peccatum, pœna peccati, & causa peccati, qua aliquis sua libidine ductus, in rebus agendis sibi ob oculos non ponit legitimum finem, vel ab eo deflectit, & aberrat. In hujus rei typum Sodomitæ fuerunt ab Angelus cæcitatem percutti (*d*).

Inconsideratio est peccatum ex libidine progerminans, quo aliquis a recto judicio deficit, ex hoc quod contemnit, vel neglitit attendere ea, ex quibus rectum judicium procedit. Porro cum debeamus considerare nos ipsos, quæ sub nobis, quæ circa nos, quæ supra nos, ut late explicat Sanct. Bernardus

(*a*) Lev. 20. (*b*) L. 11. Epigram. 61.

(*c*) In Oſtavio. (*d*) Gen. 19.

nardus (*a*), luxuria rectum de his judicium impedit.

Præcipitatio est peccatum, quo quis libidinis impetu abreptus, absque consilio, & deliberatione in actum exteriorem profluit. Hæc incipit a corde, ut cum quis abreptus impetu cupiditatis, agere deliberat, quod menti primum occurrit, absque sufficienti examine. Contingit etiam in verbis, præcipue in sententiis ferendis, in dubiis, quæ conscientiam spectant, solvendis, in revelandis arcanis. Démum contingit in opere, nt cum quis opus aggreditur, & exequitur absque examine, verb. gr. si Prælatum ignotum eligat, vel opus arduum, non tentatis ante suis viribus, aggrediatur (*b*).

Inconstantia peccatum est, quo vir libidinosus à bono proposito recedit, aut mediocri difficultate fractus, aut voluptate illectus: luxuria enim animam absorbet, & trahit ad sensibilem delectationem, & extinguit judicium rationis, quæ propterea repudiat, quod recte acceptaverat (*c*).

Amor sui est inordinatus affectus, quo libidinosi carnem suam, carnisque voluptates præ cæteris rebus omnibus, præ officiis suis, præ Dei, & Ecclesiæ mandatis, præ Deo ipso diligunt. Amor hic licet commune peccatorum principium, est tamen filia luxuriæ, quatenus in carnis voluptates quasi in finem tendit.

Odium Dei est aversio a Deo, qua luxuriosi quandoque ipsum refugiunt, & ab ejus lege abhorrent, quatenus carnis voluptates prohibet, æternasque pœnas impudicis infligit. Est gravissimum omnium peccatorum, quia directe opponitur charitati.

Affe-

(*a*) In libris de consideratione.

(*b*) Vide S. Antonin. 2. P. tit. 5. cap. 10.

(*c*) Vide S. Thom. 2. 2. q. 153. art. 5.

Affectus præsentis sæculi, seu inordinatus amor vitæ præsentis, est peccatum, quo libidinosi voluptatibus ita capiuntur, ut hujus sæculi vitam fruendæ voluptatis causa perpetuam esse vellent, de superna felicitate nihil curantes. Miseri hi certe sunt, qui ob voluptates fœdas, momentaneas, amaritudinem parientes, mundum amant, veram voluptatem odio habentes.

Horror, seu desperatio futuri sæculi est peccatum, quo libidinosi mortem, aut judicium divinum ita metuunt, ut de felicitatis æternæ consecutione desperent. Hinc ait S. Thomas (a) : *Diabolus dicitur maxime gaudere de peccato luxuriae, quia est maxima adhærentiae, & difficile ab eo homo poteſt eripi.*

Inter luxuriae filias quidam recensent stultitiam, quæ secundum quod est peccatum, provenit ex hoc, quod sensus spiritualis bebetatus est, ut non sit aptus ad spiritualia dijudicanda, ut docet S. Thomas (b) : item turpiloquia, & scurrilitatem, quorum enim cor turpibus concupiscentiis plenum est, ii facile ad turpia verba proruimpunt. Verum stultitia pertinet ad cæcitatem, vel inconsiderationem, & partim etiam ad odium Dei, ac desperationem futuri sæculi, turpiloquia vero, & scurrilitas pertinent ad præcipitationem, & inconsiderationem.

ARTICULUS VII.

De remediis contra Luxuriam.

REmedia contra luxuriam partim in cogitatione, partim in actione consistunt. In cogitatione potissimum remedium est consideratio turpitudinis ejusdem peccati, ipsius perniciei, & poenarum, quæ ipsum sequuntur, & quibus olim punitur fuit

(a) 1. 2. qu. 73. ar. 5. ad 2. (b) 2. 2. qu. 46. ar. 3.3

fuit in Davide, Salomone, & in toto orbe per diluvium.

In actione præcipua remedia sunt, 1. otii fuga, necnon crapulæ, & ebrietatis, quæ ad luxuriam provocant juxta illud Ezech. 16. *Hæc fuit iniquitas Sodomaæ sororis tue, superbia, saturitas panis, & abundantia, & otium ipsius, & filiarum ejus.* 2. Vittatio nimiæ frequentationis, & familiaritatis mulierum. *Colloquium enim illius quasi ignis exardefecit, ut Eccles. 9. dicitur.* 3. Fidelis, & vigilans custodia sensuum; quia scriptum est Jerem. 9. *Ascendit mors per fenestras nostras.* 4. Humiliatio, & mortificatio spiritus: unde refert S. Hieronymus (a), adolescentem quemdam in Cœnobio, qui nullo modo poterat flammarum carnis extinguere, jurgiis, & convitiis insectatum jussu Prælati, dixisse interroganti illum de pristinis cogitationibus: *Pape, vivere mihi non licet, & fornicari libeat?* 5. Oratio jugisque ad Deum gemitus; quia ut dicitur Sap. 8. nemo potest esse continens, nisi Deus det.

C A P U T . IV.

De Invidia.

A R T I C U L U S . I.

De Invidia secundum se spectata.

Q. I. **U**id sit invidia?

R. Invidia est tristitia de bono alterius, perinde ac si malum nostrum esset, quatenus illo propriam gloriam, aut excellentiam imminui concipimus. Hinc invidia non est, si quis tristetur de bono alterius, quatenus ex eo timet grave malum, vel sibi ipso, vel aliis bonis injuste inferendum; immo id est

Tom. III.

L

fine

(a) Epist. 4. ad Rusticum.

sine peccato, si ordo charitatis servetur. Verum ad hec servanda valde est necessarium subtilissimæ discretionis examen: ne cum nostra odia exequimur, fallamur sub specie utilitatis alienæ, inquit S. Gregorius (a).

Invidia item non est, si quis doleat de bono spirituali alterius, non quod proximum tali bono carere velit, sed quod ipse illo careat; est enim hæc laudabilis æmulatio charitatis, qua fit, ut virtutes proximi imitemur, adeoque de illius bonis, in quibus sumus ipsi similes, gaudemus. Unde ait Apostolus (b): *Æmulamini spiritualia.*

Nec etiam invidia est, sed justa indignatio tristari de bonis alienis eo tantum nomine, quod indignis eveniantur, licet quippe dolere de malo, quatenus malum est, vel naturæ, vel morum. Sic juste quis dolet, quod Beneficia conferantur indignis.

At contra tristari de temporalibus aliorum bonis, quatenus ex Divinæ Providentiae ordine etiam improbis distribuuntur, aut de bono alterius, quatenus nos excedit in bonis, aut nobis coæquatur, invidia est.

Superbiæ fœtus est invidia. Amando enim quicunque excellentiam suam, vel paribus invidet, quod ei coæquentur; vel inferioribus, ne sibi coæquentur; vel superioribus, quod eis non coæquetur (c).

Q. 2. An invidia sit peccatum mortale?

R. Tristari de bono alterius, quatenus nos excedit, vel nobis coæquatur in bonis, est peccatum mortale ex genere; nam, ut docet S. Thomas (d), quod aliquis de felicitate alterius tristetur, hoc manifeste repugnat charitati, inquantum per eam diligitur proximus. Hæc tristitia proprie est invidia. Quidam tamen motus invidiæ sunt peccata venialia, vel quia

(a) L. 22. Mor. c. 6. (b) 1. Cor. 14.

(c) L. II. de Gen. ad litt. c. 14.

(d) Q. 10. de malo, a. 2.

non sunt plene deliberati, vel quia bonam, de quo aliquis dolet, est ita parvum, ut nomen boni vix mererit videatur, ut si alicui victoria in ludo, aut cursu invideatur (a).

Tristari de bonis temporalibus aliorum, quatenus ex Dei ordine distribuantur, est etiam peccatum lethale, si quis adversus Divinam Providentiam propterea insurgat, vel obmurmuret, aut studium pietatis deserat: unde dicitur Psal. 36: *Noli emulari in malignantibus.*

Est ergo lethalis invidiae reus artis, aut scientiae Professor, qui tyronibus suis aliqua abscondit ad artis, vel scientiae perfectionem necessaria, ne ipsi coæquentur, aut parum nominis celebritatem obtineant. In idem crimen incurunt, qui arcana aliqua Reipublicæ profutura, cum nemine mortalium communicare volunt. Gravissime autem peccant, qui doctrinam salutis, cum possint, & debeant, in ædificationem Ecclesie, & proximorum salutem profundere renant: scriptum est enim (b) de cælesti Sapientia: *Quam sine invidia comunico, & honestatem illius non abscondo.* His addit S. Thomas (c): „Est quædam invidia, quæ inter gravissima peccata computatur, scilicet invidia fraternæ gratiæ, secundum quod aliquis dolet de ipso augmentatione gratiæ Dei, non solum de bono proximi. Unde ponitur peccatum in Spiritum Sanctum, quia per hanc invidientiam homo quodammodo invidet Spiritui Sancto, qui in suis operibus glorificatur.“ Ita peccant, qui majora Spiritus Sancti dona in proximis effulgere, quam in se, aliosque esse Ecclesiæ utiliores, dolent.

Q. 3. Quot, & quæ sint remedia adversus invidiam?

R; Sex recenseri possunt, 1. consideratio gravitatis

L 2

tis

(a) Cit. q. 10. de malo, a. 2. ad 4. (b) Sap. 7.

(c) a. 2. q. 36. a. 4. ad 2.

ris invidiæ, & pœnarum ipsi debitaram; invidia enim est diabolicum crimen, quia scriptum est (*a*): *Invidia diaboli mors introivit in orbem terrarum.* Invidia dolet de ipsa bonitate Dei, quam invidus cuperet erga se tantum profusam, erga alios parcam. Invidia fuit causa mortis Christi (*b*). Invidia paupertatem, & ignominiam parit (*c*), & qui ea tabescit non erit particeps sapientiæ (*d*). 2. Invidorum pusillanimitatis, & ignaviae consideratio, juxta illud Job 5. *Parrulum occidit invidia.* Hinc mulieres, & pueri hoc vitio maxime laborant. 3. Consideratio societatis, quam habent fideles inter se, propter quam alterius bona unusquisque debet existimare sua (*e*). 4. Imitatio alienæ virtutis. *Quare invides justo,* ait S. Augustinus (*f*), *o homo injuste!* *Quia vis videri justus?* Cito fac, quod melius est, *& facilius eris, quod vis videri . . . Non enim empturus es, quod tu non es, & alius est: gratis constat, cito constat.* 5. Despicientia rerum mundanarum, ut scilicet magni non faciamus opes, potentiam, gloriam, honores &c. hæc enim sunt quidem instrumenta virtutis illis, qui recte iis utuntur; & idcirco de earum recto usu non est invidendum, sed gaudendum; per se tamen hominem felicem non efficiunt, immo qui iis abutitur, miser est, adeoque non invidia, sed commiseratione dignus. 6. Studium spiritualis profectus ex doctrina Magistrorum, & Concionatorum capessendi, non famæ, & laudum, quibus invideamus.

(*a*) Sap. 2.(*b*) Joan. 12.(*c*) Prov. 28.(*d*) Sap. 6.(*e*) Vide S. Greg. in Pastor. P. 3. admonit. 11.(*f*) In Psal. 139. n. 8.

ARTICULUS II.

De filiabus Invidiae.

Filiæ hujus vitiæ quinque numerantur a S. Gregorio, Odium proximi, Susurratio, Detractio, Exultatio in adversis proximi, & Afflictio in prosperis.

§. I.

De Odio proximi.

Q. **A**N odium proximi sit peccatum lethale?

R. Odium proximi ortum ex invidia, est lethale peccatum, quoties alteri grave aliquod malum deliberate volumus. Ait enim S. Joannes (*a*): *Omnis, qui odit fratrem suum, homicida est.* Quare animadvertant Confessarii, se non posse illos absolvere, qui proximos oderunt, & ab illis dissident, nisi depositis inimicitiis cum eisdem reconciliati fuerint, juxta monitum Christi (*b*): *Si offeres munus tuum ad Altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid adversum te: relinque ibi munus tuum ante Altare, & vade prius reconciliari fratri tuo, & tunc veniens offeres munus tuum.*

§. II.

De Susurratione.

Q. **I.** **U**id sit susurratio? & an sit peccatum lethale?

R. Susurratio est secreta obloquutio, qua quis malum culpæ alienæ, vel pœnæ, vel aliquem etiam

L 3

na-

(*a*) Epist. 1. c. 3.(*b*) Matth. 5.

naturæ defectum, inordinate cuiquam denunciat, eo fine, ut justam, quæ inter eos intercedit, amicitiam lædat, aut dirimat; aut ea detegit imprudens, quæ rectam, & laudabilem amicitiam graviter lædere, aut dissolvere valeant, vel suapte natura, vel ratione personarum, apud quas referuntur (a).

Susurratio ex genere est peccatum lethale: dicitur enim Proverbiis 6. Sex sunt, quæ odit Dominus, & septimum detestatur anima ejus: oculos sublimes. Et eum, qui seminat inter fratres discordias. Si tamen quis malum proximi alteri renunciet, vel ad salutem ipsius procurandam, vel ob Ecclesiæ, aut Reipublicæ utilitatem, vel ut amicorum suorum bono consulat, vel ut pravas, & in damnum alterius conspirantes amicitias dissolvat, peccatum susurrationis non committit. Hinc non peccat qui aliquis impedimenta Superiori revelat, ne ille ad Ordines promoveatur: qui manifestat impedimenta sponsorum, ne Matrimonium contrahant: qui parentibus puellæ ex charitate, vel amicitia prodit vitia, aut veros defectus viri, qui puellam ambit &c.

Quandoque susurratio est peccatum veniale, cum scilicet quis per jocum uni amicorum renunciat aliquid de altero, quod scit ingratum ipsi fore, & ex eo nonnihil commotum iri adversus amicum, non ita tamen, ut amicitia dissolvatur, aut labefactetur: modo tamen quæ dicit homo ille facetus, talia non sint, quæ suapte natura, & habita ratione personarum, amicitiam infringere, aut graviter lædere valeant: modo etiam non intendat amicos disjungere, aut gravem inter illos discordiam sere-re; & aliunde certus sit, se leyes contentiones, vel suspitiones, si quæ oriantur inter amicos, passe protinus dissipare, ac sedare, quia apud illos auctoritate valet, iisque amicus est, iidemque noverunt ipsum

(a) Vide S. Thom. 2. 2. q. 74. a. 1.

Ipsum ad hujusmodi jocos, alias periculosos, proclivem. His concurrentibus circumstantiis, susurratio est peccatum veniale, quia charitatem proximi graviter non lædit.

Q. 2. Quām grave sit peccatum susurrationis?

*R. Si susuratio cum detractione & contumelia comparetur, susuratio est majus peccatum, quam detrac*tio*, & etiam quam contumelia, quia amicus est melior, quam honor. Ita S. Thomas (a). Hinc dicitur Eccles. 6. Amico fidi*li* nulla est comparatio.*

Intra eamdem susurrationis speciem peccatum est alterum altero gravius, non solum ratione finis (quo fit interdum, ut ad alteram quoque peccati speciem pertineat, velut si quis discordiam ferat inter virum, & uxorem, ut possit ista frui; is enim & susurro, & adulter est); verum etiam aliarum ratione circumstantiarum. Quamobrem gravius peccat intra eamdem speciem, qui amorem conjugum, quam qui aliorum dirimere, aut labefactare nititur: gravius qui patrem in filium commovet, quam qui Dominum in servum: gravius qui Principis cum Aulico, quam qui vulgares conjunctiones dirimere conatur. Idem esto judicium de iis, qui discordias ferunt inter Monachos, aut Sanctimoniales, vel inter subditos, & Prælatos, unde fit, ut disciplina regularis solvatur, aut remittatur; ordo, & pax Monasteriorum turbetur; partes fiant, & conventicula; orientur lites, & scandala; hi sane gravius peccant, quam si amicorum secularium amicitiam perturbarent. Itaque hujusmodi circumstantiae sunt necessario exprimendæ in Confessione. Eas tamen explicasse non sufficit, ut Confessarii susurrones absolvant. Nam si amicitiam legitimam graviter isti læserint, absolvendi non sunt, donec amicos, quoad

L 4 eorum

eorum fieri poterit, inter se reconcilient: aut si id præstare non possint, pro damnis inde sequutis, iudicio viri probi satisfaciant; non enim peccata remittuntur, nisi damna illata resarciantur.

§. III.

De Detractione.

Q. 1. **Q**uid sit detractio?

R. *Detractio*, ex S. Thoma (a), secundum suam rationem ordinatur ad denigrandum famam alicujus. Unde ille per se loquendo detrahit, qui ad hoc de aliquo obloquitur eo absente, ut ejus famam denigret. Ex qua doctrina consequitur, non omnem alieni peccati etiam occulti revelationem peccatum detractionis esse, sed illam tantum, qua justitiæ, vel charitatis ordo violatur. Quare subdit S. Thomas (b): *Si verba, per quæ fama alterius diminuitur, proferat aliquis propter aliquid bonum, vel necessarium, debitis circumstantiis observatis, non est peccatum, nec potest dici detractio*. Licet ergo occultum proximi peccatum, ob ejus emendationem denunciare Superiori, servato prius præcepto fraternæ correctionis. Licet accusatione legitima prodere alterius crimen publicis legibus plectendum; modo id fiat non vindictæ, sed justitiæ, bonique publici affectu. Est item licitum renunciare occultum alicujus vitium, vel defectum ad avertendum grave damnum Ecclesiæ, Reipublicæ, Communilitati, familiæ, vel privatis etiam personis imminens; v. g. occulta vita, vel defectus personæ, quæ promoveri debet ad Beneficium, Officium, vel Dignitatem; modo id prudenter fiat, nec citra necessitatem, nec pluribus, quam oporteat, & ex charitate, publicque boni studio.

(a) 2. 2. q. 73. 2. 2.

(b) Ibid.

dio. Præterea licet alios monere, ut sibi caveant ab eo, quem certo nosti, vel non temere suspicaris furem, proditorem, hæreticum, pestifero morbo laborantem &c. si malum ex ejus societate aliis impendens, aliter avertere non possis. Denique licet occultum alterius crimen prodere, si aliter ab iusta illius vexatione liberari non possis; moderatio nē tamen servata, ita ut nec plura, aut graviora ex illius criminibus occultis, revelentur, quam postulet necessitas justæ defensionis, nec vindictæ animo revelatio fiat. Itaque reus non peccat, cum testimoniis illigitimorum testimonia, quibus damnandus est, repellit, vero ipsorum crimine detecto, ac publicato.

Q. 2. An detractio sit peccatum mortale?

*R. Ex S. Thoma (a): „ Auferre alicui famam, „ valde grave est: quia inter res temporales videtur „ fama esse pretiosior, per cuius defectum impedi- „ tur homo a multis bene agendis. Propter quod di- „ citur Eccl. 41. Curam habe de bono nomine, hoc e- „ nim magis permanebit tibi, quam mille thesauri ma- „ gni, & pretiosi. Et ideo detractio, per se loquen- „ do, est peccatum mortale.“ Detractio igitur ex genere suo est peccatum lethale, & quidem gravius furto, quia *fama præeminet divitiis* (b); homicidium est peccatum detractione gravius: sed tamen detractio homicidii malitia & crudelitati proxima est, quia ex invidia, & odio procedit: *qui autem odit fratrem suum homicida est*. Si quis ergo occultum, & grave proximi peccatum revelet, licet absque animo graviter lœdendi, ex quo tamen fama proximi notabiliter lœdatur, graviter peccat.*

Ex quibus infertur, lethalis detractionis reos esse illos, qui schedulam, in qua quis juvandæ memoriæ

(a) Cit. q. 73. a. 2. (b) Ibid. a. 3.

riæ causa peccata in Confessione aperienda descripsit, in vulgus indicant, si peccata illa gravia sint, vel spectata conditione personæ famam proximi graviter læsura; violent enim charitatem, justitiam, legemque naturalem de arcani fide servanda.

Infertur etiam, lethaliter peccare Historicos, qui occulta Principum, aliorumve illustrium Virorum vitia litteris consignant: hoc enim vetant leges justitiae, & charitatis; licet tamen eorum publica facinora memoriae prodere, posteritatis informandæ studio, utque metus infamiae Principes, & illustres Viros a vitiis avertat.

Præterea infertur, lethaliter peccare illos, qui verbo, aut scripto defunctorum famæ graviter detrahunt: sic enim defunctis eripiunt vitam honoris, qua adhuc vivunt in hominum memoria.

Peccant item mortaliter, qui graves detractiones ab aliis auditæ, suas faciunt: nam etsi ipsi non sint detractionum primi auctores, & ipsi tamen detrahunt.

Ad hæc: gravis detractionis rei sunt, qui gravem injuriam sibi ab aliquo illatam, renunciant alteri, nulla necessitate compulsi, sed nocendi animo, & ultiōnis libidine: violent enim præceptum Domini Matth. 5. *Orate pro persequentibus, & calumniantibus vos.*

Non minus peccant libellorum famosorum, aut canticorum contumeliosarum auctores, & qui ea spargunt in vulgus, quales sunt, qui eorum exemplaria distribuunt, donant, mittunt, aut quoquo modo divulgent; qui illa retinent apud se, & colligere amant; vel detrahendi, & calumniandi libidine referunt aliis, quod legerunt. Item qui famosas cantiones cantant, aut earum auditu delectantur: qui auctores præfatos, ab ipsis cognitos, non produnt. Si etiam, qui famosas imagines pingunt, sculpunt, excudunt, vendunt, exponunt, distribuunt, quibus

bus proximi fama, aut honor violatur. Hi certe rei sunt gravissimæ detractionis, aut contumeliae, cum aliena crimina, seu falsa, seu occulta ad omnium, aut saltem plurimorum notitiam deducant, efficiantque, ut illorum infamia publica sit, & in omne tempus propagetur.

Gravioris porro criminis rei sunt, qui in Episcopos, aliosque Prælatos, & Viros Ecclesiasticos, aut Religiosos, præsertim qui in Ecclesiæ regimine, aut animarum salute sacris concionibus, doctrina, Sacramentorum administratione, Episcopis cooperantur; vel in Sanctimoniales, Magistratus, &c. hujusmodi libellos, aut scripta, vel imagines conficiunt, aut spargunt; multoque gravius peccant, qui prædicta edunt contra Communem, familiam, aut Ordinem universum. Nam ut docet S. Thomas (a). Peccata, quæ committuntur in proximum, sunt pensanda per se quidem secundum nocumta, quæ proximo inferuntur, quia ex hoc habent rationem culpæ. Majus autem nocumentum inferunt proximo detractiones, & libelli famosi, quibus Ordinis, aut Communitatis alicujus fama proscinditur.

Adversus tam atrox libellorum famosorum crimen Jus Civile (b) pœnam gladii constituit (c). Sacri vero Canones (d) virgarum flagellationem decernunt in ejus autores. Et S. Pius V. Const. Romani Pontificis providentia 7. Mart. 1572. innotavit, & confirmavit pœnas omnes sacræ legibus latas, & promulgatas in eos, qui libellos famosos, aut litteras ali-

(a) 2. 2. q. 73. ar. 3.

(b) L. Si quis C. de famos. libell.

(c) Hujus criminis rei, sunt etiam infames, & intestabiles. L. Ob Carmen ff. do testibus. Iisdem pœnis plectuntur mandan-

tes, cooperantes, & consulentes; & non lacerantes, non comburentes, & alii manifestantes libellos famulos. L. Si quis, cit.

(d) Cai. qui in alterius, caus. §. q. 1.

alicujus famæ , & honori detrahentes , vera etiam exprimendo , scripserint , dictaverint , retinuerint , transmiserint , & non laceraverint , ignique tradiderint (a).

Omnibus autem obtrestitutionibus capitalior est illa , qua Catholicæ doctrinæ , ejusque Prædicatoribus obtrestatur (b); cui similis est illorum culpa , qui malarum doctrinarum , & errorum Magistros extollunt laudibus (c).

Q. 3. Quando fama proximi censeatur graviter lædi .

R. Graviter , vel leviter læditur fama proximi pro graviitate , vel levitate materiæ , spectatis omnibus circumstantiis , ac præsertim conditione personæ læsæ ; nam fieri potest , ut quæ levia sunt , vel quæ vulgo levia censentur respectu minus , magnam interdum infamiam alteri creent ; & contra fieri potest , ut habita ratione personæ , nulla ex vitio per se etiam gravi , quod de aliquo narratur , in eam redundet infamia , quia de hoc gloriari solet , aut profligatæ famæ est , aut similis conditionis homines id vitium non ducunt dedecori , aut eo ut plurimum obnoxii sunt . Hinc si quis de gregario milite , vel bajulo dixerit , ebrium fuisse , aut ebriosum esse , detractio levis est . At si levia alterius peccata , vel naturales defectus referendo , directe , vel indirecte honestam ejus famam , & existimationem graviter lædat , aut grave damnum inferat , detractio lethalis est ; v. g. assiduitas mentiendi , vana gloria , & ostensi-

(a) Laudata Constitutio Piana decernit pro statu Ecclesiæ confiscationem bonorum , & pœnam capitis in illos , qui libellos famulos , continentes famæ læsionem , aut revelationem Secretorum , que tractantur pro Eccle-

sastico regimine , componunt , scribunt , dictant , retinent , transmittunt , & non lacerant , vel igne tradunt .

(b) Catech. Rom. P. 3. c. 9. q. 9.

(c) Idem ibid.

ostentatio, iracundia, levitas, & alia, quæ Christianorum vulgo, aut nullam, aut levem dedecoris notam inurunt, gravem sacratis hominibus, & præfertim Ecclesiam regentibus infamiam aspergunt; gravia etiam damna ipsis inde proveniunt, quia in contemptum adducuntur: minuitur eorum auctoritas cum Ecclesiæ damno, & interdum retardantur etiam a Beneficiis, & Officiis, quibus alioquin digni essent; Ecclesiæque utiles futuri. Lethalis etiam detractio est, si quis defectum naturalem alteri affingat, vel inordinate revelet, ex quo ille in contemptum adducitur, vel a muneribus, & honoribus, quos legitime consequi, & laudabiliter gerere posset, arcetur; vel ab honestis, & utilibus amicitiis abalienatur, aut privatur maximis commodis; aut grave damnum incurrat, ut si virum illustrem spuriū quis effugiat.

Q. 4. An qui ex animi levitate, loquacitate, aliave causa non necessaria malum, vel defectum proximi afferit absque animo nocendi, famam ejus graviter lædere censeatur?

R. Affirmative; si verba, quæ profert, grave alienæ famæ vulnus infligant, vel infligere possint, juxta superius dicta; sin minus, detractio venialis est. Ita docet S. Thomas (a): „Si autem, inquit, proferat ex animi levitate, vel propter causam aliquam non necessariam, non est peccatum mortale, nisi forte verbum, quod dicitur, sit adeo grave, quod notabiliter famam alicujus lœdat, & præcipue in his, quæ pertinent ad honestatem vietæ; quia hoc ex ipso genere verborum habet rationem peccati mortalitatis“. Si quis ergo malum aliquod, vel defectum proximi aperit absque animo nocendi, absque odii, iræ, vel invidiæ affectu, sed ex

(a) 2. 2. q. 73. a. 2.

ex mera levitate, loquacitate, aliave causa non necessaria, nec verba notabiliter famam lədant; venialiter delinquit: nam ut ait S. Thōmos (a): *Pecata verborum maxime sunt ex intentione dicentis dijudicanda.*

Q. 5. An lethaliter peccent, qui publicum aliquius crimen nescienti aperiunt?

*R. Si manifestatio publici criminis, & Judicis etiam sententia damnati, nescienti fiat animo nocendi, peccatum est lethale; quia violatur charitas, quae occulta proximi crimina tegere jubet in eo casu, ne proximus perdat reliquum famae apud illos, qui ejus crimen ignorant (b). Si autem oblio-
vio pene delevisset criminis memoriam, aut reus ve-
terem infamiam penitentia, &c honestate morum abolevisset, violaretur non solum charitas, sed & justitia, publicum ejus crimen manifestando; quia reus jam sibi bonam famam peperisset, qua privari absque iniquitia non posset.*

Q. 6. An licet alienum crimen patefacere uni, vel duobus viris prudentibus, arcuique tenacibus amicis?

*R. Absque iusta necessitate non licet. Nam, ut docet S. Thomas (c) etiam si uni soli aliquis de ab-
sente malum dicat, corrumpt famam ejus, non in to-
to, sed in parte: quod absque peccato mortali fieri non potest. Nec refert, quod illi prudentes sint; immo quo sunt prudentiores, eo gravior est existi-
mationis jactura apud ipsos, quam apud vulgum.*

Q. 7.

(a) 2. 2. q. 73. a. 2.

(b) Cum Natalis docet, violari solum præceptum charitatis ab illo, qui publicum crimen proximi damnatum Judicis sententia nescienti revelat animo nocendi, non loquitur de criminibus in una Religione publicis etiam per sententiam Judicis Regularis: nam

qui hæc crimina revelat extra Religionem, in qua publica sunt, non modo charitatem, sed etiam justitiam violat: nam sententia Regularis Judicis pro privata dumtaxat subditorum notitia fertur, non pro publica aliorum: id enim detrimento foret Religionis bono.

(c) Q. cit, a. 1. ad 2.

Q. 7. An liceat seipsum infamare?

R. Lethalis peccatis reus est, qui seipsum infamat, cum ex tali infamia detrimptum sequitur salutis propriæ, vel aliehæ, aut etiam vitæ damnum, aut corporalis integritatis periculum; aut cum ejus infamia in familiam, Communicantem, vel Ordinem, cuius est pars, redundat; aut cum suorum criminum patefactione omnino inutilem se reddit Reipublicæ, vel Ecclesiæ, cui alias utilem operam navare possit. Cuique enim dicitur (*a*): *Curam ab de bono nomine.* Excipe casum, quo reus in iudicio interrogaatur, cum semiplena probatio, vel indicia expressa, vel publica infamia criminis præcessit; tunc enim legitimo Judici, servato juris ordine, interroganti, verum dicere adstringitur, etiamsi inde vitæ damnum, aut membrorum mutilatio ipsi imminet; aut ejus infamia in aliquam familiam, Communitatem, vel Ordinem redundatura sit. Nam tunc non ipse se prodit, sed ab alio proditur, dum ei necessitas respondendi imponitur per eum, cui obedire tenetur (*b*). Sed de hoc alias.

Q. 8. Quot modis detractio fiat?

R. Octo recensentur modi detrahendi his verbis expressi:

Imponens, augens, manifestans, in mala vertens;
Qui negat, aut minuit, tacuit, laudas per remisse.
 Nam famæ proximi detrahere contingit, vel directe, vel indirecte. Directe quidem, aut imponendo alicui falsum crimen, aut augendo, & exaggerando crimen verum, aut crimen occultum patefaciendo, aut aliena dicta, vel facta pejorem in partem interpretando. Indirecte vero, cum præclarum alterius factum, aut pro viribus minuitur, atque laudis occasione data siletur, aut frigida laudatione infringitur,

(*a*) *Eccles.* 41.

(*b*) *S. Thom.* 2. 2. q. 69. 2. 1. ad 1.

gitur, cum scilicet eo silentio, aut frigida laudatione proximi fama laeditur (*a*).

Quoad spectat modum detrahendi directe, nota satis non esse, ut qui proximo falsum crimen imposuit, de gravi detractione in Confessione se accuset, sed exprimere tenetur impositionem illam, quia gravius peccatum est. Idem dic de interpretantibus in malam partem; quod est de se bonihi namque non detractionis modo, sed etiam iudicii temerarii rei sunt; unde utrumque peccatum exprimere necessario debent.

Ad modum quod attinet indirecte detrahendi, observandum est, detractionem fieri posse, non tantum verbis, sed & factis, & signis, seu nutibus; ut cum quis alienæ laudis intus impatiens, malitiose subridet, abnuit capite, vel oculis, his nutibus significans, hominem, qui laudatur, non esse tamē, qualis prædicatur. Item silentio, ut si quis de proximi probitate, quam perspectam habet, interrogatus silet, aut dum alii certatim aliquem laudant, ipse, cui ille notus est, tacet; ita enim silentio suo illum laudibus indignum significat. Si quis autem certo noscat, personam laudatam non esse tamē, qualis celebratur, mentiri quidem non debet contra propriam notitiam; sed cum nemo ita sit malus, quin sit prædictus bonis aliquibus dotibus, charitas, & justitia postulant, ut laude dignum ob multa, quæ in eo sunt bona, significet, aut saltem placere sibi, quod laudetur; quia revera placet laudantium charitas. Quod si quis ob vitia laudaretur, nec tunc silendum esset. In his autem, quæ ad honestatem vitæ non pertinent, ut loquitur S. Thomas, possimus ab iis dissentire, qui proximum laudant, aut certe silere: nam potest aliquis esse bonus

(a) Vide S. Thom. 2. 2. q. 73. a. 2. ad 3.

nus Sacerdos , aut Monachus , & ineptus Conclocinator ; potest esse vir probus , & dotibus ad Præfecturam necessariis destitutus . In his tamen periculum est , ne ex invidia , aut superbia , vel aliquo præjudicatae mentis affectu negemus , aut extenuemus famam alicuius , vel silentio significemus , ipsum immerito laudari .

Frigida tandem laudatio vituperationi plerumque æquivalet , ut si de proximo , cuius virtus commendatur , quis frigide dicat : ita ferunt : forte id ab illo gestum est : sed si ita est , quantum mutatus ab illo ! si sanctus est , nunc primum ad sanctos aggregari cœpit : vir est doctus , & pious , sed &c.

Est & alius detrahendi modus eo perniciosior , quo frequentior , dum quis alterius crimen occultum se audivisse narrat ; dicit tamen , se nolle credere : ita enim majorem sibi conciliat fidem , dum se a detrahendo simulat alienum .

Denique non minus pestilens est detrahendi modus , cum quis de aliquo dicit coram alias : debet ille tacere coram me : novit enim quid sciām , quid fecerit &c. nam ex modo loquendi auditores forte quid gravius suspicantur , quam detractor intelligat .

Q. 9. An peccent , qui audiunt detrahentes ?

R. Ex S. Thoma (a). Quis potest peccato alterius cooperari duplicitate , vel directe , scilicet cum alterum ad peccatum inducit , aut ei placet peccatum alterius ; vel indirecte , nempe quando non resistit , cum dote ; quod aliquando contingit , non quia placet peccatum , sed propter humanum timorem . Itaque si aliquis detractiones audiat absque resistentia , videtur detractori consentire : unde fit particeps peccati ejus . Et si quidem inducat eum ad detrahendum , vel saltem placeat ei detractio propter odium ejus , cui detrahi-

Tom. III.

M.

tur ,

(a) 2. 2. q. 73. art. 4.

tur, non minus peccat, quam detrahens, & quandoque magis. Unde Bernardus dicit (*a*): Detrahere, aut detrahentem audire, quid horum damnabilius sit, non facile dixerim.

Tres porro casus adsignat S. Thomas (*b*), in quibus mortaliter peccat, qui graviter detrahentem non corripit, vel repellit. 1. Cum alicui ex officio incumbit detrahentem corriger, ex officio nempe iustitiae, & charitatis, ut sunt Superiores erga subditos, scilicet Episcopi, Parochi, Patres, & Matres-familias, Domini, & Dominae, Magistratus, & quisquis aliqua pollet auctoritate. 2. Cum ille, qui detractorem audit, aliquid periculum consequens, seu grave damnum detractori, vel ei, cui detrahitur, vel utriusque imminere ex detractione prospicit, quod potest avertere. Is nisi detrahentem repellat, aut corripiat, lethaliter peccat contra charitatem, quae jubet, ut mala proximo imminentia pro virili avertamus. 3. Cum metu boni cujuspiam temporalis amittendi, v. g. amicitiae, favoris detrahentis, aut ne morosus habeatur, abstinet quis a correctione detractoris, quam exercere tenetur, & potest; tunc enim lethale est peccatum propter radicem, qua timor humanus quandoque potest esse peccatum mortale (*c*). Si enim aliquis propter timorem, quo refugit periculum mortis, vel quocumque aliud tempore mortale, si dispositus est, ut faciat aliquid prohibitum, vel prætermittat aliquid, quod est præceptum in lege divina, talis timor est peccatum mortale (*d*).

Addit S. Thomas (*e*). „ Non semper aliquis debet resistere detractori, arguendo eum de falsitate, & maxime si sciat verum esse, quod dicitur (juxta illud Eccl. 4. Non contradicas verbo veritatis ullo

(*a*) Lib. 2. de Consideratione, c. 13.

(*b*) Art. cit.

(*c*) Ibidem. (*d*) 2. 2. q. 225. ar. 3.

(*e*) 2. 2. q. 73. ar. 4. ad 2.

ullo modo) „ sed debet eum verbis redarguere de „ hoc , quod peccat fratri detrahendo : vel saltem „ ostendere, quod ei detractio displiceat, per tristi- „ tiam faciei, quia, ut dicitur Prov. 25. *Ventus A- „ quilo dissipat pluvias , & facies tristis linguam de- „ trahentem.*“

Extra casus recensitos, si ei, qui detractorem audit, non placet peccatum, sed ex timore, vel negligencia, vel etiam vrecundia quadam, omittat repellere detrahentem, peccat quidem, sed multo minus, quam detrahens, & plerumque venialiter (a). Imo quandoque nullum peccatum committit, si nempe detractor sit persona superior, vel si nulla sit spes fructus, imo timor probabilis inflammandi potius, quam sedandi detractorem.

Q. 10. An liceat detractionem detractione repel- lere?

R. Id fieri absque mortali peccato non potest, cum directe opponatur præcepto charitatis, Christianæque justitiæ. Ait enim Christus Luc. 6. *Benedicite male- dicentibus vobis, & orate pro calumniantibus vos.* Hinc Innocentius XI. has propositiones damnavit = *Quid- ni non nisi veniale sit detrahentis auctoritatem magnam , sibi noxiām , falso crimine elidere? = Probabile est , non peccare mortaliter , qui imponit falsūm crimen ali- cui , ut suam justitiam , & honorem defendat.* Et si hoc non sit probabile, *vix ulla erit opinio probabilis in Theologia.* Igitur detrahentium linguae sunt per omnia æquanimiter tolerandæ, cum detrahentes corrigi nequeunt : alias licet quidem detrahentes redarguerē, suamque famam tueri ; imo ad id homo tene- tur, si famæ suæ detrimentum in aliorum periculum vergat : numquam tamen licet detractionem detra- ctione, aut calumniam calumnia repellere (b).

(a) S. Thom. 2. 2. q. 73. art. 4.

(b) Vide S. Gregor. Homil. 9. in Ezech,

Q. 11. An detractor teneatur ad restitutionem famæ? & quomodo ea restitutio fieri debeat?

R. Ad 1. p. affirmative nam, ut ait Sanctus Thomas (a), Restitutio est actus justitiæ commutati- „væ, quæ in quadam æqualitate consistit. Et id „eo restituere importat redditionem illius rei, quæ „injuste ablata est Cum ergo conservare justi- „tiam sit de necessitate salutis, consequens est, „quod restituere id, quod injuste ablatum est ali- „cui, sit de necessitate salutis. “ Qui ergo alteri „famam ademit, ad restitutionem tenetur, alias peccatum non remittitur, juxta vulgatam S. Augu- stini (b) regulam: *Non remittitur peccatum, nisi re- stituatur ablatum.*

Ad 2. p. quod attinet, animadvertendum est ex D. Thoma (c), quod aliquis potest alicui famam tri- pliciter auferre. Uno modo verum dicendo, & iuste, puta, cum aliquis crimen alicujus prodit ordine debito servato, & tunc non tenetur ad restitutionem famæ. Alio modo falsum dicendo, & injuste, & tunc tenetur restituere famam confitendo, se falsum dixisse. Tertio modo verum dicendo, sed injuste, puta, cum aliquis prodit crimen alterius contra ordinem debitum, & tunc tenetur ad restitutionem famæ, quantum potest, sine mendacio tamen; utpote quod dicat, se male dixisse, vel quod injuste eum diffamaverit. Vel si non possit fa- mam restituere, tenetur ei aliter recompensare; videli- cet exhibitione honoris, commendatione virtutis, aut alio congruo modo, arbitrio viri prudentis: nam, ut docet idem S. Thomas (d), quando id quod est ablatum, non est restituibile per aliquid æquale, debet fieri recompensatio, qualis possibilis est.

Itaque calumniator tenetur se retractare apud om- nes,

(a) 2. 2. quæst. 62. art. 2.

(b) Epist. 153. al. 54. ad Macedonium, n. 20.

(c) 2. 2. q. 62. ar. 2. ad 2. (d) Ibidem ad 1.

nes, qui ejus calumniam audierunt, eique crediderunt, seu ad quos calumnia, ipso auctore, pervenit; idque adserendo, se fuisse mentitum, vel deceptum, adhibitis, si necesse fuerit, testibus, praestito etiam juramento: insuper pati aequale detrimentum propriæ famæ, si resarciri aliter non possit aliena, quia in pari periculo potior est conditio innocentis. Qui vero occultum alterius crimen injuste evulgavit, tenetur pariter suum errorem, & injustitiam fateri coram omnibus, apud quos famam proximi læsit: & si nihilominus ii credant, crimen esse verum, quia detractor non contestatur, se falsum dixisse, tenetur famam resarcire exhibitione honoris, commendatione virtutum, familiaritate quadam cum eo, cuius famæ derogavit. Si autem sit impossibilis famæ restitutio, vel fieri non possit sine jactura famæ propriæ longe præstantiori, v. g. si calumniator, aut detractor sit persona valde celebris, & Ecclesiæ, vel Reipublicæ necessaria; quæ vero læsa fuit, sit valde obscura, minimeque necessaria: tunc locum esse compensationi, ajunt Theologi, satisque fore, si persona læsa laudetur in eo genere, in quo ejus famæ derogatum est, aut ejus infamia pecunia, vel beneficiis compensetur; aut remissio restitutionis a persona læsa muneribus, & gratiis impetretur.

Q. 12. An detractor teneatur ad restitutionem famæ alienæ, cum vitæ periculo?

R. Etsi detractor cum tanto onere famam alteri ablatam non teneatur restituere, quia bona inferioris ordinis restituenda non sunt cum jactura bonorum ordinis superioris: si tamen quis calumnia sua alterum in vitæ periculum adduxit, ex quo ille aliter eripi non valeat, v. g. si homicidium alteri imposuit, propter quod ille mox capite plementus est; is qui calumnia sua, vel falso testimonio illum conjecit in tale periculum, tenetur apud Judicem contestari, se falso accusasse, aut falsum

testimonium dixisse , & se vitæ periculo expone-re : alioquin reus erit necis homini innocentii infe-rendæ . Erit tamen munus Confessarii alias tenta-re vias , antequam calumniatorem compellat ad fa-mam alterius cum vitæ periculo restituendam . Adi-re poterit Judicem , apud ipsum contestari , se per Confessionem certo scire , hunc hominem N. tal-lis criminis innocentem esse , ipsumque obsecrari in Dei nomine , ut ipsum liberare omnino con-e-tur . Si autem Confessarius auctoratis non sit ma-gnæ , mittat pœnitentem calumniatorem ad Episco-pum ; is vero apud Judicem auctoritatem suam in-terponet : intereaque Confessarius pœnitenti suade-bit , ut conferat quidquid potest ad liberationem in-nocentis .

Id ipsum de illo est dicendum , qui suis calumniis bellum , aut seditionem incendit , ex quibus multo-rum cædes probabiliter timentur . Is enim Principi ad bellum excitato , vel seditionis , aut conjuratis hominibus fateri debet , se falsum dixisse , totisque viribus eniti ad abluendam calumniam , aut rumo-mores dissipandos , qui bello , vel seditioni occasio-nem dederunt ; & vitæ etiam subire periculum , si malum illud non possit aliter avertere .

Q. 13. Quid factò opus , si auctor criminis , cu-jus in suspicionem venit innocens mox torquendus , & morti addicendus , ipsi crimen non adfixerit , sed usus sit occasione data , ut crimen præcogitatum pa-traret , cujus in suspicionem sciebat alterum addu-cendum ?

R. Casus ita potest concipi . Petrus , & Jacobus inter se rixantur publice . Multis coram testibus alter alterum gravissime lædit . Qui gravius læ-sus est , alteri palam comminatur , quod non ante crastinum aggressorem pœnitentebit . Martinus ri-xæ testis , occasionem quærens ulciscendi de Pe-tro , illum occidit , certus , Jacobum in suspicio-nem adducendum , seque ab omni poena immunem fore .

flore. Dicinus ergo , Martinum in hoc casu non teneri se prodere cum probabili periculo vitæ , quia ipse non est causa infamiae , vel periculi , in quibus versatur Jacobus innocens ; is enim imprudentiae suæ , ac minis tribuere debet periculum , non Martino : qui ea occasione usus est , ut inimicum ulcisceretur , sed non eo animo , ut Jacobum in periculum conjiceret , id quod non minus incurrisset , si alter rixæ , & minarum ignarus , Petrum occidisset . Confessarius ergo , vel Episcopus hoc in casu apud Judicem agent modo supra indicato , ut innocentem liberent ; Martino vero suadebunt , ut damna hæredibus Petri reficiat .

Q. 14. Ad quid teneantur libellorum famosorum auctores ?

R. Dubium non est , quin hujusmodi libellorum , seu carminum auctores , & disseminatores obligentur ad famam restituendam : id vero ut præsent , debent aliis libellis , seu carminibus retractare , quæ in proximum scripserunt : illos , quos læserunt , celebrare laudibus : libellos encomiasticos iisdem in locis affigere , exponere , disseminare pari numero , quo libelli , & carmina famosa distributa sunt ; typis etiam excusos , si ista typis edita fuerint . Id nisi sufficiat ad abolendam infamiam , curare debent , quantum in ipsis est , ut Parochi , & Concionatores populo denuncient improbitatem , aut falsitatem hujusmodi libellorum ; eique significant , graviter peccaturos , qui male sentirent de personis illustribus , quarum famam libelli proscindunt : libellorum auctores crimen suum agnoscere , veniamque precari . Tandem ab iis , quos læserunt , injuriæ condonationem petere debent , si periculum absit , & Sacerdotes , piosque viros adhibere intercessores , ut illum obtineant .

Q. 15. An lege restitutionis teneantur, qui infamem uno genere peccati, alterius criminis aspergunt infamia?

R. Affirmative: nam qui infamis est uno genere peccati, v. g. concubinatus, non ideo amisit jus ad famam ex aliis virtutibus consecutam, puta ex fide, vel justitia. Si tamen peccata connexa essent, nullum foret restitutionis onus, quia ex peccatis conexis una infamia resultat.

Q. 16. An Prælati, & Superiores, qui subditos suos detrahentes non coercent, ad restitutionem teneantur?

R. Affirmative; tenentur enim ex officio impedi re, ne subditi aliis noceant, idque nisi prohibeant, subditosque ad restitutionem compellant, tenentur ipsi restituere. Idem esto judicium, si audiant detractorem Communitatis sibi commissæ, aut subditorum suorum famam dilacerantem, nec ipsi corrigant: nam ipsis incumbit ex officio famam Communitatis, ideoque & subditi, cujus infamia in Communitatem redundat, potiori jure, quam bona temporalia conservare. Prælati ergo procul a se removeant detractores, susurriones, qui pietatis, ac zeli obtentu sæpe delitescunt: & sequantur monitum S. Bernardi (*a*) ajentis: *Clandestinas, & susurratas delationes non recipias: magis detractiores censueris.* Et hanc velim generalem tibi constitutas regulam, ut omnem, qui palam veretur dicere, quod in aure locutus est, suspectum habeas. Quod si, te judicante, dicendum coram ille renuerit, delatorem judices, non accusatorem.

R. 17. Quinam excusentur a restitutione famæ?

R. Ex-

(a) Lib. 4. de Consideratione, c. 6.

R. Excusantur 1. ii, ex quorum detractione nullum vulnus inflictum est alienæ famæ, cum scilicet ob notam eorum improbitatem, maledicendi libidinem, levitatem; & contra ob illorum, apud quos dextraxerunt, æquitatem, & pietatem; nec non ob eorum, quibus detrahere conati sunt, bene ac firmiter stabilitam famam, fides hujusmodi detractribus non est adhibita. Nemo quippe restituere tenetur, qui nullum damnum intulit, quamvis inferre voluerit.

2. Excusantur detractores a restitutione, cum proximus recuperavit famam graviter ab ipsis lassam, vel diminutam: ita enim cessavit damnum, & reparata est æqualitas justitiam constituens. Verum detractores tenentur restituere sumptus, si quos ad recuperandam famam proximus fecit: & ratione infamiae, quam proximus aliquandiu passus est ipsis auctoribus, tenentur restituere aliquid arbitrio viri prudentis, significatione honoris, & reverentiae, venia petitione, virtutum commendatione.

3. Excusantur, cum infamia oblitione deleta est, aut alio modo abolita, famaque recuperata. Sed in hoc opus est maxima prudentia. Si enim compertum sit, illos, quibus occultum alterius peccatum detractor olim revelavit, v.g. ingenuæ pueræ fornicationem, prava etiamnum opinione de illa imbutos esse, loqui de illa velut de muliere parum honesta, nullo fultos argumento, præterquam præjudiciis ex veteri detractione conceptis, detractor ad restitutionem omnino tenetur. Si vero compertum non habeat, quid de illa puella sentiant, & an meminerint peccati, quod olim de illa narravit, necesse non est, immo nec prudentiæ, ut ab iis peccat, an recordentur, aut ea de re cum ipsis quovis modo loquatur, ne vulnus obductum aperiatur: sed satis erit, si occasione data de illa persona honorifice loquatur, ejusque commendet honestatem.

4. Excusantur detractores , qui se mutuis maledictis , & obtrectationibus æqualiter lacerarunt , & par in utrumque redundavit infamia , & unus alteri satisfacere , famamqne ablatam restituere nolit ; tunc enim alter est liber a restitutione , *cum paria crimina compensatione mutua deleantur* (a) ; & jura illorum paria sint (b). Sed compensationi non est locus , cum inæqualis est injuria ; vel cum unus alteri damnum illatum vult resarcire (c) ; vel cum scandalum ex compensatione oriaretur ; vel cum mutuum damnum ab utraque parte nondum est illatum . Non enim licet ad habendam compensationem , contumelia illum afficere , qui te contumelia prior affecit ; aut detrahere illius famæ , qui tibi prior detraxit , ut supra dictum est. Similiter justa compensatio non censetur , si quis famam ejus , cui detraxit in uno genere , in alio augeat , ut si quem dixit fornicarium , laudet a justitia ; sic enim non deletur infamia ipsi illata . Idem dic de familiari conversatione cum eo , cùjus famæ detractum est : nam sicut creditor debitum remittere non censetur , si familiariter agat cum debitore , ita nec læsus in fama censetur detractori dimittere obligationem restituendi famam nondum recuperatam , nisi illud factis , aut verbis exprimat : agendo tamen familiariter cum detractore , censetur ipsi remittere injuriam .

5. Detractorem ab obligatione restituendi famam absolvit justa condonatio restitutionis . Hæc condonatio fieri potest ab unoquoque privato justa de causa ,

(a) C. tua fraternitas , ext. de adult.

(b) Sunt qui putant , citati C. sensum esse , mutua compensatio- ne deleri crimina , cum partes mutuo consensu expresso , vel tacito consentiunt ; ceterum cum

unus non vult famam restituere , atque adeo neque alteri reconciliari , is non propterea a lege restituendi liber evadet .

(c) Idem in hoc casu ab altero ex debito præstandum .

sa, præsertim ob bonum chariatis, & pacis, & ad patientiæ meritum. At justa non est, si vergat in damnum, aut periculum aliorum, v. g. si fama ejus, cui fuit detractum, est aliis necessaria, ut fama Prælati, Concionatoris, Doctoris, Magistratus, Principis, qui aliis prodesse non possunt, nisi sint integræ famæ. Ob eamdem rationem non est justa condonatio, si condonantis infamia redundet in alios, qualis est infamia Religiosorum, & Sanctimonialium, quæ in Monasterium, & Ordinem redundat; qualis est etiam infamia parentum, fratrum, sororum, quæ redundat in filios, fratres, & sorores, ipsisque intercludit aditum ad officia, honores, nuptias conditioni suæ convenientes; vel eos graviter suspectos reddit. Hæc igitur condonatio detraictorem a restitutione non liberat. Etsi enim cedere quisque possit juri suo, cessione tamen sua jus alienum everttere, aut prodere non potest.

Q. 18. An sit obligatio resarcendi damna ex infamia sequuta?

R. Affirmative : & quidem ad hanc restitutionem damnorum non solum tenetur ipse detraictor, qui est illorum causa; verum etiam ejus hæredes: nam licet obligatio restituendi famam, utpote personalis, ad hæredes non transeat; obligatio tamen resarcendi damna ex detractione sequuta, cum sit realis, ad illos transit cum ipsa hæreditate, sicut & alia onera realia, & debita pecuniaria. Quare si detraictor, nulla facta restitutione, moriatur, hæredes non solum ad alia damna ex infamia sequuta, sed ad ipsius famæ damnum exhibitione honoris, laudibus, vel pecunia compensandum teneri, si resarciri aliter non possit, Theologi gravissimi censem. Quod si ille, cuius fama violata est, moriatur, restitutio facienda est hæredibus, qui in ejus jura succedunt, & quorum maxime interest, ut ejus fama etiam post mortem integra sit.

§. IV.

*De exultatione in adversis proximi, & afflictione
in prosperis.*

Q. **A**N hujusmodi exultatio, & afflictio sint peccata letalalia?

R. Affirmative, si tamen motus sine deliberati, atque ex odio, vel invidia procedant, & malum proximi, de quo aliquis gaudet, grave sit. Hæc enim peccata opponuntur charitati, cuius est gaudere cum gaudientibus, & flere cum flentibus (a). Hinc ait (b) S. Gregorius: *Inimici dilectio tunc veraciter custoditur, cum nec de profectu addicimur, nec de ruina illius lætamur..... Si enim (quis) de prosperitate addicitur & de calamitate se odientis lætatur; constat, quia non amat, quem non vult esse meliorem.* Et quamvis de nostra, & proximorum erekctione ab iis, qui nobis, & aliis nocent, vel nocere conantur, & de iustitia Dei malos punientis, gaudere Christianum sit; numquam tamen gaudere licet de inimicorum nostrorum calamitate, vel interitu; illud enim charitatis est, istud odii, ac livoris. Igitur cum perversum quemque Omnipotens percutit, & condolendum est misericordie pereuntis, & congaudendum iustitiae Judicis...quatenus nec pereundi homini existamus adversarii, nec judianti Deo inveniamur ingrati. Ita S. Gregorius (c).

(a) Rom. 12. (b) Lib. Mor. 22. cap. 6. (c) Loco citato.

C A P U T V.

De Gula.

Q. 1. **Q**uid sit gula? & quot ejus species.

R. Gula est inordinatus comedendi, vel bibendi appetitus, seu immoderata in cibo, & potu delectatio. De ipsa ait Christus (*a*): Attendite autem vobis, ne forte graventur corda vestra in crapula ergo oblitate. Quinque specis gulæ assignantur, hoc versu expressæ:

Præpropere, laute, nimis, ardenter, studiose.

Præpropere est eorum, qui præveniunt debitum comedendi tempus. *Laute* denotat substantiam cibi, idest cibos pretiosos. *Nimis* denotat excessum in edendo, vel bibendo. *Ardenter* designat modum indebitum in edendo. *Studiose* pertinet ad qualitatem cibi nimis accurate præparati. Hæ conditiones non sunt meræ circumstantiæ, sed diversa motiva, seu rationes, quibus cibi, & potus concupiscentia inordinata movetur, & excitatur.

Q. 2. Quot sint filiæ gulæ?

R. S. Gregorius (*b*) quinque recenset gulæ filias, ineptam lætitiam, scurrilitatem, immunditiam, multiloquium, & mentis hebetudinem.

Inepta lætitia est, quæ capitur ex rebus, quæ nullam delectationem parere possunt, si recta ratio consulatur: vel si aliquam afferre possunt, in illam quis effunditur dissoluto penitus animo, hoc est, ratione veluti sopita per cibi, & potus immoderationem. Illam oriri ex gula, ostendunt verba Exodi 32. *Sedit populus manducare, & bibere, & surrexerunt ludere.* Ad ipsam pertinet jocandi genus illibrale, petulans, flagitosum, obscenum, non quis

Iudi

(*a*) Luc. 21., (*b*) Lib. 31. Mat. 15. 17.

Iudi causa utitur verbis , seu factis turpibus , aut
vergentibus in nocumentum proximi . Ad eam quoque spectant vanitas histriorum , larvatorum , thymeliorum , seu hominum alias ad voluptatem parum ingenuam cantu , vel gestis provocantium : insuper choreæ dissolutæ , tripudia , & motus omnes lascivi , & indecori , qui intemperantis hilaritatis signa sunt , vel incitamenta . Notetur hic monitum S. Basili (a) : *Si ob fortuitos casus tantum periculum impendet obiter consipientibus , quantum futurum est ob occursus qui de industria sunt , ut videant mulieres præ ebrietate se indecore gerentes , suosque gestus componentes ad lasciviam , & cantilenas molles canentes , quæ vel auditæ solum , omnem voluptatis æstum lascivientibus inserere possunt ?*

Scurrilitas est immoderatio in jocis , & facetiis , aut in studio commovendi aliis risum . Plerumque est peccatum veniale , cum personarum quidem decor in jocis non servatur , sed abest scandalum , & prava intentio : quandoque est mortale ratione objecti , si jocus redundet in gravem Dei , Sanctorum , Religionis , vel proximorum injuriam , aut obscenus sit , & ad libinem provocans . Hinc Apostolus (b) scurrilitatem numerat inter ea , quæ in nobis nec nominanda sunt . Sacrilega scurrilitas est abuti verbis , & sententiis S. Scripturæ , aut Officiorum Ecclesiasticorum ad scurrilia , fabulosa , vana &c. in eamque irreverentiam , & contemptum incurentes , tanquam temeratores , & violatores verbi Dei , juris , & arbitrii pœnis per Episcopos coerceri jubet Tridentina (c) Synodus .

Immunditiæ nomine intelligitur impuritas omnis verborum , & factorum , ut est illa , qua per vomitum , vel pollutionem etiam in somno ex intempe-

ran-

(a) Hom. 14. in Ebriosos num. 8. (b) Ephes. 5.

(c) Sess. 4.

rantia consequuntam, corpus, & anima helluonum, & potatorum contaminatur. Nam, ut inquit (*a*) Tertullianus, *comites gulæ, libido, atque luxuria.*

Multiloquium, sive garrulitas effrenis, est plerumque peccatum veniale: sed aliquando est mortale, si nempe sit in Dei, aut proximi injuriam, quod exhilaratis nimio cibo, aut potu, saepe evenit; hi namque ad contumelias, & detractiones faciles sunt; de divinis temere loquuntur; arcana sibi commissa revelant, quia ut dicitur Prov. 31. *Nullum secretum est, ubi regnat ebrietas.* Hinc de multiloquio habetur Prov. 10. *In multiloquio non deerit peccatum: qui autem moderatur labia sua, prudentissimus est.*

Habetudo sensus, seu mentis, est gulæ filia; quia crapula, & ebrietas ita mentem obtundunt, ut homo ineptus fiat ad veri contemplationem, & ad actiones omnes, quæ ab ingenio, ratione, & prudentia magis pendent; Deique etiam obliviscatur, juxta illud Oseæ 4. *Fornicatio, & vinum, & ebrietas auferunt cor.* Habetudo sensus nedum est poena peccati, sed & peccatum, quatenus est voluntaria, ut in iis, qui scientes, advertentes, & ad advertendum obligati, in eam incurrint. Quod quidem lethale est, cum quis ex affectu ad terrena fastidit, ac neglit spiritualium considerationem eo tempore, quo ad id sub gravi tenetur: vel cum ex nimio cibo, & potu fit ineptus ad exequenda, ut par est, officia seu civilia, seu religiosa, quæ implere tenetur.

Q. 3. Quæ sint remedia adversus gulam?

R. Præcipua sunt, 1. jejunium, sobrietas, temperantia; ac temperantiae quidem regula traditur Eccles. 31. quæ sedulo perpendenda est. 2. meditatio cruciatuum divitius epulonis. 3. consideratio verborum Apostoli (*b*): *Sive manducatis, sive bibitis, sive*

(*a*) Lib. 2. con. Marcion. c. 18.

(*b*) 1. Cor. 10.

sive aliquid facitis : omnia in gloriam Dei facite : quod præceptum implemus , cum modeste , frugali-
ter , & te eranter manducamus , & bibimus cum
gratiarum ^{one}, ut explicat (a) S. Augustinus . Si
vero , subdi. (b) , modum naturæ debitum immo-
deratione voracitatis excedas , & vinolentia te ingurgi-
tes ; quantaslibet laudes Dei lingua tua sonet , vita
blasphemat . 4. Exemplum primorum Christianorum ,
de quorum conviviis hæc scribit (c) Tertullianus :
 „ Quantiscumque sumptibus (cena) constet , lu-
 „ crum est , pietatis nomine facere sumptum . Si-
 „ quidem inopes quoque refrigerio isto juvamus . . .
 „ Non prius discumbitur , quam oratio ad Deum
 „ prægustetur . Editur quantum esurientes cupiunt :
 „ bibilitur quantum pudicis est utile . Ita saturantur ,
 „ ut qui meminerint etiam post noctem adorandum
 „ Deum sibi esse : ita fabulantur , ut qui sciant Domini-
 „ num audire . . . Æque oratio covivium dirimit . In-
 „ de disceditur . . . ut qui non tam cœnam cœnave-
 „ rent , quam disciplinam . . . 5. Meditatio novissimo-
 rum , & Passionis Christi : quam regulam tradit S. Joa-
 nes Climacus (d) : Ubi , ait , ad cibum capiendum ac-
 cubueris , tibi in mentem mortis , & judicii recordatio ve-
 niat : hoc pacto intemperantiam coercere poteris . Ubi
 poculum bibiliturus acceperis , memineris acetum , & fel
 Jesu Christo oblatum ; atque ita sobrietatis limitem non
 transflies : vel certe majori humilitatis , & modestiae sen-
 su concepto in altiora suspiria prorumpes . Denique no-
 tanda est regula Christianæ temperantiae , quam tra-
 dit S. Augustinus (e) his verbis : „ Non interest om-
 „ nino quid alimentorum sumas , ut succurras ne-
 „ cessitati corporis , dummodo congruas in generi-
 „ bus alimentorum his , cum quibus tibi vivendum
 „ est .

(a) In Psal. 146. n 2. (b) Idid. (c) Apolog. c. 39.

(d) Scalæ Alistic gradu 14. (e) Lib. 2. quæst. Evang. qu. xi.

„ est. Neque quantum sumas multum interest ; cum
 „ videamus aliorum stomachum citius satiari , & eos
 „ tamen illi ipsi parvo , quo satiantur , ardenter
 „ & intolerabiliter , & omnino turpiter inhiare :
 „ alios autem plusculo quidem satiari , sed tolerabi-
 „ lius inopiam perpeti , & vel ante ora positas epu-
 „ las , si id in tempore , aut opus sit , aut necesse
 „ sit , cum tranquillitate adspicere , neque tangere .
 „ Magis ergo interest , non quid , vel quantum ali-
 „ mentorum pro congruentia hominum , atque per-
 „ sonæ suæ , & pro suæ valetudinis necessitate quis
 „ capiat ; sed quanta facilitate , atque serenitate a-
 „ nimi careat , cum his vel oportet , vel etiam ne-
 „ cesse est carere . “

Q. 4. An gula sit peccatum lethale?

*R. Gula est peccatum lethale , cum tanta est inor-
 dinatio appetitus comedendi , vel bibendi , ut homi-
 nem a fine ultimo avertat ; cum scilicet homo pa-
 ratus est Dei , vel Ecclesiæ præcepta violare propter
 gulæ delectationes : alias est veniale (a) . Hoc pec-
 catum opponitur triplici præcepto Decalogi ; reduc-
 tive quidem opponitur tertio de sanctificatione Sab-
 bati , quo præcipitur quies in fine ultimo (b) . Oppo-
 nitur etiam quinto præcepto de non occidendo , quia
 gula valetudinem plerumque laedit , vitamque con-
 trahit ; rixas item sæpe suscitat ebrietas , e quibus
 deinde sequuntur vulnera , & cædes . Denique oppo-
 nitur sexto præcepto : unde ait (c) Apostolus : No-
 lite inebriari vino , in quo est luxuria .*

Hinc sequitur , lethaliter peccare illos , qui jeju-
 nium ab Ecclesia præceptum violant , sive carnes ,
 aut alios cibos vetitos comedendo , sive duplē refectionem sumendo , sive refectionis horam Eccle-
 siæ præcepto , vel consuetudine constitutam diebus
 jejunii , notabiliter anticipando , abque justa causa ;

Tom. III.

N

hi

(a) S. Thom. 2. 2. q. 148. a. 2.

(c) Ephes. 5.

(b) Ibid. ad 1.

hi siquidem non solum recusant moderari gulam, sed remedium spernunt ad eam coercendam a Deo institutum, & ab Ecclesia præceptum lethale?

Q. 5. An ebrietas sit peccatum lethale?

R. Si quis vim potus cognoscens, & ultra modum bibens inebriatur, absque dubio peccat mortaliter: nam Prov. 23. *ve* dicitur temulentis, & ebriis. Porro, ut docet S. Thomas (*a*), *culpa ebrietatis consistit in immoderato usu, & concupiscentia vini.* Hoc autem contingit esse tripliciter. Uno modo *sic*, quod ne-*sciat*, *potum esse immoderatum, & inebriare potentem.* Et *sic* ebrietas *poteſt esse sine peccato*: præcipue si ex negligentia hominis non contingat; qualis fuit ebrietas Noe. Alio modo *sic*, quod *aliquis percipiat, potum esse immoderatum, non tamen estimet potum inebriare potentem: & sic ebrietas potest esse cum peccato veniali.* Tertio modo *poteſt esse*, quod *aliquis bene adverat, potum esse immoderatum, & inebriantem, & tamen magis vult ebrietatem incurrere, quam a potu abſtinere ... Et sic ebrietas est peccatum mortale;* quia secundum hoc homo volens, & sciens privat se usu rationis, quo secundum virtutem operatur, & peccata declinat: *& sic peccat mortaliter, periculo peccati se committens.*

Q. 6. An omnis ebrietas sit ejusdem gravitatis?

R. Ebrietas si frequens sit, & assidua, est peccatum gravius ea, in quam semel quis incurrit; imo ebriosi homines non sunt absolvendi, nisi cum mala ebrietatis consuetudine viriliter pugnant; alias non constat de sincera eorum pœnitentia. Hanc fuisse disciplinam Gallicanæ, & Germanicæ Ecclesiæ constat ex Concilio Moguntiaco (*b*) anni 813. ex Ivone Carnotensi (*c*), aliisque.

Gravius item peccatum est Clericorum, quam laicorum ebrietas: tum quia Clerici mente devota

de-

(*a*) 2. 2. q. 150. ar. 2. (*b*) Can. 46. (*c*) P. 33. c. 70.

debent spiritualibus officiis insistere (a); tum quia Sacerdotes, iisque præsertim, qui animarum gerunt curam, per ebrietatem impotentes, & incapaces sunt ad sacra munia obeunda, & periculo se exponunt non conficiendi Sacraenta, si in eo statu ministrent; tum tandem ob scandalum majus.

Turpius etiam, & gravius peccatum est ebrietas in Principibus, Magistratibus, senibus, & mulieribus. De his postremis constat, quia ut docet Sanctus Thomas (b), sobrietas maxime requiritur in juvenibus, & mulieribus. Nam in juvenibus viget concupiscentia delectabilis, propter fervorem ætatis: in mulieribus autem non est sufficiens robur mentis ad hoc, quod concupiscentiis resistant. De senibus pariter constat, quia in eis ratio debet vigere ad aliorum eruditionem. De regibus derique, sive de Principibus, & Magistratibus idem patet, quia per sapientiam debent populum subditum gubernare (c).

Q. 7. An gula possit esse peccatum lethale, etiamsi quis propter excessum cibi, vel potus, usu rationis non excidat?

R. Ut gula sit peccatum mortale, satis est, quod quis sciens, & volens modum in cibo, & potu plurimum excedat. Non enim ebriosis tantum, sed iis etiam, qui comedationibus, & compotationibus vacant, dicitur Isa. 5. *Væ, qui potentes estis ad bibendum vinum.* Et Luc. 6. *Væ vobis, qui saturati estis, quia esuriets.* Sunt autem potentes ad bibendum, & saturari amant, qui modum in cibo, & potu scientes, & volentes plurimum excedunt.

Multo magis lethaliter peccant, qui usque ad vomitum cibo, & potu se ingurgitant; ideoque merito confixa est ab Academiis celeberrimis hæc propositio: *Non nisi veniale est, etiam absque utilitate, cibo,*

cibo, & potu usque ad vomitum se ingurgitare; nisi ex hujusmodi vomitibus gravia valetudini incommoda oriantur. Utique licet ex Medicorum consilio multum comedere, vel bibere ad vomitum provocandum, ut docet S. Thomas (*a*); quia tunc non est reputandus superfluus cibus, vel potus, qui moderandus est juxta quod congruit valetudini corporis. At vero, ut idem Sanctus Doctor ostendit (*b*), nec ad vomitum provocandum requiritur, quod sit potus inebrians; quia etiam potus aquæ rapidæ vomitum causat: & ideo propter hanc causam non excusaretur alius ab ebrietate.

Q. 8. An licet alios cogere ad æquales potus?

R. Qui in compotationibus, & conviviis bibunt, & alios bibere cogunt ad æquales potus, lethaliter peccant, sive incident in ebrietatem, sive illius dumtaxat periculo se, vel alios exponant. De his ait S. Cæsarius (*c*): *Qui alterum cogit, ut se, plusquam opus est bibendo, inebriet; minus malum ei erat, si carnem ejus vulneraret gladio, quam animam ejus per ebrietatem occideret.* De Clericis autem hujus peccati reis Innocentius III. ita statuit (*d*): *Illum abusum penitus decernimus abolendum, quo in quibusdam partibus ad potus æquales suo modo se obligant potatores: & ille judicio talium plus laudatur, qui plures inebriat, & calices fecundiores exhaustur. Si quis autem super his se culpabilem exhibuerit, nisi a Superiori commonitus satisfecerit, ab officio, vel beneficio suspendatur.*

Porro inquit (*e*) S. Thomas „ sicut ille, qui inebrietur, excusatur a peccato, si ignorat fortitudinem vini; ita etiam ille, qui invitat aliquem ad bibendum (*amicè quidem, non illum cogendo*) „ excu-

(*a*) 2. 2. q. 150. ar. 2. ad 3. (*b*) Ibid. (*c*) Serm. 90. al. in-
ter Augustinian. de Temp. 231. nunc in Append. 294. n. 1.
(*d*) C. a crapula, ext. de vita, & honestate Clericorum,
(*e*) 2. 2. q. 150. art. 1. ad 3.

„ excusatur a peccato, si ignoret, talem esse conditionem bibentis, ut ex hoc potu inebrietur.
 „ Sed si ignorantia desit, neuter a peccato excusat. “

Q. 9. An liceat Judici reum inebriare, ut ab eo confessionem eliciat?

R. Negative. Ebrietas enim est per se peccatum mortale, ut constat ex supra dictis. Et quidem cum Judici non liceat uti mediis a jure improbatis ad veritatem a reo extorquendam (*a*), nec ei licet ob eam causam procurare ebrietatem rei, etiamsi agatur de publico bono; maxime quia criminis, & conciorum revelatio ab ebrio facta, non esset juridica: (*b*) & ejus confessio multis forte noxia foret, qui criminis consciī non essent (*c*).

Q. 10. An saltem liceat Medico inebriare ægrotum ad curandam ejus infirmitatem?

R. Cajetanus, quem nonnulli sequuti sunt, scripsit, licere Medico sanitatis causa ægrotum inebriare. Sed Cajetanus audiendus non est. Cum enim Apostolus (*d*) ebrietatem enumeraret inter *opera carnis*, quæ qui agunt, *Regnum Dei* non consequentur, non secus, ac fornicationem: quemadmodum non licet aliquem provocare ad fornicationem, etiam nescientem præ ebrietate, ut inde ejus sanitas, vel publica salus procuretur; ita nec aliquem inebriare, ut sanitatem recuperet (*e*).

Q. 11. An ebrietas excusat a peccatis ex ea consequitis?

R. „ In ebrietate (*inquit (f) S. Thomas*) duo at-
 „ tenduntur, scilicet defectus consequens, & actus
 „ præcedens. Ex parte autem defectus consequen-
 „ tis, in quo ligatur usus rationis, ebrietas habet

(*a*) Collig. ex Can. consuliūisti, cauf. 2. q. 5.

(*b*) Collig. ex Can. inebriaverunt, cauf. 15. q. 1.

(*c*) Natalis Epist. 90. (*d*) Galat. 5. (*e*) Natalis Epist. cit.

(*f*) 2. 2. q. 156. art. 4.

„ excusare a peccato, inquantum causat involunta-
 „ rium per ignorantiam. Sed ex parte actus præce-
 „ dentis videtur esse distinguendum; quia si ex actu
 „ illo præcedente subsequuta est ebrietas sine pec-
 „ cato, tunc peccatum sequens totaliter excusat a
 „ culpa, sicut forte accidit de Loth. Si autem a-
 „ ctus præcedens fuit culpabili, sic non totaliter a-
 „ liquis excusat a peccato sequenti, quod scilicet
 „ redditur voluntarium ex voluntate præcedentis a-
 „ ctus, inquantum scilicet aliquis dans operam rei
 „ illicitæ, incidit in sequens peccatum. Diminuitur
 „ tamen peccatum sequens, sicut & diminuitur ra-
 „ tio voluntarii &c. „ Si ergo ebrietas directe vo-
 „ luntaria sit, & volita, non solum non excusat a
 „ peccatis ex ea consequutis, perfecte prævisis, sed
 „ eorum auget gravitatem: licet peccatum diminuat,
 „ si ebrietas est indirecte voluntaria.

Q. 12. An sit peccatum, comedere, & bibere usque ad satietatem, ob solam voluptatem?

R. Affirmative: & opposita propositio damnata fuit ab Innocentio XI. quæ talis erat: Comedere, & bibere usque ad satietatem, ob solam voluptatem, non est peccatum, modo non ob sit valetudini: quia licite potest appetitus naturalis suis actibus frui. Nam, ut docet (a) S. Augustinus: „ Cum natura quodam modo poscit supplementa, quæ desunt, non vocatur libido, sed fames, aut sitis: cum vero suppleta necessitate, amor edendi animum sollicitat, jam libido est, jam malum est, cui cedendum non est, sed resistendum.“ Et alibi (b): Hoc me docuisti, inquit, ut quemadmodum medicamenta, sic alimenta sumpturus accedam. Jam vero explicans fictiones deceptricis voluptatis (c), „ Cum, inquit, ad usum

(a) L. 4. adversus Julianum, c. 14. n. 67.

(b) L. 10. Confess. c. 31. (c) C. 14. cit. n. 70.

„ usum ventum fuerit necessariæ voluptatis , per
 „ quam reficimus corpora , quis verbis explicet ,
 „ quemadmodum nos modum necessitatis sentire
 „ non sinat , & ipsum limitem procurandæ salutis ,
 „ in quæque , si adsunt delectabilia rapiendo , ab-
 „ scondat , & transeat , putantibus nobis satis non
 „ esse , quod satis est , dum libenter ejus provocata-
 „ tionibus ducimur , existimantes nos adhuc agere
 „ negotium valetudinis , cum agamus potius crude-
 „ litatis?... Ita nescit cupiditas , ubi finitur neces-
 „ sitas . “

Animadvertisendum est autem ex S. Thoma (a) , quod si aliquid excedat in quantitate cibi , non propter concupiscentiam cibi , sed aestimans , id sibi necessarium esse , non pertinet hoc ad gulam , sed ad aliquam impenitiam . Sed hoc solum pertinet ad gulam , quod aliquis propter concupiscentiam cibi delectabilis scienter excedat mensuram in edendo .

Ex quibus infertur , gulæ reos esse , qui delicatioribus cibis corporis nutrimenta ob voluptatem . Dicitur enim Proverb. 29. *Qui delicate a pueritia nutrit servum suum , postea sentiet eum contumacem .* Si qui tamen ob delicatiorem corporis constitutionem , ob stomachi debilitatem , & fastidia , ob infirmitatem , cibis delicatis utuntur , vilioribus , crassioribus , & male paratis absoniis rejectis , non peccant . Neque enim cibus , sed appetitus in vitio est , inquit (b) S. Gregorius .

(a) 2. 2. q. 148. 2. 1. ad 2. (b) Lib. 30. Mor. c. 13.

C A P U T VI.

De Ira.

A R T I C U L U S I.

De Ira secundum se.

Q. 1. **Q**uid sit ira?

R. Ira est ultiōis libido, sive immoderatus animi motus, quo quis injustam, & indebitam ultiōem sumit, vel expetit ab eo, a quo vel re ipsa lœsus est, vel se lœsum arbitratur. Pro quo notandum ex D. Thoma (*a*), iram, quæ motus est appetitus sentientis, malam non esse secundum se, sed solum ut excludit ordinem rationis. Hic autem ordo attendi potest, 1. quoad rem, in quam tendit, quæ est vindicta. Unde si quis appetat vindictam secundum ordinem rationis, motus iræ est laudabilis, nisi sit immoderatus; & dicitur *ira per zelum*. Si vero vindictam expetat contra ordinem rationis, v. g. si puniri expetat immerentem, vel ultra meritum, vel non servato juris ordine; motus iræ vitiosus est, & vocatur *ira per vitium*. 2. ordo rationis circa iram attenditur quoad modum irascendi, ut scilicet motus iræ non immoderate fervescat, nec interius, nec exterius. Quod quidem si prætermittatur, non erit ira absque peccato, etiam si aliquis appetat justam vindictam. Ira ergo per vitium semper mala est, ira vero per zelum est mala, cum quis debitum irascendi modum prætergreditur.

Q. 2. Quam turpe sit iræ vitium?

R. Turpitudo iræ ostenditur, 1. quia iracundus homo, & ultiōis appetens, usurpat jura Dei, qui ait (*b*): *Mea est ultiō, & ego retribuam in tempore.*

2. Quia

(*a*) 2. 2. q. 158. a. 1. & 2.

(*b*) Deuter. 42.

2. Quia ira plurimum nocet ipsi iracundo, & spirituales oculos excœcat. Job. 17. *Caligavit ab indignatione oculus meus.* Nocet valetudini, & vitam contrahit. Eccl. 30. *Zelus, & iracundia minunt dies.* 3. Ira misericordiam extinguit. Prov. 27. *Ira non habet misericordiam.* 4. Nocet proximo, ut testantur rixæ, contumeliae, bella, duella, homicidia, lites &c. Unde dicitur Prov. 18. *Spiritum ad irascendum facilem quis poterit sustinere?* 5. Quia Christus discipulos suos maxime alienos esse voluit ab ira, cum inquit (*a*): *Discite a me, quia mitis sum, & humilis corde.*

Q. 3. An ira sit peccatum lethale?

R. Ira ex parte appetibilis, quoties cum injustæ vindictæ appetitu deliberato conjungitur, lethale ex genere suo peccatum est: ita enim adversatur charitati, & justitiæ (*b*). Motus tamen repentinus iræ, vel deliberatus quidem, sed conjunctus cum levioris vindictæ appetitu, veniale dumtaxat peccatum est (*c*). Si autem motus iræ sit inordinatus solum ex parte modi irascendi, ut si quis nimis ardenter irascatur, sive interius, sive exterius, non est ex genere suo peccatum mortale; potest tamen contingere, ut sit mortale, si nempe ex vehementi ira excidat quis a dilectione Dei, vel proximi (*d*).

Ex qua doctrina sequitur 1. tres gradus iræ a Christo assignatos Matth. 5. lethalia esse peccata. Nam primus gradus est ira cum deliberato gravis ultiionis appetitu animo concepta, & in odium degenerans; & exprimitur illis verbis: *Omnis qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio.* Alter gradus est manifestatio hujusmodi iræ per exteriora signa, etiam antequam prorumpat in effectum; & significatur his verbis: *Qui dixerit fratri suo, raca: reus erit concilio.*

Est

(*a*) Matth. xi.

(*c*) Ibid. (*d*) Ibid.

(*b*) S. Them. 2. 2. qu. 158. a. 3.

Est autem *raca* interjectio indignantis, gravem significans comminantis ultionem animo expetitam. Tertius gradus est actualis vindicta, & designatur illis verbis: *Qui autem dixerit, fatue: reus erit gehennæ ignis.* Singulos hos gradus condemnandos Christus docet; sed primum damnatione minus gravi, alterum graviori, tertium gravissima: quod tribunalium diversitate designat. Videatur S. Augustinus *l. 1. de Serm. Domini in monte*, c. 9.

Sequitur 2. iram inveteratam esse peccatum lethale: nam ut docet (*a*) idem S. Augustinus, *Ira inveterata si facta est, jam odium dicitur... Inveterantur ire in cordibus vestris, fiunt tot odia, tot trabes, tot scorpii, tot serpentes.* Sciendum tamen ex S. Gregorio (*b*), quod nonnullos ira citius accedit, facilius deserit. Nonnullos vero tarde quidem commovet, sed diutius tenet... Alii autem, quod est nequius, & citius iracundiæ flamas accipiunt, & tardius deponunt. Nonnulli vero hanc & tarde suscipiunt, & citius amittunt.^c Ex his quatuor modis, ad tranquillitatis bonum ultimus plus quam primus appropinquat, & in malo secundum tertius superat. Iniquiores ergo sunt, qui citius irascuntur, & iram tardius deponunt.

Sequitur 3. vindictam, ejusque libidinem semper esse malas, proindeque inimicos ulcisci numquam licere. Ait enim Christus (*c*): *Diligite inimicos vestros &c. Quod tamen non est intelligendum de vindicta, quæ fit auctoritate legitima ad correctionem peccantis, ad gloriam Dei, ad aliorum utilitatem. Hæc enim illicita non est, nec eam apud Judices urgere Christianus prohibetur, modo id faciat ob finem charitatis, non animo ultionis.* Nam licet

tene-

(*a*) *Serm. 58. al. 42. inter Hom. 50. cap. 7.*

(*b*) *L. 5. Mor. c. 30.*

(*c*) *Matth. 5.*

renemur habere animum paratum ad contumelias tolerandas, si expediens fuerit; quandoque tamen oportet, ut contumeliam illatam repellamus, maxime propter duo. Primo quidem propter bonum ejus, qui contumeliam infert, ut videlicet ejus audacia reprimatur, & de cetero talia non attinet ... Alio modo propter bonum multorum, quorum profectus impeditur propter contumelias nobis illatas (a).

Sequitur 4. iram ita vehementem, ut in Dei prorumpat injuriam, aut charitatem erga proximum in animo extinguat, vel grave scandalum afferat, lethale peccatum esse; tametsi nullum vindictæ appetitum contineat, ut si quis iratus in blasphemiam Dei, vel gravem injuriam proximi dilabatur (b).

Sequitur 5. iram per zelum esse peccatum, si sit immoderata. Peccabis, ait (c) S. Bernardus, non minus nimis irascendo, quam omnino non irascendo. Si quidem non irasci, ubi irascendum sit, nolle emendare peccatum est: plus vero irasci, quam irascendum sit, peccatum peccato addere est. Multo tamen melius est nec juste cuique irasci, quam juste irascendo, in odium alicujus occulta iræ facilitate dilabi, ut auctor est Augustinus (d).

Etsi vero in quolibet Christiano ira peccatum sit, est tamen gravius in Sacerdotibus, quibus præcipue dictum est: *Discite a me, quia mitis sum, & humilis corde.* Sunt enim Ministri novæ Legis, quæ Lex est amoris. Sacerdotes ergo non debent peccatores exacerbare, aut a se repellere, vel agresti, ac fera severitate in desperationem compellere; sed benigne illis compati, juxta monitum Apostoli (e): *Argue, obsecra, increpa in omni patientia, & doctrina;* eoque ad legis observantiam suaviter trahere. Id

Apo-

(a) S. Thom. 2. 2. qu. 73. a. 3. (b) Idem ibid. q. 158. a. 3.

(c) Epist. 69. (d) Epist. 38. al. 149. (e) 2. Tim. 4.

Apostolus (*a*) expressius tradit, cum Episcopum non percussorem, non iracundum, sed benignum esse oportere docet. Ex qua quidem sententia colligere debent Prælati, se disciplinam lenitate, & clementia temperare semper debere, ne in punitione culparum ira subrepat. Ita enim fiet, quod S. Gregorius (*b*) admonet, ut dum se in arce regiminis justitia, clementiaque permiscet, is qui præfet, corda subditorum & terrendo demulceat, & tamen ad terroris reverentiam demulcendo constringat.

ARTICULUS II.

De filiabus Iræ.

SEX sunt filiae iræ, rixa, tumor mentis, contumelia, clamor, indignatio, blasphemia.

§. I.

De rixa, & mentis tumore.

Q. I. **U**id sit rixa? & quale peccatum?
R. Rixa privatum bellum est, inordinata voluntate ab hominibus ira accensis temere susceptum, seu, contradic̄tio usque ad facta perveniens, dum unus alterum ledere molitur (*c*). Rixa differt a contentione, quod hæc in verbis, illa in factis contradic̄tionem quamdam importat (*d*).

Ex D. Thoma (*e*), Rixa semper importat peccatum. Et in eo quidem, qui alterum invadit inuste, est peccatum mortale. Inferre enim nocumentum proximo etiam opere manuali, non est absque mortali peccato. In eo autem, qui se defendit, potest esse sine peccato, & quandoque

, cum

(*a*) 1. Tim. 3: (*b*) P. 2. Pastor. cap. 6.

(*c*) S. Thom. 2. 2. q. 41. a. 1. & 2. (*d*) Ibid. art. 1.

(*e*) Ibid.

„ cum peccato veniali , & quandoque cum peccato
 „ mortali , secundum diversum motum animi ejus ,
 „ & diversum modum se defendendi . Nam si folo
 „ animo repellendi injuriam illatam , & cum debi
 „ ta moderatione se defendat , non est peccatum
 „ nec proprie potest dici rixa ex parte ejus . Si ve
 „ ro cum animo vindictæ , vel odii , vel cum ex
 „ cessu debitæ moderationis se defendat , semper est
 „ peccatum : sed veniale quidem , quando aliquis
 „ levis motus odii , vel vindictæ se immiscet , vel
 „ cum non multum excedit moderatam defensio
 „ nem . Mortale autem , quando obfirmato animo
 „ in impugnantem insurgit ad eum occidendum ,
 „ vel graviter lædendum . “

Ex quibus infertur cum (a) eodem S. Doctore ,
 quod si ministri Principis , aut Judicis publica potesta
 te aliquos invadant , qui se defendant , non dicuntur ipse
 rixari , sed illi , qui publice potestati essent : & sic
 illi , qui invadunt , non rixantur ; sed illi , qui se inor
 dinate defendant .

*Q. 2. Quid sit tumor mentis? & an lethale pec
 catum?*

*R. Tumor mentis est æfus quidam excandescens
 animi , & varia media excogitantis , quibus ultionis
 libidinem explere valeat . Est lethale peccatum , cum
 homo iratus gravem , & injustam vindictam proxí
 mo , a quo lœsus est , inferre meditatur . Nam ejus
 gravitas petitur ex qualitate ultionis , cum hic tu
 mor mentis non pro superbia , sed pro quodam co
 natu , sive audacia hominis intentantis vindictam ,
 accipiatur .*

(a) Ibid. ad 3.

§. II.

De Contumelia.

Q. I. **Q**uid sit contumelia? & quomodo differat a convitio, & impropositio?

R. Contumelia est honoris violatio alteri facta per verba injuriosa, ipso presente, & audiente prolatæ. Differt a convitio, & impropositio; quia contumelia est, cum objicitur defectus culpæ, ut si quis dicat, aliquem esse furem: convitium est, cum objiciuntur generaliter defectus culpæ, & paenæ in detrimentum honoris alterius, ut si injurioso dicatur aliquis esse cœcus: impropositum est, cum objicitur defectus minorationis; quod tunc proprie est, cum quis injurioso alteri in memoriam revocat auxilium, quod ipsi præstítit necessitatem patienti. Aliquando tamen contumelia, convitium, & impropositum promiscue usurpantur (a).

R. Ex S. Thoma (b), In peccatis verborum maxime considerandum videtur, ex quo affectu aliquis verba proferat. Cum ergo convitium, seu contumelia de sui ratione importet quamdam dehonorationem; si intentio proferentis ad hoc feratur, ut aliquis per verba quæ profert, honorem alterius auferat, hoc proprie, & per se est dicere convitium, vel contumeliam, & hoc est peccatum mortale non minus, quam furtum, vel rapina. Non enim homo minus amat suum honorem, quam rem possessam. Si vero aliquis verbum convitii, vel contumelie alteri dixerit, non tamen animo dehonorandi, sed forte propter correctionem, vel

„ pro-

(a) Vide S. Thom. i. 2. qu. 72. a. 2. ad 3.

(b) Art. cit.

„ propter aliquid hujusmodi . . . , hoc potest esse „ quandoque peccatum veniale, quandoque autem „ absque omni peccato. In quo tamen necessaria est „ discretio, ut moderate homo talibus verbis uta- „ tur, quia posset esse ita grave convitium, quod „ per incautelam prolatum, auferat honorem ejus, „ contra quem proferretur; & tunc posset homo „ peccare mortaliter, etiamsi non intenderet deho- „ norationem alterius “. Contumelia igitur, vel convitium est peccatum lethale, si animo dedecorandi proximum proferatur; aut si tam grave sit convitium, ut spectatis conditione personarum, & circumstantiis, honorem reipsa plurimum lædat, quamvis eo fine verba non sint prolatata. Est autem peccatum veniale, & quandoque nullum peccatum, si verba convitii, aut contumeliae dicantur absque animo lædendi, ex levitate, vel ex joco, vel causa correctionis; modo tamen secundum se, aut spectatis qualitate personarum, & circumstantiis levia sint, vel censeantur; vel ex surreptione sint prolatata.

Dixi, spectatis qualitate personarum, & circumstantiis, quia si contumeliae absolute leves, sint graves respectu personarum, quibus objiciuntur; aut si convitiator noverit, proximum ex illis graviter contristandum, vel grave damnum passurum; aut si convitiator intendat grave dedecus proximo inurere illis verbis; lethalis peccati reus est. Contra vero si contumeliae absolute graves, hujusmodi non censemantur, spectata vili conditione personarum, & patrolo loquendi more, peccatum censetur veniale. Hinc viri, & mulieres infimæ fortis, dum se lacescant certis convitiis apud plebejos usitatis, mortaliter non peccant, quia nec talibus convitiis fides adhibetur, nec illis injuriis hujusmodi personarum honor graviter læditur. Sic etiam verba quædam in aliquibus regionibus graves contumeliae sunt, in aliis leves, aut nulla.

Q. 3. Ad quid contumeliosi teneantur?

R. Contumeliosi tenentur ad restitutionem honoris, quo meliori, & convenientiori modo fieri potest; quia contumelia iustitiam violat. Si quis ergo alterum inhonoravit ex ignorantia, restitutio fieri debet ignorantiae confessione. Si ex ira, odio, aut alia perversa voluntate, distinguendum est: nam vel personae inhonoratae non sunt subditæ convitiatori; & tunc restitutio fiet veniae petitione, aut exhibitione honoris convenientis arbitrio prudentum: vel sunt subditæ; & tunc neesse non est, ut convitiator ab eis veniam petat, sed eligendæ sunt aliæ rationes honoris restituendi: ne, ut ait (*a*) Sanctus Augustinus, *dum nimia servatur humilitas, regendi frangatur auctoritas*. Resarciri etiam debent omnia damna ex contumelia, vel convitio sequuta.

Q. 4. An liceat contumelias repellere?

R. Contumelias contumeliis repellere numquam licet. Ait enim (*b*) Christus: *Benedicite maledicentibus vobis*. Unde a mortali non excusat, qui ab alio provocatus verbis contumeliosis, ipsum lacefuit. Idem esto judicium, si aliquis hoc animo taceret, ut tacendo contumeliantem ad iracundiam provocaret, quia hoc pertineret ad vindictam: sed si aliquis taceat, volens dare locum ire, hoc est laudabile (*c*).

Duo sunt casus, in quibus debet homo contumelias illatas quandoque repellere verbis, & justis verbis, aut scriptis, vel etiam actione injuriarum, scilicet, ne impediatur aliorum profectus, & ut reprimatur contumeliatoris audacia: sed tamen animo paratus quisque debet esse ad contumelias patienter

(*a*) Epist. 22. al. 109. (*b*) Luc. 6.

(*c*) S. Thom. 2. 2. qu. 72. a. 3. ad 3.

ter ferendas, si expediens fuerit (a). Addit S. Thomas (b) : *Audaciam convictiantis contumeliosi, debet aliquis moderate reprimere, scilicet propter officium charitatis, non propter cupiditatem privati honoris.*

§. III.

De Indignatione, Clamore, & Blasphemia,

Q. 1. **A**N indignatio sit peccatum lethale?

R. Indignatio, quæ est commotio animi, qua quis eum, a quo lœsus est, vel se lœsum putat, indignum estimat, a quo talia patiatur; ideoque nec sua familiaritate, nec colloquio eum dignatur; est peccatum lethale, si contineat gravem proximi contemptum; vel grave pusillis scandalum afferat; vel si quis a sua familiaritate, & colloquio eum velut indignum arceat, in iis casibus, in quibus sub peccato mortali cum eo familiariter versari, & colloqui tenetur; vel tandem si ita sit affectus, ut eum in gravi necessitate corporis, aut animi constitutum juvare nolle. Hi namque motus charitati, & mansuetudini Christianæ opponuntur. De silentio, quod aliquando ab ira imperatur, ita scribit S. Gregorius (c) : „ Nonnumquam hæc silentii severitas per disciplinæ dispensationem geritur: si tamen follicite in intimis discretionis forma teneatur. „ Nonnumquam vero dum accensus animus a consueta locutione restringitur, per accessum temporis penitus a proximi dilectione separatur, & acriores stimuli ad mentem veniunt, causæ quoque, quæ gravius exasperant, oriuntur; atque in irati oculo festuca in trabem vertitur, dum ira in odium permutatur.“

Tom. III.

O

Q. 2.

(a) S. Thom. 2. 2. q. 72. art. 3. (b) Ibid. ad 1.

(c) Lib. 5. Mor. cap. 30.

Q. 2. Quod sit clamor? & cuius generis peccatum?

R. Clamor est *inordinata*, & *confusa locutio*, quam quis in alterum debacchatur. Ex ira procedit, estque peccatum lethale, si appetitum deliberatum mortis, aut gravis alicujus damni proximo inferendi exprimat; alias est peccatum veniale, ut colligitur ex S. Gregorio (*a*).

Q. 3. Quid sit blasphemia?

R. Est honoris violatio per verba contumeliosa, quibus homo ira abruptus Dei maiestatem lacessit, vel decorat; aut ejus Sanctos inhonoret. De illa autem agemus infra.

ARTICULUS III.

De remediis adversus iram.

Primum, & præcipuum remedium adversus iram est patientia, ad quam quidem tenendam nos maxime urget patientia Dei, qui diu sustinet peccatores, & ad penitentiam adducit; necnon exemplum Christi, qui patientiam, & verbis docuit, & factis implevit. Alterum remedium est humilis aestimatio sui ipsius, ne scilicet homo rebus magnis parrem se, dignumve judicet, nec reliquos sibi inferiores aestimet (*b*). Tertium remedium est, ut ante quam opus aggrediamur, præparemus nos ad adversa: ita enim illa excipiems fortius, & perferrimus patientia muniti. Quartum remedium est, ut propriam consideremus infirmitatem. Patienter namque, ait (*c*) S. Gregorius, illatam injuriam tolerat, qui pie meminit, quod fortasse adhuc habeat, in quo debeat ipse tolerari.

Idem

(*a*) Loco citato. (*b*) Vide S. Basiliū Hom. 10. de Ira.

(*c*) Lib. 5. Mor. cap. 30.

Idem S. Gregorius (*a*) tres proponit modos, quibus exercenda est patientiae virtus. Alia, ait, sunt quæ a Deo, alia quæ ab antiquo adversario; alia quæ a proximo sustinemus. A proximo namque persecutio[n]es, damna, & contumelias: ab antiquo vero adversario tentamenta: a Deo autem flagella toleramus. Sed in his omnibus tribus modis vigilanti oculo semetipsam debet mens circumspicere, ne contra mala proximi pertrahatur ad retributionem mali: ne contra tentamenta adversarii seducatur ad delectationem, vel consensum delicii: ne contra flagella Opificis ad excessum proruat murmuratio[n]is:

C A P U T VI.

De Acedia.

Q. 1. Quid sit acedia?

R. Est tristitia de bono spirituali, in quantum est bonum divinum (*b*). Dicitur tristitia de bono divino, non in se spectato, sed quatenus in nobis est, vel esse potest. Sic enim acedia differt ab odio Dei, quo adversamur bonum divinum, quatenus est in Deo; & ab invidia, qua dolemus de eodem bono, quatenus est in proximo. Acedia proprie est, quæ refugit, vel ægre fert bonum divinum imperatum, & necessarium ad salutem, ut docet S. Thomas (*c*). Acedia, inquit, non est recessus mentalis a quocumque spirituali bono, sed a bono divino, cui oportet mentem inhaerere ex necessitate. Unde si quis contristetur de hoc, quod aliquis cogit eum implere opera virtutis, quæ facere non tenetur, non est peccatum acedia: sed quando contristatur in his, quæ ei imminent facienda propter Deum.

Acedia proprie dicta non est fastidium spiritu[m] boni, quatenus est laboriosum, & molestum cor-

O z pori,

(*a*) Hom. in Evang.(*b*) S. Thom. 24 2. q. 25. ar. 3.(*c*) Ibid. ad *

pori, ut docet idem Sanctus Doctor (a) : *Non potest dici, inquit, quod sit speciale vitium acedia, in quantum refugit spirituale bonum, prout est laboriosum, vel molestum corporis, aut delectationis ejus impeditivum, quia hoc non separaret acedia a vitiis carnalibus, quibus aliquis quietem, & delectationem corporis querit.* Hoc ergo fastidium Christianæ temperantiae, & mortificationi adversatur.

Pari modo tristitia de spirituali bono, quod in actibus virtutum singularium occurrit, non est acedia proprie dicta, nec pertinet ad aliquid vitium speciale, sed ad omnia vicia (b). Igitur acedia est speciale vitium, quatenus tristatur quis de bono divino, de quo charitas gaudet: nam sicut ad charitatem specialiter pertinet gaudere de bono divino; ita tristari de eodem bono, de quo charitas gaudet, pertinet specialiter ad acediam.

Q. 2. An accedia sit peccatum lethale?

R. Acedia ex genere suo est peccatum lethale, quia ex propria ratione adversatur charitati, ut dictum est. Porro præcepto de diligendo Deo connum est illud, quo in Deo delectari jubemur. Ps.36. *Delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui.* Hinc S. Thomas (c) ait: *Quod homo delectetur, non cadit sub præcepto, sed quod delectetur de Deo, hoc cadit sub præcepto, sicut & quod homo Deum diligat, quia delectatio amorem consequitur.* Quia ergo acedia adversatur charitati, ex qua provenit hæc delectatio, ideo ex genere suo est peccatum mortale.

Ex quibus infertur i. lethalis acediæ reum esse, qui spiritualia, & divina bona plena deliberatione fastidit, & aversatur. Motus acediæ (inquit (d) Sanctus Thomas) in sola sensualitate quandoque est, propter repu-

(a) Ibid. ut sup. art. 2. (b) Ibid.

(c) Q. XI. de peccatis, a. 3. ad 6. (d) 2. 2. q. 35. a. 3.

repugnantiam carnis ad spiritum; & tunc est peccatum veniale. Quandoque vero pertingit usque ad rationem, quæ consentit in fugam, & horrorem, & detestationem boni divini, carne contra spiritum omnino prævalente: & tunc manifestum est, quod acedia est peccatum mortale.

Infertur 2. gravem negligentiam propriæ salutis, mediorumque ad eam a Deo institutorum, vel divinorum mandatorum, aut officiorum, ad quæ unusquisque tenetur, esse peccatum mortale acediae. Hæc enim negligentia adversatur præcepto Domini (a): *Satagit, ut per bona opera certam vestram vocationem, & electionem faciatis.*

Infertur 3. lethalis acediae reos esse, qui conversionem suam, & pœnitentiam differunt, ac procrastinant, Spiritui Sancto interius vocanti resistentes, & Dei patientia, ac bonitate abutentes. Differunt enim negotium, quod accelerandum Dominus docet (b) illis verbis: *Non tardes converti ad Dominum, & ne differas de die in diem.*

Infertur 4. acediae reos esse, qui jugiter non vigilant, ne vitia in corde suo pullulent, & qui orta evellere non conantur. Unde scriptum est (c): *Desideria occidunt pigrum: noluerunt enim quidquam manus ejus operatur.* Sane cum Deus in animo nostro Christianas virtutes per Baptismum inferuerit, & illis gratia sua datus sit incrementum, si ad eas excolendas cooperemur; gravis delicti rei sumus, si negligentia nostra prava desideria oriuntur. Hinc S. Bernardus (d): *Parum est, inquit, semel putasse; siæpe putandum est, imo (si fieri possit) semper; quia semper quæ putari oporteat (si non dissimulas) invenis.*

Infertur 5. ab acedia non excusari, qui in Christiana, & sui status perfectione proficere pro virili

O 3 non

(a) 2. Petri 1. (b) Ecclesiast. 4. (c) Proverb. 21.
(d) Serm. 58. in Cand.

non conantur, juxta illud (a) : *Qui justus est, justificetur adhuc.* Nam, ut inquit S. Bernardus (b) : *Si studere perfectioni, esse perfectum est, profecto nolle proficere, deficere est.*

Infertur 6, acediosos esse, qui ex torpore ad Eucharistiam raro admodum accedunt, maxime qui semel in anno, compulsi solo timore infamiae, & paenarum Ecclesiasticarum. Nolunt enim delectari in Domino, qui corpore suo esurientes replet bonis. Item, qui ad orationem, Officium Divinum, & spiritualia exercitia, ad quae tenentur ex officio, segnes sunt, & tepidi. Nam scriptum est (c) : *Maledictus, qui facit opus Domini fraudulenter.* His proinde inculcanda sunt verba S. Bernardi (d) : *Moneo, dilectissimi, pure semper, ac strenue divinis interesse laudibus. Strenue quidem, ut sicut reverenter, ita & alacriter Domino assistatis, non pigri, non somnolenti, non oscitantes, non parcentes vobis, non præcedentes verba dimidia, non integra transfluentes, non fradis, & remissis vocibus muliebre quiddam balba de nare sonantes; sed virili (ut dignum est) & sonitu, & affectu voces Sancti Spiritus depromentes.*

Denique infertur, acediæ reos esse, qui tempus ad salutis negotium peragendum, a Deo sibi concessum, in otio, ludis, inanibus colloquiis, ambulationibus, visitationibus minime necessariis, & saeculi voluptatibus conterunt. Vitam namque nostram debemus Christo pro acceptis beneficiis : debemus peccatis expiandis, præsentibus rebus disponendis, futuris prævidendis, cælo comparando: Deo autem ut auctori illam debemus (e).

Q. 3. Quot sint filiæ acediæ?

R. Sex recensentur a S. Gregorio (f), malitia, ran-

(a) Apoc. 22. (b) Epist. 154. (c) Jerem. 48.

(d) Serm. 47. in Cant. (e) Vide S. Bernardum ferm. 22. de diversis. (f) L. 31. Mor. c. 17.

rancor, pusillanimitas, desperatio, torpor circa præcepta, evagatio mentis circa illicita.

Malitia est *impugnatio bonorum spiritualium, quorum in detestationem adducit acedia*. Hac malitia corrupti homines, non solum viros pios, sed pietatem ipsam, sive quæ ad eam pertinent, irridere gestiunt, operumque pietatis contemptum aliis ingenerare. Quod cum charitati opponatur, consequens est, ut malitia ex acedia profecta, quatenus hujusmodi impugnationem continet, sit peccatum lethale. Hujus flagitii rei sunt, qui Pastores suos, Concionatores, aut pios viros, a quibus admonentur, ut a lascivis, spectaculis &c. abstineant, appetunt scommataibus, ac dictieriis.

Rancor non hic usurpatur pro odio, sed est *indignatio quedam adversus homines, qui ad spiritualia bona suis abortationibus, increpationibus, monitis nos impellere, & ad salutem eternam, vel perfectionem spiritualis vitae promovere nituntur*. Rancor ex acedia profectus, quo nempe quis indignatur Superiori ipsum corripienti, eumque propterea odio prosequitur, quod ipsum ad meliora compellat, lethale peccatum est. Ait enim Christus (*a*): *Qui vos spernit, me spernit. Ita peccant laici, qui suis Parochis; Clerici, qui Episcopo; Monachi, qui suis Superioribus, ipsorum vitia corriger volentibus, & Canonum, Statutorum Synodalium, Regularum, Constitutionum observantiam instaurantibus succensent, illosque hoc nomine exosos habent.*

Pusillanimitas est *vitiosa virium suarum diffidentia, qua quis opera difficilia, & ardua, suam facultatem Dei gratia adjutam, non excedentia, quæ consiliis subfunt, refugit, & aversatur ex animi parvitate, & abjectione*. Est peccatum lethale, cum aliquis ex animi

parvitate se subducit magnis, & arduis operibus ad salutem necessariis: nam deficit a proportione sue potentiae, dum recusat in id tendere, quod est sue potentiae commensuratum (a). Hinc lethaliter peccant, qui ad Sacraenta nolunt accedere, ne proximas occasiones deserere cogantur: Qui ad exercendas necessarias virtutum actiones in publicum prodire timent, ne forte ab impiis derideantur, aut graviori tentatione impugnentur. Qui Pastoralem curam, aliudve Ecclesiasticum munus, cui pares sunt, sibi iunctum Superioris mandato, pertinaciter recusant; immo si districte judicentur, ex tantis proculdubio rei sunt, quantis venientes ad publicum prodeesse potuerunt, inquit S. Gregorius (b). Neque hi excusantur a mortali, quod se indignos existimant hujusmodi muneribus, vel honoribus. Nam, ut docet (c) Sanctus Thomas, etiam pusillanimitas aliquo modo ex superbia potest oriri; dum scilicet aliquis nimis proprio sensu innititur, quo reputat se insufficientem ad ea, respectu quorum sufficientiam habet. Denique pusilli animi est, bona sibi a Deo concessa parvifacere; quia non pertinet ad humilitatem, sed potius ad ingratitudinem, quod bona, que quis a Deo possidet, contemnat (d).

Desperatio est fuga ultimi finis, seu vitium, quo quis de ultimi finis assecutione diffidit, ideoque omnem salutis sue curam abjicit, perterritus vel peccatorum suorum gravitate, vel divinæ prædestinationis arcano, & judiciorum Dei severitate. Dubium non est, quin desperatio sit peccatum lethale.

Torpor est remissio quadam, & dejectio animæ circa præceptorum observantium, itaut ab homine, vel penitus omittantur, vel negligenter impleantur. Torpor circa præcepta est peccatum lethale, quatenus importat

(a) S. Thom. 2. 2. q. 133. a. 1. (b) Par. 1. Pastor. c. 5.
(c) 2. 2. q. 133. 2. 1. ad 3. (d) 2. 2. q. 35. a. 1. ad 3.

portat deliberatam illorum transgressionem : disponit autem ad peccatum lethale , quatenus facit , ut perfunctorie dumtaxat impleantur . Nam Deus vult , ut in suis obsequiis fervidi simus , juxta illud Apostoli (a) : *Spiritu ferventes : Domino servientes* : Ad torporem pertinet immoderatio somni , quæ unus est ex hominis acediosi characteribus : unde dicitur Prov. 6. *Usquequo piger dormies ? Mortalis est , si directe , vel indirecte impedit executionem præcepti*. Venialis autem , cum quis præter leges necessitatis somno indulget . Gravius peccatum est in Viris Ecclesiasticis , quos somnus immoderatus impedit , ne sacrissimis Officiis adsint , & orationi , vel studio vacent . Item in iis , qui Rempublicam gerunt , cum ipsos frequenter impedit , ne ad causas gravis momenti referandas , vel judicandas sint parati , quia legere , vel conferre neglexerunt instrumenta omnia ad causas pertinentia , nimiumque crediderunt excerptis Notariorum , seu Secretariorum suorum .

Evagatio mentis est *inquieti animi motus , quo propter tristitiam , & tedium a spiritualibus divinisque bonis ad exteriora se transfert , ut illicitas ex eis delectationes percipiat* . Est lethale peccatum , cum mens , & affectus tendit in ea , quæ sunt peccata lethalia , aut occasiones proximæ peccati lethalis ; vel in iis delectatur . Alias est veniale . Hujus peccati rei sunt inquieti illi , & curiosi homines , quibus nihil negotii est , nisi ut audiant , vel referant aliquid novi ; nisi ut in res , & actiones alienas inquirant , turbantes familias , vel Rempublicam , aut Ecclesiam . Item Clerici , & Monachi otiosi , inquieti , gyrovagi , qui huc illuc discurrere amant ; quibus non oratio , non studium , non opus ministerii , non labor , sed otium placet . Porro quantum sit otii damnum , docet Scriptura .

(a) Rom. 12.

ptura (a) cum ait : *Multam malitiam docuit otiositas.* Nam vanis , aut noxiis cogitationibus mens distra-
hatur oportet , nisi bonis , & utilibus fuerit occupa-
ta . Dæmon quoque otiosis illudit innumeris phan-
tasmatibus imaginationi oblatis , quibus pravæ cupi-
ditates excitantur , ut S. Bernardus (b) in casu pri-
morum Parentum animadvertisit . Hinc S. Carolus (c)
nimiam otiositatem numerat inter occasiones proximas
peccati lethalis , in quibus positus homo , absolven-
dus non est , nisi illas omnino deseruerit .

Q. 4. Quæ sint remedia adversus acediam ?

R. Remedia sunt , 1. frequens cogitatio bonorum
spiritualium , & piorum librorum lectio ; *quia quanto*
magis cogitamus de bonis spiritualibus , tanto magis
nobis placenta redduntur , ex quo cessat acedia (d) .
Præcipuae autem efficacie est meditatio Mysteriorum
Vitæ , & Mortis Christi . 2. Oratio jugis , & fer-
vens , quæ Deum semper desiderando peragitur , jux-
ta illud S. Augustini (e) : *Si non vis intermittere o-*
rare , nolli intermittere desiderare . 3. Continuus Dei
præsensis per fidem intuitus . *Quando enim negligens*
poterit fieri , qui intuentem se Deum numquam definit
intueri (f) ? 4. Novissimorum memoria , juxta illud
Eccl. 7. *In omnibus operibus tuis memorare novissima*
tua , & in æternum non peccabis .

(a) Ecclesiast. 33. (b) Tract. de gradibus humilit. c. 10.

(c) In Instruct. Confess. (d) S. Th. 2. 2. q. 35. a. 1. ad 4.

(e) In Psalm. 37. num. 14.

(f) S. Bernardus serm. 2. in Psal. Qui habitat.

L I B E R III.

P A R S II.

D E V I R T U T I B U S.

IU M virorum Ecclesiasticorum munus non solum in vitiis evelendis, sed in virtutibus ex colendis positum sit, operæ pretium est, hic de virtutibus differere. Est autem virtus bona qualitas mentis, qua recte vivitur, qua nullus male utitur, quam Deus in nobis (a) sine nobis operatur (b). Virtutibus nemo male uti potest, tamquam principiis mali usus; quia, ut docet (c) S. Augustinus, opus virtutis est bonus usus istarum, quibus etiam non bene uti possumus: nemo autem bene utendo male utitur.

Virtutes aliæ sunt naturales, quia versantur circa aliquid, quod humana ratione comprehendî potest, hominemque perficiunt intra fines naturæ, & rationis humanæ: aliæ supernaturales, quæ Theologice dicuntur, tum quod Deum ut proprium, & immediatum objectum attingant; tum quod a solo Deo infundantur; tum quod sola Dei revelatione innotescant. Sunt autem tres, Fides, Spes, Charitas.

Vir-

(a) S. Thom. 2. 2. q. 55. a. 4.

(b) Postrema traditæ definitio-
nis verba, quam Deus &c. com-
petunt virtuti infusa, cuius de-
finitionem S. Augustinus ab An-
gelico laudatus tradere intendit.
Cæterum reliqua definitionis ver-
ba communia sunt virtutibus ac-
quisitis, & infusis, ut Sanctus

Thomas Ioco cit. animadvertisit.
Quod autem virtus operari dica-
tur a Deo in nobis sine nobis,
id intelligendum est sine nobis
agentibus, non tamen sine nobis
consentientibus, ut explicat San-
ctus Thom. ibid. ad 6.

(c) L. 2. de lib. arb. c. 19.

Virtutes humanæ aliæ sunt *intellectuales*, quia mentem; aliæ *morales*, quia appetitum perficiunt. In primo ordine sola prudentia rectam omnino voluntatem requirit. *Virtus moralis est habitus a Deo datus homini, ad honestos mores, secundum legis divine præscriptum inclinans, propter charitatem in Deum.* Theologice, non Philosophice de virtutibus loquimur. Theologice autem vera virtus est donum Dei, uni Deo servit, ad ipsum unum, ut ad finem referatur (a), quod sine charitate fieri non potest (b).

Virtutum moralium aliæ dirigunt operationes, ut Justitia, & partes ejus; aliæ passiones, ut Fortitudo, & Temperantia, iisque subjectæ, & adnexæ virtutes. Quibus adjuncta Prudentia, consurgit virtutis partitio in quatuor virtutes Cardinales, scilicet Prudentiam, Justitiam, Temperantiam, Fortitudinem; quæ *Cardinales* dicuntur, quia sunt aliarum virtutum veluti fontes, & cardines.

(a) Vide S. Aug. lib. 4. contra Julianum c. 3.

(b) „Virtutes morales (*inquit*)

S. Thomas 1. 2. q. 65. a. 2.)

„prout sunt operatæ boni in

„ordine ad finem, qui non ex

„cedit facultatem naturalem ho

„minis, possunt per opera hu

„mana acquiri, & sic acquisite

„sine charitate esse possunt, si

„cui fuerint in multis Gentili

„bus. Secundum autem quod

„sunt operatæ boni in ordine

„ad ultimum finem supernatura

„lem, sic perfecte, & vere ha

„bent rationem virtutis, & non

„possunt humanis actibus acqui

„ri, sed infunduntur a Deo :

„& hujusmodi virtutes mora

„les sine charitate esse non pos

„sunt.“ In eo igitur, qui char

„itate destitutus est, reperi possunt virtutes morales quoad sub

„stantiam licet quoad modum nec

„perfecte, nec vere obtineant ra

„tionem virtutis.

TRACTATUS I.

De Virtutibus Theologicis (a).

SECTIO I.

De Fide.

UT ea, quæ circa fidem ad praxim spectant
 (nam de cæteris actum est lib. 1. c. 1. hujus
 operis) accurate tradantur, agendum est 1. De fi-
 dei assensu. 2. De Mysteriis fidei necessario explicite
 credendis. 3. De præcepto eliciendi actus fidei.
 4. De fidei professione. 5. De vitiis fidei oppositis.

CAPUT I.

*De Assensu fidei, & de Mysteriis necessario
 explicite credendis.*

Q. 1. **Q**UÆ requirantur ad assensum fidei?

R. Cum Apostolus dicat Rom. 10. *Corde creditur ad justitiam, dubitari minime potest, quin ad fidei assensum necessaria sit pia voluntatis inclinatio, & motio (b), qua mens veluti captiva redi-*

ga-

(a) Sequentes ordinem S. Thomæ, hic explicare malumus, quæ de virtutibus Theologicis tradita sunt a Natali in 1. Decalogi præcepto.

(b) Ne confundas, ut aliqui male faciunt, piam motionem voluntatis cum dilectione Dei faltem imperfecta, quasi fidei assensus, qui sine pia motione voluntatis esse non potest, nec sine Dei charitate existere valeat. Ait enim S. Thomas q. 14. de veritate a. 2. ad 19. *Actus fidei essentialiter consistit in*

*cognitione, & ibi est eius per-
 festio quantum ad formam,
 vel speciem ... Sed quantum
 ad finem perficitur in affectio-
 ne; quia ex charitate habet,
 quod sit meritoria finis. In
 choacio etiam fidei est in affec-
 tione, in quantum voluntas
 determinat intellectum ad af-
 sentiendum his, quæ sunt fi-
 dei. Sed illa voluntas nec est
 actus charitatis, nec spei; sed
 quidam appetitus boni regro-
 missi. "*

gatur in obsequium Christi, ad easque rationes se convertat, quæ fidem gignant, nutriantque, vel saltem ostendant, absurdum non esse, quod creditur; tum vero eas rejiciat, quæ assensum possent impedire, vel retardare. Quod cum absque divina gratia excitante, & adjuvante non contingat, ut Synodus Tridentina sess. 6. can. 3. definit; inde est, ut eo sit firmior assensus fidei, quo major est motio voluntatis divina gratia excitatae, & adjutæ: atque ideo merito damnata fuit ab Innocentio XI. hæc propositio: *Voluntas non potest efficere, ut assensus fidei in se ipso sit magis firmus, quam mereatur pondus rationum ad assensum impellentium.*

Ut vero pia motio voluntatis assensum fidei causat, ita *contemptus voluntatis causat dissensum intellectus* (a); qui quidem dissensus, sive repudium, non solum est lethale peccatum, sed *proprius actus infidelitatis* (b). Cum enim assensus ille supernaturalis fidei sit, vel inchoatae, vel perfectæ; qui illum repudiat, fidem præfocat vel conceptam, vel natam, Patrique intus revelanti repugnat. Hinc Innocentius XI. hanc aliam propositionem confixit: *Potest quis prudehter repudiare assensum, quem habebat supernaturalem.*

Q. 2. Qualis esse debeat assensus fidei?

R. Ita firmiter, & absque ulla hæsitatione credendum est quidquid Deus revelavit, & per Ecclesiam suam credendum proposuit, ut dubium plene deliberatum circa res fidei, sit peccatum mortale infidelitatis: unde vulgatum illud (c): Dubius in fide, infidelis est. Quamobrem idem Innocentius XI. hanc etiam propositionem damnavit: Assensus fidei supernaturalis, & utilis ad salutem, stat cum notitia solum pro-

(a) S. Thom. 2. 2. q. 10. a. 2. ad 2. (b) Ibid. in corp. 2.

(c) dubius, ext. de hæret.

*probabili revelationis, imo cum formidine, qua quis
formidet, ne non sit locutus Deus. Nam probabilis
notitia, & cum formidine conjuncta, inquisitioni,
& curiositati locum relinquit, quæ est negatio quæ-
dam, & desertio fidei. Ut enim ait (a) Tertullia-
nus: Nemo quærerit, nisi qui aut non habuit, aut per-
didit.*

*Q. 3. Quorum Mysteriorum explicita fides neces-
saria sit ad justificationem, & ad salutem?*

*R. In primis necessaria est necessitate medii ad ju-
stificationem, & salutem fides explicita unius Dei,
& Remuneratoris. Credere enim oportet, inquit (b)
Apostolus, accedentem ad Deum, quia est, & inqui-
rentibus se Remunerator sit. Profecto justificari nemo
potest, & salutem æternam consequi, nisi eam fide-
m in Deum habeat, qua spes ejus in Deum exci-
tetur, & qua in ipsum super omnia diligendum in-
clinetur. Id autem fieri non potest absque fide ex-
plicita Dei Remuneratoris. Hinc damnatæ sunt ab
Innocentio XI. hæ propositiones: Non nisi fides unius
Dei necessaria videtur necessitate modii, non autem ex-
plicita Remuneratoris. Fides late dicta ex testimonio
creaturarum, similive motivo, ad justificationem sufficit.
Est autem fides explicita, cum aliquid creditur se-
cundum se, in particulari, & distincte; implicita
vero, cum creditur in alio, tamquam in universalí
comprehensum, & involutum: velut si quis profi-
teatur se credere quidquid Ecclesia credit, id qui-
dem credit explicate, implicite vero omnes articu-
los, quos credit Ecclesia, modo nihil contrarium
illis in particulari teneat.*

*Fides explicita Incarnationis est item in lege gra-
tiae necessaria ad justificationem, & salutem omni-
bus, & singulis hominibus, & quidem necessitate
modii.*

(a) L. de Praescript. c. xi. (b) Hebr. xi.

medii. Namque cum Christus dicat Joan. 14. *Creditis in Deum, & in me credite*; eadem est necessitas fidei explicitæ in Deum, & in Christum. Quare S. Thomas (a) : *Post tempus, inquit, gratia revelatione, tam majores, quam minores tenentur habere fidem explicitam de Mysteriis Christi, præcipue quantum ad ea, quæ communiter in Ecclesia solemnizantur, & publice proponuntur, sicut sunt Articuli Incarnationis.*

Quoniam vero „ Mysterium Incarnationis Christi, si explicite credi non potest sine fide Trinitatis, „ quia in Mysterio Incarnationis Christi hoc con- „ tinetur ... ideo tenentur omnes ad explicite cre- „ dendum Mysterium Trinitatis “ (b). Hinc Christus Apostolis ait Matth. ult. *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.*

Quoad spectat Articulos Apostolorum Symbolo comprehensos, tenentur omnes, & singuli Christiani illos omnes, & singulos explicite credere, saltem quoad substantiam. Ait enim S. Thomas (c) : *Quantum ad prima credibilia, quæ sunt articuli fidei, tenetur homo explicite credere, sicut & tenetur habere fidem.* Hinc ex prisca Ecclesiæ disciplina, Catechumenis tradebatur Symbolum, quod recitabant, antequam Baptismo initiantur.

Præter hæc sunt etiam explicite credenda ea Mysteria, & dogmata, quæ solemniter in Ecclesia celebrantur, proponuntur (d). Hujusmodi sunt, quæ pertinent ad Sacramentorum, Baptismi præsertim, Pœnitentiæ, & Eucharistiæ necessitatem, ac divinam institutionem, gratiæ per illa collationem realem Corporis, & Sanguinis Christi in Eucharistia præsentiam, & transubstantiationem. Item Sanctorum cultus, & invocatio : veneratio Reliquarum,

(a) 2. 2. q. 2. a. 7.

(b) Ibid. a. 8.

(c) Ibid. a. 25.

(d) Ibid. ar. 7.

rum, & Sacrarum Imaginum: Indulgentiarum usus, quod salutaris sit: existentia Purgatorii; & quod animæ in eo detentæ fidelium suffragiis, ac præsertim Missæ sacrificio juventur. Hæc enim omnia solemnia sunt in Ecclesia.

Ad hæc: explicite credenda sunt omnia dogmata necessaria ad vitam Christiane instituendam; scilicet Decalogo quid præcipiatur, quid vetetur: quæ sint Ecclesiæ præcepta: Ecclesiæ esse parendum: extra ipsam neminem salvari: non habere Deum patrem, qui Ecclesiam non habeat matrem. Ea, inquam, explicite credenda sunt, saltem quoad substantiam, sub periculo damnationis æternæ, nisi iustum ob sit impedimentum, vel nempe captivitas apud infideles, seu magna a terris Christianorum distantia, vel tantus ingenii stupor, ut hæc nullo modo capi, & memoriæ commendari possint. Si quis vero hæc discere non curet, diligentiamque necessariam adhibere negligat, reus est peccati lethalis, quamdiu illa in ignorâ versatur, nec studet ex illa emergere. Unde nec debet absolutione donari, nec ad cætera Sacra menta admitti, ut jam ostendimus, ubi de absolutione deneganda, vel differenda tractavimus; ubi etiam quasdam definitivimus regulas ex S. Caroli Instructionibus, quas in hac re debeant Confessarii præ oculis habere.

De cæteris credibilibus sic docet S. Thomas (a): *Quantum autem ad aliam credibilia non tenetur homo explicite credere, sed solum implicite, vel in præparacione animi, in quantum paratus est credere, quidquid divina Scriptura continet: sed tunc solum hujusmodi tenetur explicite credere, quando hoc ei constiterit in doctrina fidei contineri.* Subdit autem (b): *Explicatio fidei oportet, quod perveniat ad inferiores homines per*

Tom. III.

P

ma-

(a) 2. 2. q. 1. 2. 5.

(b) Ibid. 2. 6.

maiores, & ideo sicut superiores Angeli, qui inferiore³ illuminant, habent pleniorē notitiam de rebus divinis, quam inferiores, ut dicit Dionysius 12. Cap. celestis hierarchia; ita etiam superiores homines, ad quos pertinet alios erudire, tenentur habere pleniorē notitiam de credendis, & magis explicite credere.

Ex his collige, graviter peccare tum Christianos, qui rudes, & imperiti cum sint in doctrina Christiana, nec Mysteria noverint, quæ credere oportet ad salutem, Catechesibus adesse nolunt, aut negligunt; & familiaribus instructionibus interessent, quæ Dominicis, festisque diebus sunt in Parochialibus Ecclesiis, aut alibi, circa præcipua capita doctrinæ Christianæ; tum Parochos, qui tales Catecheses prætermittuntur; tum parentes, & dominos, qui filios, servos, ancillas iisdem Catechesibus adesse, & doctrinam Christianam ediscere non sinunt, vel non compellunt (a).

CA-

(a) De Doctrina Christiana Fidelibus tradenda, duas extant Constitutiones Benedicti XIV. Altera, quæ incipit, *Etsi minime; altera, cuius initium, cum Religioſi.* In priore Pontifex nonnullas tradid regulas, quibus facile occurri possit Christianorum ignorantia. Itaque 1. hortatur Episcopos, ut pueros, & puellas quandoque per se ipsos, etiam extra visitationis tempus, interrogent de rebus fidei, deque iis erudiant. 2. Parochis in memoriam revocat, quæ hac in re fuerunt ipsis a Concilio Tridentino imposita onera, a quorum exercitio ne impedianter, caveri vult, ut ne in parvorum locorum Ecclesiis Missa celebretur, antequam a Parocho habita sit concio ad

populum. 3. Ait, vocari posse in Parochorum subſidium, tum illos, qui ad Ordines, & Beneficia promoveri cupiunt; tum ludimagiſtros, & pias fœminas juxta Decretum Leonis X., quo præcipitur, ut iidem instituentes fuos discipulos, ac puellas, imbuant etiam Doctrina Christiana; tum Laicorum Sodalitia eo fine erigenda; tum Concionatores, qui pro Conciōne parentes moneant de onere erudiendi filios in doctrina fidei, & morum, vel saltem ducendi eos ad Ecclesiam, ut ibi erudiantur; tum demum Sacerdotes sacris operantes in Ecclesiis a Parochiali longe sepofitis. 4. Ostendit, facile occurri posse ignorantia, negligentiaque Christianorum, si nemo ad Eu-

cha-

C A P U T II.

De præcepto fidei cum interioris, tum exterioris.

Q. 1. **A**N teneatur homo elicere actum fidei? & quam frequenter?

R. Cum præcepta dentur non de habitibus, sed de actibus virtutum, ut passim docet S. Thomas,

P 2

dubi-

christiam, & Confirmationem admittatur, qui Doctrinam Christianam nesciat; si promovendi ad Ordines, de eadem Doctrina interrogentur; si conjungendi in Matrimonium, prohibeantur conjugia inire (ut sane Parochi prohibere debent) si ignorantia necessaria ad salutem; si quilibet Confessarius, fixum illud, immo-
tumque animo semper habeat, invalidam esse absolutionem sacramentalem, quam quis i-
gnoranti res necessarias nec-
ssitate mediis impetratur, nec
posse homines Deo per hujul-
modi Sacramentum reconcilia-
ri, nisi prius excussa hujus
ignorantia caligine ad agnitione-
nem fidei ducantur. Si se-
culo animadvertat, in aliud
tempus rejiciendam esse ablo-
lutionem illius, qui necessaria
necessitate præcepti suo vitio
nescit, & eo quandoque casu
penitentem absolvi posse, quo
se vincibilis hujus ignorantiae
reum agnoscet, & accusat, ac
intime dolens, tum a Deo ve-
niam preceperit, tum Confessario
serio promittat, operam se im-
penie daturum, qua, divine
gratia præsidio, dicat etiam

, necessaria necessitate præcep-
ti " Denique admonet, sa-
tis provide ab Episcopis statu-
tum iri, ut Parochi statim post
Missam Festis diebus eliciant ac-
tus fidei, spei, & charitatis
paucis verbis comprehensos, po-
pulo reddente verba ab ipsis pro-
lata.

In posteriori Constitutione Pon-
tifex, proposito exemplo S. Caro-
li, Episcopos horratur, ut suam
diligentiam iterent, omnemque
tentent viam, ut Christianorum
in Doctrina Christiana ignoran-
tiae, ac desidiae provideatur. Ité-
randum quoque, ait, Concionato-
ribus monitum, iisque persua-
dendum: ut *abortionibus in-
stitutiones adjungant*. Denique
profert verba S. Augustini lib.
de Catechizandis rudibus, c. 13,
ubi ait: *Interrogatione quaren-
dum est, utrum is, qui catechi-
zatur, intelligat, & agendum
pro ejus responsione, ut aut plau-
nius, & enodatus loquamus, aut
que illis nota sunt, non explicem-
mas latius &c. Quod si nimis tardus
est, misericorditer sufferen-
dus est, breviterque ea, qua
maxime necessaria sunt, ipsi im-
culanda.*

dubitari non potest, quin homo teneatur ad actum fidei aliquoties eliciendum. Idem dicendum de actu spei, & charitatis. Quare Alexander VII. hanc propositionem damnavit: *Homo nullo unquam vita sua tempore tenetur elicere actum fidei, spei, & charitatis, ex vi præceptorum divinorum ad eas virtutes pertinentium.* Et Innocentius XI. hanc aliam confixit: *Fides non censetur cadere sub præcepto speciali, & secundum se.*

Quam vero frequenter teneatur homo eosdem actus elicere, determinemus oportet. Itaque satis non est, actum fidei semel in vita elicere, sed saepius ad id tenentur fideles. Nam Innocentius XI. has propositiones damnavit: *Sufficit Mysteria fidei semel credidisse = Satis est actum fidei semel in vita elicere.*

Tenetur ergo homo elicere actum fidei quandoque per se, quandoque per accidens (a). Per se quidem 1. cum pervenit ad usum rationis, quia tunc debet se in Deum convertere. 2. Cum versatur in mortis periculo; tunc enim maxime eniti debet, ut Deo conjugatur. 3. Cum scriptum sit ab Apostolo (b): *Justus ex fide vivit*, tenetur homo saepius elicere actus fidei (c); sicut cibum corpori sustentando saepius sumere debet, ne deficiat.

Per

(a) Nota obligationem per se alicujus præcepti, desumi ex natura ipsius præcepti & obligacionem vero per accidens oriri ex alio præcepto, quod observari non potest, nisi illa obligatio impleatur. Hinc quoties urget præceptum aliquod, nec potest impieri, nisi eliciatur fidei actus, tunc præceptum fidei dicitur obligare per accidens. Id autem dissimilans est inter obligationem per se, & obligationem per accidens, quod cum præceptum obligat per se,

illius omissione est peculiare peccatum necessario explicandum in Confessione; cum vero obligat per accidens, omissione ejus non constituit peccatum distinctum ab illo, pro quo vitando requiritur.

(b) Gal. 3.

(c) Cum haecenus definitum non sit, quoties in vita per se obliget præceptum eliciendi actum fidei; praxis piorum est, actus cum fidei, tum spei, & charitatis elicere quam saepissime. Ut huic frequentie stimulos adderet

Per accidens fidei præceptum obligat 1. cum homo ad justificationem disponere se debet (*a*), sive per Baptismum, sive per Pœnitentiam, sive extra hujusmodi Sacra menta, si periculum urgeat, nec possit ea suscipere (*b*). 2. Cum Eucharistiam sumit, quæ non solum sacramentaliter, sed etiam spiritualiter manducari debet, adeoque per actum fidei charitate perfectæ (*c*). 3. Cum quis patitur graves tentationes contra fidem: in his enim angustiis eniti debet cum Dei auxilio, ut in fide roboretur, dicendo cum Apostolis (*d*): *Adauge nobis fidem*; vel cum patre pueri a dæmonio vexati (*e*) *Credo, Domine: adjuva incredulitatem meam.* 4. In reliquis gravibus temptationibus quoque debet fidei actus (*f*), ut

P 3

da-

Benedictus XIV. in Brevi dato die 28. Januarii 1756. confirmavit Indulgentias concessas a Benedicto XIII. pro exercentibus aëcis prædictis: videlicet Plenariam applicabilem pro Animabus Purgatoriis, lucrandam fæcni in tenebre ab iis, qui quotidie per inensem eos actus pie, devote, & ex corde pergerint; die nempe ab unoquoque eligenda, in qua vere poni entes, & confessi, & Eucharistia refecti, oraverint, ut decet, pro Christianorum Principum concordia, heresum extirpatione, & Ecclesiæ exaltatione: necnon aliam simili er Plenariam in mortis articulo. Indulgentiam vero septem annorum, totidemque quadragenarum eum cader faciliate applicandi, extendit ad quamlibet corundem actuum piam &c. recitationem. Declaravitque, posse quemque uti quavis formula, modo in ipsa exprimantur virtutum Theologicarum specia lia motiva.

(*a*) Nota ex S. Thomâ q. 28. de veritate a. 4. ad 9., Quod licet sint multi articuli fidei, non tamen oportet, quod actu omnes cogitentur in ipso instanti justificationis, sed solum quod cogitetur Deus secundum hunc articulum; quod est iustificans, & peccata remittens, in quo includitur implicite articulus Incarnationis, & Passus Christi &c. “.

(*b*) Conc. Trid. sess. 6. cap. 6.

(*c*) Et si explicitus fidei actus valde consentaneo eliciatur, ac repetatur, eum fideles ad Eucharistiam accedunt; sufficit tamen implicitus; & virtualis; quatenus virtute fidei toties exercitæ fideles devote, ac reverenter ad sacrum Convivium accedunt.

(*d*) Luc. 17.

(*e*) Marc. 9.

(*f*) Ad vincendum graves tentationes contra fidem, aliamve virtutem necessarius est fidei actus.

dæmonem superemus, Ait namque (a) Apostolus: In omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi, ignea extinguere (b).

Q. 2. An quilibet Christianus teneatur fidem extenuis profiteri?

R. Ex S. Thoma (c), Confiteri fidem non semper, neque in quolibet loco est de necessitate salvutis sed in aliquo loco, & tempore, quando scilicet per dimissionem hujus confessionis subtraheatur honor debitus Deo, aut etiam utilitas proximis impendenda; puta si aliquis interrogatus de fide taceret, & ex hoc crederetur, vel quod non haberet fidem, vel quod fides non esset vera, vel alii per ejus taciturnitatem averterentur a fide: in hujusmodi enī casibus confessio fidei est de necessitate salvutis,

Ex qua doctrina sequitur, quemlibet Christianum a Potestate publica, vel a Tyranno, aut etiam a Judice legitimo publice, vel privatim de professione Religionis interrogatum, teneri fidem aperte confiteri; eoque casu silentium, & dissimulationem esse peccatum mortale. Ait enim Christus (d). Qui me erubuerit, & meos sermones, hunc filius hominis erubescet, &c. Hinc merito Innocentius VI. hanc propositionem damnavit: Si a Potestate publica quis interrogetur; fidem ingenue confiteri, ut Deo, & fidei gloriosum consulo; tacere, ut peccaminosum per se non damno.

Infer-

mus, quoties fidei exercitium creditur esse remedium ad victoriam obtinendam. Hinc Theologi communiter docent, scrupulosos homines debere contempnere tentationes contra fidem, alioque mentem avertere; satis vero esse, ut tempore a Directore designato, auctor fidei eliciant, cum sunt ani-

mo tranquillo: nam hi actus deinceps virtute perseverant.

(a) Ephes. 6.

(b) Cum quis in heresim lapsus est, tenetur etiam fidei aetatum elicere, abjurando heresim.

(c) 2. 2. q. 3. a. 2.

(d) Luc. 9.

Infertur item cum eodem S. Thoma (a), quod in
 „casu necessitatis, ubi fides periclitatur, quilibet
 „tenetur fidem suam aliis propalare, vel ad instru-
 „ctionem aliorum Fidelium, sive confirmationem,
 „vel ad reprimendam infidelium insultationem.“
 Nam ut ait Apostolus (b). *Ore confessio fit ad salutem.*

Præterea infertur, lethale peccatum esse, falsam Religionem simulare; id enim negatio quædam est veræ fidei, graveque mendacium violans honorem Dei, & proximo scandalum creans. Ex quo insuper tria sequuntur. 1. Non licere Christianis uti rebus illis, vestibus, aut signis, quæ falsæ Religionis professionem significant, sive ex lege humana, sive ex consuetudine: quod si faciat, peccat mortaliter. Si tamen vestes, & signa non sint propria Religionis, sed nationis, iis uti possunt Christiani apud infideles degentes. 2. Non licere Catholicis adire conciones hæreticorum, nisi viris doctis, & firmis in fide, ut eorum errores refellant, secluso tamen scandali periculo. Alias peccabunt lethali ter. 3. Non licere Catholicis apud hæreticos degentibus vesci carnis Feria sexta, vel Sabbato, aut diebus Jejuniorum; hoc enim redundaret in legis Ecclesiasticae contemptum.

(a) Ibid. ad 2.

(b) Rom. 10.

C A P U T . III.

De Infidelitate.

Q. 1. Quid, & quodduplex sit infidelitas?

R. Ex S. Thoma (*a*): Infidelitas alia est negativa, ut est in illis, qui nihil audiuerunt de fidē; alia est positiva, quia scilicet aliquis repugnat auditui fidei, vel etiam contemnit ipsam. Hæc posterior est specie triplex, alia eorum, qui fidei Christianæ nondum suscepτæ renituntur, ut sunt Pagani, & Mahometani; alia illorum, qui aduersantur eidem fidei, quam suscepserunt in figura, ut sunt Judæi: alia illorum, qui eidem fidei jam suscepτæ in ipsa manifestatione veritatis opponuntur, ut sunt Hæretici. Infidelitas negativa non est peccatum, sed ingis pœna peccati, quia ignorantia divinorum sequitur ex peccato Adæ. Si tamen, qui sunt negatīve infideles damnantur ob alia peccata, quæ sine fide remitti non possunt. Si autem adjuti divino auxilio sequantur ductum rationis prosequendo bohum, & malum fugiendo, Deus ipsis non deficiet in eo, quod ipsis necessarium est, ut docet idem S. Thomas (*b*). At infidelitas positiva cujuscumque sit generis, si plene deliberata sit, non solum est lethale peccatum, sed maximum omnium peccatorum, quæ contingunt in perversitate morum. Est etiam secundum speciem gravius desperatione (*c*); minus tamen grave peccato odii Dei, quia ratio peccati in infidelitate voluntaria, est ex odio veritatis, scilicet Dei circa cuius veritatem est fides, ideoque odium Dei utpote cau-

(*a*) 2. 2. q. 10. a. 1.
(*b*) Q. 14. de verit. a. 12. ad 1.
(*c*) 2. 2. q. 20. a. 3.

cæsa potius est infidelitate, quæ est ejus effectus (a). Fatendum nihil feci, gravius paccare Ju-dæos, quam Ethnicos, hæresim vero esse omnium infidelitatum pessimam. *Gravius enim peccat, qui fidei renititur susceptæ, quam qui renititur fidei nondum susceptæ: sicut gravius peccat, qui non implet, quod promisit, quam si non impleat, quod numquam promisit* (b).

Dé gravitate apostasiæ a fide judicandum est non solum ex infidelitate, ad quam fit defectio, sed etiam ex circumstantia fidei, quam apostata professus est. Hinc ait (c) S. Thomas: *Apostasia non importat determinatam speciem infidelitatis, sed quamdam circumstantiam aggravantem: respicit enim infidelitatem ut terminum, ad quem accedit apostata recedens a fide: species autem motuum attenduntur poenes terminos* (d).

Q. 2. An liceat cum infidelibus publice disputare de fide.

R. Ex S. Thoma (e). Disputatio fidei considerari potest vel ex parte disputantis vel ex parte audientium. Ex parte disputantis, si disputet de fide dubitans, proculdubio est infidelis: si vero ad confutandos errores, vel etiam exercitii causa, id est laude dignum (f). Ex parte audientium, si hi sint sapientes, & firmi in fide, disputatio nullum periculum

(a) Ibid. q. 34. a. 2. ad 2.

(b) Ibid. q. 10. a. 6.

(c) Ibid. q. 12. a. 1. ad 3.

(d) Ex declaratione S. Congregat. S. Officii non oportet, ut pueri capti a Turcis, qui de necessario credendis numquam fuerint instruti, sed crediderunt, Mahumeti sectam bonam esse, redirent ad fidem abjurent; sed satis est, ut emitant fidei professionem, & ad cautelam a censuris absolvantur. Ex eadem S. Congregatione permitti non po-

test, ut apostatae capti a Christians super naves Turcarum, redimantur a Turcis.

(e) Ibid. q. 10. a. 7.

(f) De publica disputatione cum infidelibus agens S. Thomas lect. 2. in cap. 7. Epist. 2. ad Timoth. *Est distinguendum, inquit, ex parte disputantis, quia si disputans est prudens sic, quod manifeste consuelet adversarium tunc debet publice disputare: si vero non, nullo modo.*

lum parit. Si vero sint idiotæ, & simplices, tunc siquidem sint sollicitati de fide ad infidelibus, tunc necessaria est publica disputatio de fide, modo fiat a viris idoneis, qui possint errores confutare; hoc enim pacto fideles in fide confirmantur: nam si taccerent, qui obsistere debent, id quidem esset erroris confirmatio. Si autem Christiani simplices, non sint sollicitati de fide, non modo non expedit publice coram ipsis de fide disputare, sed periculosem id esset: nam simplicium fides ex hoc est firmior, quia nihil diversum audierunt ab eo, quod credunt Laicis tamen sub excommunicatione ferendæ sententiae prohibuit Alexander IV. (a) ne publice, vel privatim de fide disputent (b).

Q. 3.

(a) C. Quicumque, de hæreti-
cis, in 6.

(b) Optabat jam olim S. Grego-
rius Nazianzenus Orat. 26. n. 56. Legem constitutam esse, que ju-
beret, ut quemadmodum apud Sa-
pientes Hebreos a quibusdam sa-
crae Scripturæ libris juvenes ar-
cebantur, utpote tenerioribus æ-
dhuc, minimeque firmis animis
haudquam profuturi; eodem
quoque modo, non quibuslibet, nec
semper, sed certo tempore, ac cer-
tis hominibus, de fide disputandi
potestas fieret. Hanc legem ita-
tuere aggressa fuit Synodus Qui-
nifexi Can. 64. ubi statuit, „Quod
„non portet Laicum publice di-
„sputare, vel docere, docendi
„auctoritatem ex eo sibi vendi-
„cantem, sed ordini a Domino
„tradito cedere; & aurem iis,
„qui docendi gratiam accepe-
„runt, aperire; & divina ab
„eis doceri. . . . Si quis an-
„tem presentem Canonem labi-
„factans deprehensus fuerit, qua-
„draginta diebus segregetur“.
Eandem legem Alexander IV. Ex-

communicationis poena sanxit. Sub qua prohibitione comprehen-
duntur Laici etiam docti, ut ostendit Passerinus in citat. cap.
Quicumque, n. 22. seq. ubi ex-
cipit, 1. casum necessitatis, aut
magna utilitatis, v. g. si hære-
ticus catholicos perverteret, nee
esser Clericus bene instructus,
qui posset resistere. 2. Si Laicus
mittatur ab habente auctoritatem,
ad disputandum; tunc enim non
arrogaret sibi disputandi munus.
3. Si contraria consuetudo hanc
legem abrogavit. Verum hac in-
re considerandum est, an præ-
scriptio sit legitima. 4. Si dis-
putatio de fide instituatur inter
Catholicos exercitiū caufa; pro-
hibitio enim affectat disputatio-
nem formalem inter fidelem, &
infidelem, sive hereticum; quam-
vis disputatio etiam exercitiū
causa possit esse illicita propter
scandalum simplicium, & in-
doctorum, qui adiungunt, præci-
pue si disputatio fiat vulgari
lingua.

Q. 3. An licita sit conversatio cum infidelibus.

R. Simplicibus, & infirmis in fide familiaritas cum infidelibus, & communio etiam civilis, absque necessitate, prohibenda est: eamque familiaritatem, & communionem vitare tenentur, si periculum subversionis eorum fidei immineat: alioqui mortaliter peccant, quoties in hoc periculum se conjiciunt Ita S. Tomas (a): *Si autem sint simplices, inquit, & infirmi in fide, de quorum subversione probabiliter timeri possit, prohibendi sunt ab infidelium communione, & praeципue ne magnam familiaritatem cum eis habeant, vel absque necessitate eis communicent.* Majori porro cautione hæreticorum consortia, & familiaritatem vitare oportet, juxta illud S. Joan. Epist. 2. *Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum, nec Ave ei dixeritis: qui enim dicit illi Ave, communicat operibus ejus malignis* (b).

Q. 4. Quinam censeantur hæretici?

R. Nemo est hæreticus, nisi Christi fide suscepta, sit in errore eidem fidei manifeste repugnante pertinax (c). Est enim hæresis, error pertinax fidei manifeste repugnans, in eo, qui fidem Catholicam in veritate professus est. Pertinax autem est ille, qui fidei veritati satis ipsi manifestæ, sciens, volens repugnat; vel qui certum aliquod fidei dogma ita ignorat, vel de eo dubitat, ut credere etiamsi scriet, Ecclesiam sic credere. Qui vero ex ignorantia crassa errant circa fidem in iis, quæ credere tenetur quisque Catholicus, lethaliter quidem peccant, sed hæretici non sunt, seclusa pertinacia.

Q. 5.

(a) 2. 2. q. 10. a. 9.

affidue pro aliqua mercede expo-

(b) Benedictus XIV. in Litteris datis die 14. Junii 1751. laudat Decretum Alexandri III. qui sub gravibus penit. inhibuit Christianis, ut Judæorum servitio se

nanciant. Item Decretum Innocentii III. qui prohibuit, ne Judæi in publicis officiis adhiberentur.

(c) Clem. unic. de Summa Trinit. & Fide Cathol.

Q. 5. An ritus infidelium tolerari possint?

R. Ex S. Thoma (a), Quamvis infideles in suis ritibus peccent, tolerari possunt, vel propter aliquid bonum, quod ex eis provenit, vel propter aliquod malum, quod vitatur. Ex hoc autem, quod Judæi ritus suos observant, in quibus olim præfigurabatur veritas fidei, quam tenemus, hoc bonum provenit, quod testimonium fidei nostræ habemus ex hostibus, & quasi in figura nobis repræsentur, quod credimus: & ideo in suis ritibus tolerantur. Aliorum vero infidelium ritus, qui nihil veritatis, aut utilitatis afferunt, non sunt aliqualiter tolerandi, nisi forte ad aliquod malum vitandum, scilicet ad vitandum scandulum, vel dissidium, quod ex hoc posset provenire, vel impedimentum salutis eorum, qui paucimis latim sic tolerati convertuntur ad fidem. Ritus ergo hæreticorum a Principibus Catholicis tolerari non possunt absque lethali peccato, cum ipsos prohibere, & extirpare possunt sine periculo gravioris mali. Hi enim ritus sunt maxime perniciosi. Per dulces enim sermones, & benedictiones seducunt corda innocentium (b).

Q. 6. Quid de libris hæreticorum?

R. Si libri hæreticorum de religione tractent, & hæretica dogmata contineant, & propugnant, qui illos legunt absque licentia, auctoritate Sedis Apostolicæ concessa, lethaliter peccant, & in excommunicationem latæ sententiæ incident, tametsi legentes sint eruditi. Interdum enim fides etiam eruditorum infirma est, imo infirmior. Qui autem licentiam habent legendi tales libros, & in eorum lectione fidei suæ periculum animadvertunt, lethaliter peccant, si in eorum lectione perseverent. Nam qui

qui amat periculum, in illo peribit (a). Qui eosdem libros absque licentia retinent, lethaliter peccant; tenentur enim illos quamprimum deferre ad Episcopos, vel Inquisidores, ubi isti sunt, aut certe comburere (b).

(a) Ecclesiast. 3.

(b) Hæretorum librorum nomine designantur libri tum Hæretarum de quacumque materia tractantes, tum Hæretorum, qui de Religione ex profeso agunt. Qui hujusmodi libros legunt, vel retinent, etiam ad merum bibliothecæ ornatum; aut illos impriment, vel ad eorum editionem sumptis prastant; incurrit excommunicationem Summo Pontifici reservatam. Sextus V. sub pena excommunicationis eodem modo reservata prohibuit libros de Astrologia judicaria, & divinatione de rebus contingenter futuris. De aliis libris prohibitis ab Ecclesia Pius IV. Conf. Dominici Gregorii, sic statuit. „ Si quis ad verlus eas Regulas (*Indicis*), prohibitionemque fecerit, is quidem, qui hæretorum libros, vel cuiusvis auctoris scripta propter hæresim, vel falsi dogmatis suspicionem damnata, atque prohibita legerit, habueritve, ipso jure in excommunicationis penam incedat, eamque ob causam in

„ eam tamquam de hæresi suspe-
„ etum inquire , & procedi li-
„ ceat, præter alias penas super
„ hoc ab Apostolica Sede, sacrif-
„ que Canonibus constitutas. Qui
„ autem libros alias de causa pro-
„ hibitos legerit, habueritve “
„ nisi a Pontificibus, ut fieri solet,
„ per Brevia, aut Bullas iisdem li-
„ bri sub excommunicationis pena
„ proscripti sint) „ præter peccati
„ mortalis reatum, Episcoporum
„ arbitrio severè se noverit pu-
„ niendum “. Ex quibus intelli-
„ ges, manuscripta etiam prohibita
„ censeri in prohibitione librorum.
Ex regula Clementis VIII. libri
a S. Sede proscripti uno idioma-
te, in quamcumque linguam ver-
tantur, censentur interdicti sub
iisdem penis. Ex responso S.
Congregationis Indicis decreta
prohibitionis librorum edita Ro-
ma, ligant universos omnino
Christianos, & contra transgres-
sores Episcopi procedere possunt.
De methodo servanda in exami-
ne, & proscriptione librorum,
vide Constitutionem Benedicti
XIV. que incipit, *Sollicita-*

SECTIO II.

De Spe.

Q. I. **Q**uid sit Spes? & an Christiani teneantur ex præcepto actum Spei elicere, & quoties?

R. Spes est virtus a Deo infusa, per quam certa fiducia vitam æternam a Deo expectamus, & tamquam gratiam Filiis Dei misericorditer promissam (a), & tamquam mercudem ex ipso Dei promissione bonis ipsorum operibus fideliter reddendam, ut loquitur S. Synodus Tridentina sess. 6. cap. 16. Hujus virtutis actum Christiani tenentur sub præcepto elicere. Ait enim Scriptura (b): *Spera in Deo tuo semper.* Tenentur autem aliquando per se, aliquando per accidens. Per se quidem, 1. cum perveniunt ad usum rationis, quia tunc debent se convertere ad Deum, ipsumque sperare, ut hereditatem suam, pro qua possidenda conditi sunt. 2. In mortis periculo, quia tunc munire se debent, ne peccatorum multitudine, & gravitate in desperationem inducantur. 3. Sæpius in vita, juxta quod de fide jam diximus.

Per accidens tenetur homo spei actum elicere, 1. cum tenetur ad iustificationem se præparare; tunc enim convertere se debet ad Divinam Misericordiam considerandam, 2. Cum de desperatione tentatur, quia debet contrario actu resistere. 3. Cum aliis temptationibus superandis necessarius est actus spei, ut si quis spem suam languentem animadvertat, seque magis affici rebus temporalibus, quam æternis.

4. Cum

(a) Haec particulæ denotant, sima sunt Dei omnipotentia beatitudinem nonnisi auxilio Dei obtineri posse. Quare motivum, & fundamenta spei nostræ potissimum.

xiliatrix, infinita ejus misericordia, & merita Christi.

(b) Osc. 12.

4. Cum urget præceptum amoris Dei, quia nemo potest Deum diligere, quin speret in ipsum. 5. Cum urget præceptum orationis: nam frustra petitur, quod non speratur. Denique in adversitatibus valde expedit, ut homo futurorum expectatione bonorum se roboret, juxta illud Rom. 12. *Sæpe gaudentes: in tribulatioæ patientes.*

Q. 2. Quæ sint vitia spei opposita?

R. Duo extrema vitia spei opponuntur, desperatio, & præsumptio. Desperatio est maxime periculosa: nam ut ait S. Thomas (a), *sublata spe, irrefrænate homines labuntur in vita, & a bonis operibus retrahuntur.* Lethalis desperationis crimen incurunt, 1. qui suorum scelerum multitudine, & gravitate perterriti, veniam desperant, imitantes Cain, qui dicebat. (b): *Major est iniquitas mea, quam ut veniam merear.* 2. Qui pravarum suarum cupiditatum vehementiam considerantes, suamque ad agendum imbecillitatem superare eam per Dei gratiam desperant, intarimque se ad omne scelus projiciunt. De his scribit Apostolus (c): *Desperantes, semetipos trididerunt impudicitie, in operationem immunditiæ omnis.* 3. Qui spectata magnitudine cælestis gloriæ, & conditionis humanæ vilitate, adeo pusilli sunt, ut ad illam aspirare non audeant. Isti videntur esse increduli divinis promissionibus. 4. Contra spem peccant ibi, qui ad orandum sunt pigriores, spemque abjiciunt, propterea quod in longum differri vident id, quod sperant, non attendentes, quod quædam a Deo non negantur, sed ut congruo dentur tempore, differuntur, ut ait S. Augustinus (d).

Lethalis autem præsumptionis rei sunt contra præceptum spei, 1. Qui in carne, & homine magis, quam

(a) 2. 2. q. 20. 2. 2.
(c) Ephes. 4.

(b) Gen. 4.
(d) Tract. 102. in Jeau.

quam in Dei auxilio confidunt, puta, si magis ex suis divitiis, ex industria, ex amicorum multitudine, aut Principum favore, quam ex Dei bonitate sperent vitæ subsidia; aut magis in labore, & ingenii viribus confidant, quam in Dei lumine, ad scientiam comparandam; aut universam Dei legem se impleturos, vel in gratia se perseveraturos confidant, sine speciali Dei auxilio. Contra hos dicitur Jerem. 17. *Maledictus homo, qui confidit in homine, & ponit carnem brachium suum, & a Domino recidit cor ejus.* 2. Qui sperant, se permanentes in peccato misericordiam consequenturos; aut si vitam quandoque in melius mutare proponant, id tamen in dies ita differunt, ac si de dono pœnitentiae accipiendo certi essent. Unde S. Thomas (a): *Peccare, inquit. cum proposito perseverandi in peccato sub spe venie, ad præsumptionem pertinet: & hoc non diminuit, sed auget peccatum.* 3. Qui quamvis crimina deserant, ad Sacra-menta tamen non confugiunt, ut veniam obtineant, nec Deum placare satagunt satisfactoriis operibus. Nam ut docet S. Thomas (b), est præsumptio per immoderantiam, cum aliquis sperat, se veniam obtine-re sine pœnitentia, vel gloriam sine meritis. *Hæc autem præsumptio est proprie species peccati in Spiritum Sanctum.*

Q. 3. Quæ sint potissima ad spem concipiendam, abjiciendamque desperationem incitamenta?

R. Cum diabolus objecta peccatorum nostrorum multitudine, & gravitate, in desperationem inducere nos tentat, maxime in mortis articulo, tunc in divinam Misericordiam spem nostram conjicere debemus, sicut anchoram animæ tutam, ac firmam ut loquitur Apostolus, (c): debemus tunc respicere in Deum Creatorem, Patrem, in Redemptorem no-strum, in ejus Passionem, in vulnera pro nobis fu-scepta,

(a) 2. 2. q. 21. 2. 2. ad 3.

(b) Ibid. 2. 2.

(c) Hebr. 6.

scepta, in Sanguinem pro nobis effusum: tunc debemus diabolo obficere illud S. Bernardi: *Fateor, indignus sum Regno Cœlorum; sed duplice jure obtinens illud Dominus meus, hereditate Patris, & merito Passionis, altero ipse contemptus, alterum mibi donavit. Cujus beneficio illud mibi vindicare non erubesco.* Illud etiam S. Augustini (a) debemus in mentem revocare: *Plus est jam quod fecit, quam quod promisit. Quid fecit? Mortuus est pro te. Quid promisit? Ut vivas cum illo Incredibilis est, quod mortuus est Eternus, quam ut in eternum vivat mortalis Si propter hominem mortuus est Deus, non est victurus homo cum Deo? Non est victurus immortalis in eternum, propter quem mortuus est, qui vivit in eternum?*

SECTIO III.

De Charitate.

CUM charitas sit *virtus*, qua Deus propter seipsum, & super omnia diligitur, & Proximus propter Deum; hinc dicendum est 1. de dilectione Dei. 2. De dilectione Proximi. 3. De vitiis charitati oppositis.

CAPUT I.

De Dilectione Dei.

Q. 1. **A**N detur speciale præceptum amoris Dei?
R. Affirmative ex Christi oraculo (b): *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.* Quæ verba S. Thomæ (c) ita commentatur: „Præcepitur nobis, ut tota nostra intentio feratur in Deum, quod est ex toto corde: & quod intellectus noster subdatur Deo, quod est ex tota mente: & quod appetitus noster reguletur secundum Deum, quod est ex tota anima: & quod exterior actus noster obediat Deo, quod

Tom. III.

Q

,, est

(a) In Psal. 148. n. 3. (b) Macch. 22. (c) 2. 2. q. 44. a. 5.

„ est ex tota fortitudine, vel virtute, vel viribus Deum diligere „. Cum ergo hoc primum, & maximum mandatum sit ab aliis distinctum, ipsa satis non sit per aliorum præceptorum impletionem, nec proinde effectivus dumtaxat, sed affectivus etiam amor Dei hominibus præcipitur. Nec tale præceptum impletur amore habituali: nam præcepta non dantur de habitibus, sed de actibus virtutum. Unde S. Augustinus (*a*): *Charitatem, inquit voco motum animi ad fruendum Deo propter ipsum, & se, atque proximo propter Deum.*

Q. 2. Quoties teneamur elicere actum amoris Dei?

*R. Etsi actus charitatis sit in præcepto, non præcipitur tamen perennitas hujus actus. Hæc enim perennitas, qua totum semper cor ad Deum actu feratur, est propria Cælitum. Itaque tenetur homo saepius in vita actum charitatis elicere. Alexander VIII. hæreticam declaravit hanc propositionem: Finem ultimum homo non tenetur amare, neque in principio, neque in decursu sue vitæ moralis. Quoties autem homo beat amoris actum elicere; ut præcepto satisfaciat, explicemus necesse est. Sed notandum sunt primum propositiones damnatae ab Innocentio XI. videlicet = *An peccet mortaliter, qui aetum dilectionis Dei semel tantum in vita eliceret, condemnare non audeamus* = *Probabile est, ne singulis quidem rigorose quinquenniis per se obligare præceptum charitatis erga Deum* = *Tunc solum obligat, quando tenemur justificari, & non habemus aliam viam, qua justificari possimus.* Hinc damnata est hæc alia propositio: *Præceptum Dei per se tantum obligat in articulo mortis.* Non ergo impletur præceptum amoris Dei, si actus charitatis eliciatur vel semel in vita, vel singulis quinquenniis, vel cum debet quis justificari, vel tantum in mortis articulo.*

Itaque

Itaque præceptum charitatis per se obligat ad eliciendum actum amoris Dei, 1. cum primum incipit homo ratione uti, quia tunc debet se ad Deum convertere, ut ad finem ultimum (a); non enim rationem accepit, nisi ut discerneret, quamprimum potest, quid sibi sit diligendum. 2. In mortis periculo: nam tunc ad beatitudinem promerendam debet homo conari omni studio, sequè, ac vitam suam Deo in sacrificium offerre, ut Christiane dedecat. 3. Toto vitæ hujus tempore divini amoris actus exercere debemus quam frequentissimos possumus: nam dilectio vacari non potest, ut inquit S. Augustinus (b). Sane Tridentina Synodus docet (c), debere nos totis viribus eniti, ut in Christiana iustitia crescamus. Id autem fit per actus frequentissimos charitatis. Nam ex S. Augustino (d), *charitas inchoata; inchoata iustitia est; charitas provecta, provecta iustitia est; charitas magna iustitia est; charitas perfecta, perfecta iustitia est.* 4. Potissimum tenetur homo actum charitatis elicere, cum ingens aliquod beneficium a Deo accepit, alias erit ingratus, amantem non redamando.

Præceptum eliciendi actum amoris Dei obligat per accidens, 1. cum ad justificationem quis præparare se debet: adulti enim disponuntur ad justificationem, cum Deum tamquam omnis iustitiae fontem diligere incipiunt (e). 2. Cum quis ad Eucharistiam accedit, quæ sacramentum charitatis est, ut in Christo maneamus, sicut ille in nobis. 4. Cum gravis urget tentatio, periculumque est, ne separemur a charitate; tunc enim debemus Deo adhærere, firmumque habere propositum non peccandi. 4. Amor Dei præcipue excitandus est, cum de ipsius odio ten-

Q 2

ta-

(a) S. Th. 1. 2. q. 89. 2. 6. ad 3. (b) Enar. 2. in Psal. 31. n. 5.

(c) Sess. 6. c. 16. (d) Lib. de natura, &c. grat. cap. ult.

(e) Trid. sess. 6. cap. 6.

tamur, 5. Cum Deum contemni blasphemis, aliove gravi scelere offendit videmus: nam zelum, qui habet hostes Dei suos inimicos putat, juxta illud Psalmus 118. *Tabescere me fecit zelus, meus, quia oblitii sunt verba tua inimici mei.*

C A P U T II.

De Dilectione Proximi.

UT ordine procedamus, agemus 1. de dilectione proximi secundum se, 2. de dilectione inimicorum, 3. de beneficentia, & eleemosyna, 4. de correctione fraterna.

ARTICULUS I.

De dilectione Proximi secundum seipsum,

Q. 1. **A**N teneamur proximum diligere amore interno, & affectivo?

R. Affirmative: nam proximum diligimus ea charitate, qua diligimus Deum. Porro interni amoris affectu Deum diligere debemus; igitur eodem modo tenemur & proximum diligere. Solis ergo actibus externis mandatum de proximi dilectione non impletur. Unde Apostolus ait 1. Cor. 13. *Si distribuerem cibos pauperum omnes facultates meas..... charitatem autem non habuero, nihil prodest.* Hinc merito Innocentius XI. has propositiones damnavit: *Non tenemur proximum diligere actu interno, & formaliter = Praecepto proximum diligendi satisfacere possumus per solos actus externos.*

Q. 2. **Quomodo** proximum sicut nos ipsos diligere teneamur?

R. Id

R. Id præclare explicat S. Thomas (a), proximum scilicet sicut nos ipsos diligere nos debere tripliciter. 1. Ex parte finis, ut illum diligamus propter Deum, sicut nos ipsos propter Deum diligere debemus; *ut sit dilectio proximi sancta*. 2. Ex parte regulæ dilectionis; *ut scilicet aliquis non condescendat proximo in aliquo malo, sed solum in bonis*, sicut & nostræ voluntati satisfacere debemus solum in bonis: *ut sit dilectio proximi justa*. 3. Ex parte rationis dilectionis, ut non diligamus proximum propter utilitatem, vel delectationem propriam, sed propter ejus bonum: *ut sit dilectio proximi vera*. Unde Sanctus Augustinus (b): *Ille, inquit, veraciter amat amicum, qui Deum amat in amico, aut quia est in illo, aut ut sit in illo*. Præceptum ergo de dilectione proximi non implet, nisi qui proximum ad Deum adducere conatur, ipsique æterna bona procurare nititur, & quæcumque auxilia ei præbere potest, ut facilius ad Deum perveniat: alioquin non diligit illum sicut seipsum, nec ea dilectione, qua Christus dilexit nos; quæ quidem non ad mundi delicias, opes, dignitates, sed ad spiritualia bona nobis comparanda, Christum perpetuo incitabat. Ait autem Christus (c): *Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem, sicut dlexi vos*. Jure ergo Innocentius XI. confixit hanc propositionem: *Si cum debita moderatione facias, potes absque peccato mortali de vita aliquis tristari, & de illius morte naturali gaudere, illam ineffaci affectu petere, & desiderare, non quidem ex displicientia personæ, sed ob aliquod temporale emolumen-tum*. Qui enim ita affectus est erga proximum, ipsum non diligit sicut seipsum, neque ut Christus dilexit nos, qui animam suam pro nobis posuit.

Q. 3. Qui sint fraternali charitatis characteres?

Q. 3

R. II.

(a) 2. 2. q. 44. 2. 7.

(b) Ser. 336. al. de temp. 256. c. 2.

(c) Joan. 13.

R. Illos describit Apostolus (a): *Charitas*, inquit, *Patiens est*, seu fert proximi defectus, ut ejus salutem procuret; *benigna est*, ut illum Christo lucretur; *Charitas non æmularit*, hoc est ejus prosperitati non invidet; *non agit perperam*, seu illi impedimenta non ponit in via salutis; *non instatur*, idest proximum non contemnit ob proprias dotes, ac bona; *non est ambitiosa*, ut ei dominetur; *non querit*, quæ sua sunt, ut pie ei serviat; *non irritatur*, injuriis laceffita, ut vindictam exposcat; *non cogitat malum*, sed querit dumtaxat emendationem proximi, dum ei peccanti pœnas infligit; *non gaudet super iniquitate*, quia illam deflet; *congaudet veritati*, quia favet proximi virtutibus; *omnia suffert*, præ expectatione felicitatis æternæ; *omnia credit*, præ revelatione Dei; *omnia sperat*, præ fiducia in fidelitate, & potentia pollicentis; *omnia sustinet*, præ desiderio liberationis æternæ.

Q. 4. Quæ sint officia fraternæ charitatis?

R. Ex præcepto charitatis oritur 1. ut benevoli simus, idest nulla malitia, nullo dolo adversus hominem utamur: nam *dilectio proximi malum non operatur* (b). Peccatur autem in proximum, vel si lædatur, vel si cum fieri potest, non adjuvetur. 2. Ut proximo benefaciamus, sive quoad corpus, sive quoad animam; quoad corpus, illi prælando quidquid corporis tuerit, vel instaurat salutem, & contra externos ictus, casusque servat; atque id dicitur *medicina*. Quoad animam, adhibendo coercionem, & instructionem; quod dicitur *disciplina*. 3. Ut proximi onera portemus. Unde ait Apostolus (c): *Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi*. Ut autem onera proximi, sive ejus defectus facile portemus, debemus in memoriam revocare

San-

(a) 1. Cor. 13.

(b) Rom. 13.

(c) Gal. 6.

Sancti Augustini monita, qui l. de diversis quæst. 83.
 q. 71. Neque ulla res, inquit, officiosum istum laborem
 ad portanda onera aliorum facit libenter impendi, nisi cum
 cogitamus, quanta pro nobis pertulerit Dominus Et
 considerare debemus, quod ægritudinem sive animi, sive
 corporis, quam in alio homine, videmus, etiam nos babere
 potuimus, aut possumus Deinde etiam illud cogitan-
 dum, nullum esse hominem, qui non possit babere aliquod
 bonum, quod tu nondum babes; etiam lateat, in quo
 possit te esse superior Ista cogitationes deprimentes su-
 perbiam, & acuentes charitatem, faciunt onera fratrum
 invicem, non solum æquo animo, sed etiam libentissime
 sustineri.

Q. 5. An ordo in charitate servari debeat?

R. Affirmative; Dicitur enim Cantic. 2. Ordinavit
in me charitatem. Is autem ordo in charitate servan-
 dus est, ut Deum præ omnibus diligamus, deinde
 nos ipsos secundum Deum, tum proximum, cuius
 animæ salus proprio corpore charior nobis, esse debet:
 inter proximos vero primum parentes, & consan-
 guineos; deinde amicos; postremo omnes homines.
Qua de re legendus est S. Thomas 2. 2. q. 26.

Verum nota, ordinem charitatis non perverti,
 cum circa res proximi magis occupamur, quam cir-
 ca Deum, resque Dei, modo hominis dilectio dilec-
 tionis Dei non præponatur. Nam ut docet S. Ber-
 nardus (a), activa caritas inferiora præfert, utpo-
 te quæ opera ejus magis egeant; affectiva vero su-
 periora.

*Q. 6. An proximo spiritualem extremam necessi-
 tam patienti, subvenire teneamur, etiam cum
 certo mortis periculo?*

R. Ex S. Thoma (b) „ Non est de necessitate cha-
 Q. 4 „ rita-

(a) Serm. 50. in Cantica. (b) 2. 2. q. 26. 2. 5. ad 3.

„ ritatis, quod homo proprium corpus exponat pro
 „ salute proximi, nisi in casu, quo tenetur ejus sa-
 „ luti providere. Sed quod aliquis sponte ad hoc se
 „ offerat, pertinet ad perfectionem charitatis, „
 Si quis ergo videret quempiam ab infidelibus seduci,
 vel infantem Christianorum filium moritum sine
 baptismo, nisi ipsis succurreretur, deberet vitam
 exponere, ut illis subveniret, absentibus, vel re-
 cufantibus iis, quibus ex officio incumbit. Multo
 autem magis tenentur Episcopi, & Pastores succur-
 rere ovibus suis cum vita suæ periculo, si istæ gra-
 vem necessitatem spiritualem patientur. Ait enim
 Christus (*a*): *Bonus Pastor animam suam dat pro ovi-
 bus suis.*

ARTICULUS II.

De Dilectione inimicorum.

Q. I. **A**NEX præcepto charitatis teneamus inimi-
 cos diligere?

R. Affirmative ex verbis Christi Domini (*b*): *Di-
 ligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos.* Huic præcepto sese opponunt, qui inimicos odio ha-
 bent, qui eis grave malum optant, vel imprecantur,
 aut de illorum adversitate gaudent. Si quis autem
 vel inimico, vel alteri leve malum imprecatur,
 vel maledictionis verba profert *ex levi motu, vel ex
 ludo, aut ex subreptione aliqua, ut frequenter acci-
 dit mulierculis, quæ maritis etiam, aut filiis, im-
 mo & sibi ipsis mortem imprecantur ex ira, aut
 mœrore, cum tamen ita sint affectæ, ut de eorum
 morte dolerent, ejusque periculum ab ipsis avertere
 pro viribus niterentur, imprecatio est peccatum ve-
 niale*

niale, quia peccata verborum maxime ex affectu pensantur (a).

Q. 2. An omnis dilectio inimicorum sit de necessitate charitatis?

*R. Cum D. Thoma (b) „Dilectio inimicorum tripli-
citer potest considerari. Uno quidem modo, ut inimici diligen-
tetur, in quantum sunt inimici: & hoc est perversum, & charitati repugnans,
quia hoc est diligere malum alterius. Alio modo
potest accipi dilectio inimicorum quantum ad na-
turam, scilicet in universali: & sic dilectio ini-
micorum est de necessitate charitatis; ut scilicet
aliquis diligens Deum, & proximum, ab illa ge-
neralitate dilectionis proximi inimicos suos non
excludat. Tertio modo potest considerari dilectio
inimicorum in speciali, ut scilicet aliquis in spe-
ciali moveatur motu dilectionis ad inimicum: &
istud non est de necessitate charitatis absolute,
quia nec etiam moveri motu dilectioni in speciali
ad quoslibet homines singulariter, est de necessi-
tate charitatis; quia hoc esset impossibile. Est
tamen de necessitate charitatis secundum præpa-
rationem animi scilicet quod homo habeat ani-
mum paratum ad hoc, quod in singulari inimi-
cum diligeret, si necessitas occurreret: sed quod
absque articulo necessitatis homo etiam hoc actu
impleat, ut diligat inimicum propter Deum, hoc
pertinet ad perfectionem charitatis“.*

*Q. 3. An teneamus aliqua signa dilectionis inimi-
cis exhibere?*

*R. Ex eodem S. Thoma (c) „Sunt quædam signa,
vel beneficia dilectionis, quæ exhibentur proxi-
mis in communis, puta, cum aliquis orat pro om-
nibus fidelibus, vel pro toto populo, aut cum ali-
quod beneficium impendit aliquis toti communi-
tati. Et talia beneficia, vel dilectionis signa ini-*

(a) S. Thom. 2. q. 76. a. 3. (b) 2. q. 25. a. 8. (c) Ibid. a. 9.

„ micis exhibere, est de necessitate præcepti . Si enim non exhiberentur inimicis, hoc pertineret „ ad livorem vindictæ.

„ Alia vero sunt beneficia, vel dilectionis signa, „ quæ quis exhibet particulariter aliquibus perso- „ nis . Et talia beneficia , vel dilectionis signa „ inimicis exhibere, non est de necessitate salutis, „ nisi secundum præparationem animi , ut scilicet „ subveniatur eis articulo necessitatis , secundum „ illud Prov. 25. *Si esurierit inimicus tuus, ciba il-* „ *lum; si sitierit, da illi potum.* Sed quod præter „ articulum necessitatis hujusmodi beneficia aliquis „ inimicis exhibeat, pertinet ad perfectionem cha- „ ritatis “.

Ex his autem colligitur 1. lethaliter peccare il- lum, qui inimicum non subvenit in articulo necel- litatis, cum potest. Est autem hujusmodi articu- lus, non solum quando proximus extreme indiget subsidiis spiritualibus, vel corporalibus; sed etiam cum in gravi periculo vitae, famæ, eversionis rerum suarum versatur. Item cum illius salutem verisimi- liter sperare licet, quæ aliqui periclitaretur. Aut cum scandalum metuitur, nisi particularia quædam benevolentiae signa inimico exhibeamus.

Colligitur 2. teneri nos salutationem, colloquium, speciales orationes &c. inimicis exhibere, cum id necessarium est ad vincendum odium , in quod propensi sumus, vel ad scandalum avertendum, uti contingit, cum consanguinei, vel affines in pri- mo gradu salutationem, colloquium, aliaque officia sibi negant; cumque filii parentes, aut frater fra- trem non vident, nec familiariter conivivunt, ut solebant ante orta dissidia . Denique tenemur spe- cialia signa dilectionis inimico exhibere, cum id necessarium est ad ipsum reconciliandum, reducen- dumque ad charitatem, juxta illud Eccl. 17. *Uni- cuique mandavit Deus de proximo suo.* Multo autem

ma-

magis tenemur inimico in odio pertinaci injuriam dimittere in præparatione animi, id est odium, malevolentiam, & vindictæ appetitum deponere. Quod nisi faciamus, lethaliter transgredimur præceptum Christi.

Q. 4. An teneamur signa benevolentia inimico veniam petenti exhibere?

R. Affirmative: nam alias transgrederemur divinum mandatum de dilectione inimicorum, & scandalum sequeretur, & inimicus ad novum odium excitaretur (*a*). Notandum est autem, quod licet signa benevolentia, seu reconciliationis talia debeant esse, ut sufficient ad significandam odii depositiōnem, comprobandamque charitatem; non tamen eadem, neque eodem modo sunt ab omnibus exigenda; quemadmodum nec ab omnibus exigendum est, ut veniam rogent, sed aliquibus satis est, ut vel salutationem, vel aliud signum benevolentia priores exhibeant. Alia enim signa reconciliationis debent filius patri, servus domino, subditus superiori, plubejus nobili, quam econtra: alia etiam sibi mutuo debent Nobiles, vel Clerici, aut Religiosi æquales. Nam pater, dominus, superior ita temperare debent benevolentia demonstratiōnem, ut correctionem, & disciplinam, si necesse sit, non remittant (*b*).

Q. 5. An teneamur inimico actionem juridicam remittere?

R. Ex S. Thoma (*c*), In vindicatione (*quaæ nempe fit per legitimum Judicem*) considerandus est vindicantis animus. Si enim ejus intentio feratur principaliter in malum illius, de quo vindictam sumit, & ibi quiescat, est omnino illicitum; quia

de-

(*a*) Vide S. Th. 2. 2. q. 83. a. 8.

(*b*) Vide S. Th. 2. 2. q. 108. a. 1. (*c*) Ibid.

„ delectari in malo alterius pertinet ad odium....
 „ Si vero intentio vindicantis feratur principaliter
 „ ad aliquod bonum , ad quod pervenitur per poe-
 „ nam peccantis, puta, ad emendationem peccan-
 „ tis, vel saltem ad cohibitionem ejus, & quietem
 „ aliorum, & ad justitiae conservationem, & ad
 „ Dei honorem, potest esse vindicatio licita, aliis
 „ debitibus circumstantiis servatis“: videlicet ne gra-
 vior pena exigatur, quam peccator meruerit , nec
 privata auctoritate infligatur: nam ut ait Aposto-
 lus Rom. 13. *Judices sunt vindices in iram eis, qui*
malum agunt. Nisi ergo actio juridica , sive satisfa-
 ctio pro injuria , vel damno , exigatur ex odio , aut
 alia prava intentione , illam exigere charitati non
 repugnat .

Et si autem is , qui ex animo parcit inimico ,
 possit ab eo restitutionem honoris , famæ , aut bo-
 norum externorum exigere , cavendum tamen est ,
 ne inimicus cum nimio suo damno urgeatur , vel
 talis restitutio apud Judicem postuletur , cum veniam
 inimicus petit , & satisfactionem congruam offert
 arbitrio prudentum: tunc enim actio juridica diffi-
 cile instituitur absque appetitu vindictæ . Cum vero
 agitur de poena capitis , aut mutilationis , similiue
 irroganda , ex qua nihil emolumenti provenit offen-
 fo , actio juridica exigi non debet , nisi intuitu di-
 vini honoris , & publicæ quietis , zeloque justitiae :
 illamque condonare plerumque expedit , si inimicus
 veniam petat , quia difficile exigitur absque ultionis
 libidine . Si tamen tale sit negotium , ut familia e-
 jus , qui læsus est , maneret infamis , nisi is , qui
 læsit , puniretur secundum leges , pœnam hujusmodi
 exigere licet .

Christiano autem magis expedit proprias injurias
 omnino remittere , ita ut illarum ultionem ne qui-
 dem publica auctoritate prosequatur ; id enim per-
 fectionis est ; nisi tamen in Deum , aut Ecclesiam

re-

redundent. Nam ut docet S. Thomas (*a*): *Injuria, quæ infertur personæ alicui, quandoque redundat in Deum, & in Ecclesiam: & tunc debet aliquis propriam injuriam uelisci . . . In quantum vero injuria in aliquem illata, ad ejus personam pertinet, debet eam tolerare patienter, si expediatur. Hujusmodi enim præcepta patientiæ intelligenda sunt secundum præparationem animi, ut S. Augustinus dicit in lib. de Serm. Dom. in monte.* Idem dicendum de injuriis proximorum, dummodo eorum ultio exigatur iustitiæ (*b*).

ARTICULUS III.

De Beneficentia, & Eleemosyna.

Q. 1. **B**eneficentia in quos, & quo ordine exercenda sit?

R. Etsi omnibus, & singulis hominibus benefacere homo non possit; nihilominus *charitas requirit, ut homo etiamsi non actu aliquibus benefaciat, habeat tamen in animi sui præparatione, ut benefaciat cuicunque, si tempus adesset. Aliquod tamen beneficium est, quod possumus omnibus impendere, si non in speciali, saltem in generali: sicut cum oramus pro omnibus fidelibus, & infidelibus.* Ita S. Thom. (*c*).

Hic autem ordo est in beneficentia servandus, ut videlicet beneficentia prius, & uberior in coniunctiores exhibeat, cæteris paribus. Quare parentes sunt omnibus aliis præferendi; nisi ex alia parte necessitas, aliave conditio præponderet, puta,

(*a*) 2. 2. q. 108. a. 2. ad 4. (*b*) Vide cit. art.

(*c*) 2 2. q. 51. a. 2. ad 1.

ta, communis utilitas Ecclesiæ, vel Reipublicæ. In aliis habenda est ratio conjunctionis, beneficii suscepti, & indigentie, juxta prudentis judicium (a). Certe in articulo extremæ necessitatis deferendi potius sunt filii, quam parentes (b). Habenda est etiam ratio sanctitatis; ideoque multo sanctiori magis indigentiam patienti, & magis utili ad commune bonum est magis eleemosyna danda, quam personæ propinquiori, maxime si non sit multum conjuncta, cuius cura specialis nobis imminet; & si magnam necessitatem non patiatur (c).

Q. 2. An teneatur homo ex præcepto charitatis eleemosynam erogare?

R. Si pauperes constituti sint in extrema necessitate, præcepto charitatis tenemur illis dare eleemosynam non solum ex superfluo naturæ, sed etiam ex necessario personæ. Necessaria personæ dicuntur ea, sine quibus servare quis non potest decentiam suæ conditionis, seu dignitatis. Superflua vero naturæ dicuntur illa, sine quibus sustentare quis potest se ipsum, & suam familiam. De superfluis naturæ constat: nam quando alius est in statu extremæ necessitatis, efficiuntur sibi omnia communia: unde et si per violentiam, vel furtum acciperet: non peccaret (d). Verum si quis haberet solum, unde ipse, ejusque familia sustentari posset, non deberet extremæ indigenti eleemosynam dare, nisi subtrahendo sibi, daret alicui magna personæ, per quam Ecclesia, vel Respublica sustentaretur; quia pro talis personæ liberatione, seipsum, & suos laudabiliter periculo mortis exponeret, cum bonum commune sit proprio præferendum (e). De necessario personæ idipsum probat ordo charitatis,

quo

(a) Ibid. a. 3. ad 3. (b) Ibid. ad 4. (c) Ibid. q. 32. p. 6.

(d) S. Thom. in 4^o d. 15. q. 2. a. 2. 1. q. 4. ad 2.

(e) 2. 2. q. 32. a. 6.

quō vita proximi præferenda est statui nostri decoris. Porro extrema etiam necessitas est, quando apparent signa probabilia extremae necessitatis futuræ, nisi ei subveniatur; ut cum aliquis vidiit alios impotentes, vel pigros ad subveniendum, & pauperem indigentem cibo, & potu, & aliis vitæ necessariis, nec sibi satisfacere posse. Non enim expectanda est ultima necessitas, quia tunc forte non posset juvari natura jam fame, vel siti consumpta (a).

Pauperibus in gravi necessitate constitutis tenetur homo dare eleemosynam etiam ex iis, quæ necessaria sunt servando sui status decori. Ita docet (b) S. Thomas: *Est aliquid tempus, inquit, in quo (homo) mortaliter peccat, si eleemosynam dare omittat.* Ex parte quidem recipientis, cum appareret evidens, & urgens necessitas, nec appareret in promptu qui ei subveniat. Ex parte vero dantis, cum habet superflua, quæ secundum statum præsentem non sunt sibi necessaria. Hanc necessitatem idem S. Thomas (c) nomine extremae necessitatis significavit.

Superflua personæ, seu quæ necessaria non sunt servando sui status decori, tenetur homo erogare pauperibus communem necessitatem patientibus. Unde S. Thomas (d) docet, præceptum eleemosynæ faciendæ obligare ex parte dantis, quando habet homo multa, quibus non indiget, neque ad sustentationem vitæ sui, & suorum, neque ad decentem status sui conservationem, et si pauperes extremae necessitatis non compareant. Subdit autem (e): *Quia multi sunt necessitatem patientes, & non potest ex eadem re omnibus subveniri, committitur arbitrio uniuscujusque dispensatio propriarum rerum, ut ea eis subveniat necessitatem patientem.*

(a) Loco cit. Sent. ad 4. (b) 2. 2. q. 32. a. 5. ad 3.

(c) Art. eod. (d) Loco cit. Sent. ad 4.

(e) 2. 2. q. 66. a. 7.

tientibus; servato namque charitatis ordine. Vide quæ diximus P. i. bujus lib. tract. 3. c. 2. a. 2. §. 5. q. 1. (a).

Q. 3. Quæ sint motiva incitantia ad eleemosynam erogandam?

R. Ad eleemosynam maxime impellunt duo præcipui fructus, qui ex ipsa percipiuntur: alter quod eleemosyna expientur, ac redimantur peccata, Deusque peccatoribus propitius reddatur, juxta illud Tob. 12. eleemosyna a morte liberat, & ipsa est, quæ purgat peccata, & facit invenire misericordiam, & vitam æternam. Alter quod Christus sibi debitorum facit, qui eleemosynam erogat. Ait enim: *Quod uni ex minimis meis fecisti, mihi fecisti.*

Q. 4. Quibus eroganda sit eleemosyna?

R. Cum Scriptura dicat Tob. 4. *Noli avertere faciem tuam ab ullo paupere;* eleemosyna proinde eroganda est omnibus pauperibus etiam improbis, modo tamen non foveatur eorum improbitas. Quare non ita facile, & copiose eroganda est eleemosyna validis mendicantibus, ignavis, otiosis, qui labo-

rare

(a) Benedictus XIV. in Litteris ad Episcopos Dictionis Ecclesiastice T. i. Bull. loquens de permittenda pauperibus spicarum collectione post messem, ait, *cetera non satis ratione constare, an quod veteri lege cœtum est (de tali permissione), Nova abrogatum sit.* Hinc subdit, monrem hunc restituendum omnino esse, ubi jam invaluerat; induci vero debere, ubi non est receptus. In aliis Litteris T. 3. Bull. iussit, ut in Statu Ecclesiæ nemini pauperum hæc collectio impediatur. Ut vero consuleret indemnitati Dominorum, statuit, nemini licere ingredi prædia, seu regiones prædiorum nisi postquam

manipuli translati fuerint in nubilarium; his autem translatis, a nemine per decem dies prohiberi posse pauperes, quominus colligant spicas relictas, nec interim animalia immitti posse in agros: pâta vero quæcumque ad formam suarum Litterarum reducit. Denique adjecta pena pecuniaria in transgressores declarat, tot censendas esse transgressiones, quot sunt regiones, vulgo quarri, ex quibus pauperes exclusi fuerint. Decernit vero, ut multæ, deductis expensis necessariis, distribuantur pauperibus locorum, onerata super earum exactione conscientia exactorum.

rare nolunt, cum possunt; foveretur enim eorum
ignavia, & otiositas: nam inquit Apostolus (*a*):
Si quis non vult operari, nec manducet. Sic ergo ser-
vari debet modus in eleemosynis, ut non profun-
datur in indignos, quod dignioribus debebatur.
Præferendi etiam sunt magis indigentes. Nam ut
ait S. Ambrosius (*b*), *non solas aures præbere debe-
mus audiendis precantium vocibus, sed etiam oculos
considerandis necessitatibus.* Severiori tamen examine
non sunt discutiendi pauperes, nec curiosus inqui-
rendum, an paupertatem simulent (*c*). Potissimum
vero subveniendum est illis, qui præ verecundia e-
leemosynam petere non audent. Quo facit illud
S. Augustini (*d*): „Curiosi estote ad ista: inve-
„nietis multorum Dei servorum indigentiam, tan-
„tum ut velitis invenire. Sed quia delectat vos ex-
„cusatio, qua vultis dicere, nesciebamus, propte-
„rea non invenitis.“

*Q. 5. Quæ sint conditiones Christianæ eleemo-
synæ?*

R. Prima conditio est, ut eleemosyna sit liberalis,
habita ratione facultatum, ut tali modo aliqua in-
ter pauperes, & divites constituantur æqualitas. 2.
ut fiat prompte, & cum hilaritate, *Hilarem enim
datorem diligit Deus* (*e*). 3. ut sit humilis, juxta il-
lud (*f*) Christi Domini: *Sit eleemosyna tua in ab-
scondito, & Pater tuus, qui videt in abscondito, red-
det tibi.* 4. ut sit justa, scilicet ex bonis propriis,
non ex alienis, & male partis.

Pro quo notandum ex S. Thoma (*g*), tripliciter
esse aliquid illicite acquisitum, 1. quia debetur ei,
a quo est acquisitum, ut in furto: & de hoc ele-

Tom. III.

R

mo-

(*a*) 2. Thefs. 3. (*b*) L. 2. de offic. c. 16.

(*c*) Vide Chrysost. Hom. xi. in Epist. ad Hebr.

(*d*) In Psal. 103. Serm. 3. p. 10. (*e*) 2. Cor. 9.

(*f*) Matth. 6. (*g*) 2. 2. q. 32. ar. 7.

mosyna erogari non potest. 2. quia est quidem in-
juste acquisitum, sed non debetur ei, a quo est ac-
quisitum, ut in simonia: & hoc debet in eleemo-
synas erogari: idemque dicendum in similibus, in
quibus datio, & acceptio est contra legem. 3. quia
licet id, ex quo acquiritur, sit illicitum, ipsa ta-
men acquisitio illicita non est, ut in eo quod mu-
lier per meretricium acquisivit: & de hoc fieri po-
test eleemosyna.

Q. 6. An Monachus facere eleemosynas possit?

*R. Si Monacho credita non sit dispensatio, vel
administratio bonorum Monasterii; eleemosynas fa-
cere non potest absque Superioris licentia, vel ex-
pressa, vel probabiliter præsumpta, nisi in extrema
necessitate constitutis eleemosynam faciat, aut ab-
sente Superiore det aliquid modicum sub spe rati-
habitionis. Idem dicendum de rebus a parentibus,
aliisve Monacho datis; est enim ipse non solum
domini incapax, sed & legitimi usus, nisi prout ei
conceditur a Superiore. Si autem administratio, vel
dispensatio bonorum Monasterii sit Monacho com-
missa, facere potest debitas (*a*) præscriptas, aut
solitas eleemosynas. Similiter si ei concedatur fa-
cultas expendendi aliquid in religiosos, & pios usus
pro sua voluntate, potest ex eis, quorum usus ipsi
conceditur eleemosynas erogare, sive sit in Mona-
ste-*

(*a*) *Etsi Monachi peculiares
nihil possint absque licentia pau-
peribus erogare; Monasteria ta-
men Religiosorum, cum bonis
abundant, ad eleemosynas tenen-
tur de superfluis, utque eleemo-
synæ re ipsa fiant Superiores Mo-
nastrorum curare debent. Nam
si tenentur laici qua superfluent,
dare pauperibus; multo magis
Monasteria, quibus collati sunt
redditus, non ut ditescant, vel*

*ut in res minime necessarias il-
los impendant, sed ut alantur
Frates tamquam Dei Ministri,
& quod reliquum est, in opera
pietatis impendatur. In suble-
vandis vero pauperibus, præci-
puam rationem Superiores habere
debent aliorum Monasteriorum c-
judem Ordinis, quæ si egeant,
sunt aliis extrancis pauperibus
præferenda.*

sterio, sive extra : unde ex congiario, aut viatico, seu pensione sibi concessa ad victimum, & vestitum, si quid residuum fuerit, ex hoc parsimoniae suae fructu recreare potest pauperes ; quia ut ait (*a*) S.Thomas, *cum dantur ei expense, committitur ei earum dispensatio*. Denique Religiosus Parochus, aut alio Beneficio Ecclesiastico auctus, eleemosynas dare potest ex fructibus sui Beneficii, cum eorum sit administrator, ac dispensator.

Q. 7. An uxor possit aliquid in eleemosynas erogare?

R. Uxor ex bonis mariti, vel ex boni communibus, quorum administratio ad maritum pertinet, non potest eleemosynas erogare absque ejus consensu, vel expresso, vel præsumpto ; nisi forte eleemosynæ sint modicæ, quæ a mulieribus ejusdem conditionis fieri confueverunt ; aut pauperes in extrema sint necessitate constituti (*b*). Si tamen maritus absens esset, vel mentis impos ; vel uxor certum quid ad ornamenta, & honestas expensas concederet ; aut si uxor attulerit viro sufficientem dotem, & nihilominus arte, vel industria aliquid lucretur, non deserendo familiae curam ; aut bona paraphernalia habeat ; ex iis potest uxor, marito inconsulto eleemosynas erogare, modo sint moderatae, ne ex earum superfluitate vir depauperetur (*c*). Idem dicendum de rebus viri, quæ ex approbato more solent dispensari ab uxore, ut sunt panis, vinum, & similia : & licet aliquando id vir prohibeat, potest uxor prudenter judicare, quod prohibuerit ore ad temperandum excessum, non corde ; vel conscientiam sibi formare ex conditione pauperis, quæ si

R 2

ma-

(*a*) In 4. d. 15. q. 2. ar. 5. q. 4.

(*b*) Vide hac de re S. August. Epist. 252. al. 199.

(*c*) S. Thom. 2. q. 32. ar. 8. ad 2.

marito comperta esset, omnino probaret eleemosynæ largitionem. Si autem uxori constet, quod viro displiceat, indeque vir scandalum sumat, ab eroganda eleemosyna debet abstinere (a).

Q. 8. Quid de eleemosyna filiorum familias?

R. Filius familias non potest absque licentia patris eleemosynam facere, nisi forte aliquam modicam, de qua potest presumere, quod patri placeat (b). Potest tamen ex iis, quorum dispensatio ipsi a patre commissa est, eleemosynam largiri. Item si de consensu patris iter agat, si studiorum causa absit, si parentum negotia gerat absens, potest eas eleemosynas dare, quas filii familias paris conditionis dare solent, & generatim omnes illas, quas patri non ingratas fore bona fide existimat. Præterea si quid sibi subtrahit ex iis, quæ pater concessit ad victimum, vel ad honestos usus, potest illud pauperibus dare. Ex peculio etiam castrensi, vel quasi castrensi dare potest eleemosynas, etiam invito patre, quia utriusque peculii dominium habet, liberamque administrationem. Ex peculio adventitio id non potest absque consensu patris, cum talis peculii administratione careat, quamdui est sub potestate patris. Multo minus id potest ex peculio profectitio, cum hujus peculii proprietas sit penes patrem.

Q. 9. An famuli, & ancillæ eleemosynam dare queant?

R. Ex S. Thoma (c): „ Dicendum, inquit, de servis, & ancillis, & etiam de famulis, quamvis sint liberæ conditionis, quod non possunt eleemosynas dare de rebus dominorum sine eorum consensu, nisi panem, & hujusmodi, quæ non inferunt sensibile nōumentum; qui, et si sit di-

„ spen-

(a) S. Raym. l. 2. tit. 8. q. 6. (b) S. Thom. ar. cit. ad 3.

(c) In q. d. 15. q. 1. ar. 3. q. 3.

„ spensator rerum , non tamen ponitur dispensator
 „ quasi potestatem aliquam in re domini habens ,
 „ sed quasi tractans eam ad utilitatem domini . De
 „ pretio autem sui servitii constat , quod posset e-
 „ leemosynam dare . “

ARTICULUS IV.

De Correctione fraterna.

Q. 1. Estne præceptum de correctione fraterna facienda?

R. Affirmative. Ait enim Christus (a) : *Si peccaverit in te frater tuus , vade , & corripe eum inter te , & ipsum solum .* Sane si tenetur homo subvenire proximo corporaliter indigenti , multo magis indigenti spiritualiter . Hoc præcepto etsi omnes , & singuli teneantur , cum omnes , & singuli debeant proximum diligere ; nihilominus gravius obstringuntur Superiores , cujusmodi sunt Episcopi , Parochi , Prælati Regularium , mariti respectu uxorum , parentes respectu liberorum , Reges , & Judices respectu subditorum . Nam corripere tenentur suæ curæ commissos , cum ratione charitatis , tum ex officio : unde correctio in ipsis est actus justitiae , ideoque non solum fieri debet per admonitionem , sed quandoque etiam per punitionem (b) .

Q. 2. An subditi teneantur Prælatos corripere?

R. Affirmative ex S. Thoma (c) , quia correctio est actus charitatis , pertinens ad unumquemque respectu cuiusvis personæ , quæ correctione indiget . Subdit porro S. D. In correctione , qua subditi corrigit Prælatos , debet modus congruus adhiberi , ut scilicet non cum protervia , & duritia , sed cum mansuetudine , & reverentia corriganter . Unde Apostolus 1. ad Tim. 5.

R 3 ait :

(a) Matth. 18. (b) S. Thom. 2. 2. q. 33. art. 3.
 (c) Ibid. art. 4.

ait : Seniorem ne increpaveris , sed obsecra ut patrem . Nec etiam quilibet de vulgo debet Superiorem temere corripere , sed personas dignitate , ætate , pietate , prudentia graviores , Prælatisque magis familiares admonere , ut illos corrigan . Excipe , si periculum fidei immineret ; tunc enim etiam publice essent Prælati a subditis arguendi (a) .

Q. 3. An peccet peccator officium fraternæ correctionis alteri impendens ?

R. Negative ex S. Thoma (b) , siquidem peccatum non tollit omnino rectum iudicium rationis , secundum quod homo tenetur fratrem peccantem corripere . Si tamen peccatum corripiens notum fit , impedit emendationem proximi , tum quia ille redditur indignus , qui alium corripiat , precipue si majus peccatum commisit ; tum quia correctio fit indebita propter scandalum , videtur enim fieri potius propter ostentationem ; tum denique ob superbiam corripiens , qui seipsum proximo præfert , ac si esset justus .

Q. 4. An peccet mortaliter , qui non corripit lethaler peccantem ?

R. Præmittendum , neminem teneri peccatores quaerere , quos corripiat , aut inquirere in aliorum vitam , juxta illud Prov. 24. Ne queras impietatem in domo justa ; nisi tamen personæ commissæ sint peculiari alicujus curæ , ut enim docet S. Thomas (c)

„ Illud , quod debetur alicui certæ , & determinata personæ , sive sit bonum corporale , sive spirituale , oportet , quod ei impendamus , non exceptantes , quod nobis occurrat , sed debitam sollicitudinem habentes , ut eum inquiramus . Unde ... qui habet spiritualiter curam alicujus , debet eum quaerere ad hoc , quod eum corrigat de

„ pec-

(a) Ibid. ar. 2. (b) Ibid. ar. 5.

(c) 2. 2. q. 33. ar. 2. ad 4.

„ peccato. Sed illa beneficia , quæ non debentur
 „ certæ personæ , sed communiter omnibus proximis , sive sint corporalia , sive spiritualia , non oportet nos querere , quibus impendamus , sed sufficit , quod impendamus eis , qui nobis occurunt .“
 Qui ergo superiores non sunt , satis implent præceptum fraternæ correctionis , si obvios , & coram se peccantes corripiant .

Hoc prænotato , dicendum cum eodem S. Thoma (a) „ quod correctio fraterna tripliciter omitti potest . Uno quidem modo meritorie , quando ex charitate aliquis correctionem omittit . Dicit enim Augustinus in 1. de Civ. Dei : Si propterea quisque objurgandis , & corripiendis male agentibus parcit , quia opportunum tempus inquiritur , vel eisdem ipsis metuit , ne deteriores ex hoc efficiantur , vel ad bonam vitam , & piam eruditos impedianc aliquos infirmos , & premant , atque avertant a fide , non videtur esse cupiditatis occasio , sed consilium charitatis . Alio modo prætermittitur fraterna correctio cum peccato mortali , quando scilicet formidatur (ut ibi dicitur) judicium vulgi , & carnis excruciatio , vel peremptio , dum tamen haec ita dominantur in animo , quod fraternæ charitati præponantur . Et hoc videtur contingere , quando aliquis præsumit de aliquo delinquente probabiliter , quod posset eum a peccato retrahere , & tamen propter timorem , vel cupiditatem prætermittit . Tertio modo hujusmodi omissione est peccatum veniale , quando timor , vel cupiditas tardiorum facit hominem ad corrigendum delicta fratris ; non tamen ita , quod si ei constaret , quod fratrem posset a peccato retrahere , propter timorem , vel cupiditatem di-

(a) Ibid. ad 3.

„ mitteret, quibus in animo suo preponit charita-
„ tem fraternalm. Et hoc modo quandoque viri
„ sancti negligunt corrigerem delinquentes. “

Ex quibus infertur, nullum esse peccatum, imo
a correctione desistendum esse, si quis probabiliter
existimet, quod peccator admonitionem non reci-
piat, sed ad pejora labatur: nam finis correctionis
est emendatio delinquentis, qui finis tunc non ha-
betur (a). Id tamen est intelligendum de correctio-
ne pure fraterna, quae fit ex charitate, non de ju-
diciaria, quae pertinet ad Praelatos, & vim cogendi
habet; haec enim omittenda non est, etiam si
probabile sit non profuturam ei, qui corrigitur; si
quidem hoc modo servatur ordo iustitiae, & unius
exempli alii deterrentur (b).

Quod si probabile sit, correctionem aliquando pro-
futuram, et si non statim sit utilis, nequaquam omit-
tenda est. Solerit enim fieri, & frequenter accidit, ut
homo ad horam contristetur, cum reprehenditur, &
resistat, & contendat; & tamen postea consideret secum
in silentio, ubi nemo est, nisi Deus, & ipse, nec timet
dispicere hominibus, quia corripitur; sed timet dispi-
cere Deo, quia non corrigitur. Ita S. Augustinus (c).

Q. 5. An secreta admonitio denunciationi pre-
mitti necessario debeat?

R. Si peccatum proximi est occultum, & soli pec-
canti, ac ei, in quem peccatur, noxiu[m], ordo cor-
rectionis a Christo prescriptus exigit, ut secreta ad-
monitio denunciationi premittatur: & is ordo sine
gravi peccato perverti non potest; nam eo servato,
consultitur famae proximi; eo inverso, correctio fit
proximo occasio ruinae: multi enim, cum se infamatos
conspiciunt, peccant absque fratre (d).

Si

(a) S. Thom. 2. 2. q. 33. ar. 6. (b) Ibid.

(c) Epist. 210. al. 87. (d) S. Thom. q. cit. ar. 7.

Si peccatum sit occultum, sed tamen vergat in nocumentum aliorum, sive corporale, sive spirituale, ut si haereticus privatim homines seducat; tunc quia ille, qui sic occulte peccat, non solum in te peccat, sed etiam in alios, oportet statim procedere ad denunciationem, ut hujusmodi nocumentum impediatur: nisi forte aliquis firmiter existimaret, quod statim per secretam admonitionem posset hujusmodi mala impediare (a). Id tamen cum de haeresi agitur, vix potest certo existimari (b): nam si haeretici nolunt audi-

re

(a) S. Thom. loco cit.

(b) Circa denunciationses, & casus, in quibus earum facienda-
rum exstet obligatio; obseruanda
sunt Decreta, cum Summorum
Pontificum, tum Ordinariorum,
& Inquisitorum in locis respecti-
ve. Denunciandi certe sunt 1.
haeretici, ac de haeresi suspecti,
schismatici, eorumque fautores,
defensores, & receptatores. 2.
Superstitiosi, sive cum expressa,
sive cum tacita dæmonis invoca-
tione. 3. Docentes, defendantes,
aut prædicantes aliquam ex pra-
vis damnatisque propositionibus.
4. Legentes, retinentes, impri-
mentes, aut imprimi facientes
libros haeresim continentes, aut
ex professo tractantes contra Re-
ligionem, eosque libros introdu-
centes, vel defendantes. 5. Re-
tinentes libros superstitionis. 6.
Qui post Professionem Religio-
fam matrimonium contraxerint.
7. Bigami, vel bigama. 8. Sol-
licitantes ad turpia in Sacramen-
to Pœnitentia. 9. Li qui cum Sa-
cerdotes non sint, Missam cele-
braverint, etiam non prolata for-
ma consecrationis, aut presum-
pserint administrare Sacramen-
tum Pœnitentia, etiam si ad a-

ctum absolutionis non devenerint. 10. Blasphemii blasphemis
haereticalibus. 11. Sacrarium ima-
ginum contemptores. 12. Coeun-
tes in præjudicium, contemptus
aut contra Religionem. 13. In-
ducentes Christanos ad ample-
tendam sectam Fidei Catholice ad-
veriam, Judæosve, aut Turcas a-
suscipiendo Baptismo impedi-
entes. 14. Denique omnes, & simi-
lili, quos denunciandos esse
præcipiunt Edicta Ordinariorum,
sive Inquisitorum.

Porro ad denunciandum tenen-
tur omnes sive mares, sive mu-
lieres, sive lacu ares, sive Re-
gelates, etiamsi crimen sit occul-
tum, nec excusat ferreum natu-
rale, etiam sub juramento non
revelandi; excepto tamen secreto
Sacramento. Tenerur etiam qui
crimen audivit a persona fide di-
gna. Et si plures crimen sciant,
& unus eorum denunciet, non
propterea alii ab onere denun-
ciandi liberantur. Qui intra præ-
fixum terminum non denunciaver-
it, peccat mortalius, & excom-
municationem incurrit Summo
Pontifici, & Ordinariis, seu In-
quisitoribus reservatam; nec pro-
pterea absolvitur onere denun-
ciandi;

re Ecclesiam, quomodo audient private corripien-
tem? Denunciandi sunt etiam absque prævia mo-
nitione magi, sortilegi, venefici, læsa Majestatis
rei (a), bonum enim commune præferendum est
bono privato.

De peccato publico, nemo dubitat, quin publi-
ce sit corripiendum, & absque prævia privata ad-
monitione denunciandum. Nam tunc non est tantum
adhibendum remedium ei, qui peccavit, ut melior fiat,
sed etiam aliis, in quorum notitiam devenit, ut non
scandalizentur (b).

*Q. 6. An subditus possit Prælato denunciare pec-
catum occultum fratris prius, quam testes adhi-
beat?*

*R. Ex S. Thoma (c), In his, inquit, distinguen-
dum est de conditionibus subditi, & Prælati.
Nam si ego scio, quod frater per me corrigetur,
tunc non debo hoc denunciare Prælato: si au-
tem videtur, quod hoc melius fiat per Prælatum,
& Prælatus nihilominus sit pius, discretus, &
spiritualis, non habens rancorem, seu odium ad-
versus illum subditum, tunc licite potest hoc de-
nunciare ipse, & tunc non dicit Ecclesiæ, quia
non dicit ei sicut Prælato, sed sicut personæ
proficienti ad correctionem proximi, & emen-
dam. Sed quia propter conditiones diversas Præ-
latorum, & subditorum non potest in hoc dari
generale iudicium: quia aliquando Prælatus vel*
, mo-

eiandi; nam terminus apponitur
ad follicitandam, non ad finien-
dam obligationem. Hæc obliga-
tio viget, etiam si deliquentem
delicti patrati pœnituerit.

Alexander VII. Constit. *Licet*
alias, Tom. 6. par. 5. Bull. Ro-
man. p. 81. expresse mandat,
hæreticos, vel de hæresi etiam
leviter suspectos denunciandos es-

se, nulla præmissa correctione
fraterna, aut alia monitione,
nullaque petita a Superioribus
venia; sub censuris, & pœnis
Sedi Apostolica reservatis.

(a) Idem dicendum de Confes-
sariis follicitantibus ad turpia,
juxta alibi dicta.

(b) S. Thom. 2. 2. q. 33. a. 7.
(c) Quodlib. 11. q. 10. a. 2.

„ movetur ad odium adversus subditum, vel subdi-
 „ tus non bene ferret verba Prælati ; ideo tenen-
 „ dum est hoc pro regula , quod in omnibus istis
 „ semper servanda est charitas, & quod melius, &
 „ magis expedire videtur : & si hoc intendat, sci-
 „ licet emendam proximi , ac servet quantum po-
 „ test , bonum charitatis , tunc denunciando non
 „ peccat . Si vero denunciet cuicunque personæ hoc
 „ ex malitia, & ut proximus confundatur, vel de-
 „ primatur , tunc denuncians, sive accusans peccat
 „ mortaliter . “

Q. 7. An Prælatus possit præcipere subditis , ut
revelent certorum criminum reos?

R. Si nullus est accusator , nec publica præcessit
infamia , quæ inquisitioni det locum , nec Prælatus
potest præcipere , ut subditi denuncient , quos no-
verint certorum criminum reos ; nec subditi debent
ei parere ; agerent enim contra ordinem fraternæ
correctionis a Christo præceptum , ideoque pecca-
rent. Quare cum Prælatus præcipit , ut sibi dicar-
tur , quod aliquis scit correctione dignum , id est in-
telligentum salvo ordine fraternæ correctionis (a).

Q. 8. Quomodo facienda sit correctio fraterna?

R. Fraterna correctio cum humilitate , charitate ,
mansuetudine exercenda est , juxta monitum Apo-
stoli (b) : *Fratres , & si preoccupatus fuerit homo in*
aliquo delicto , vos , qui spirituales etis , hujusmodi in-
struite in spiritu lenitatis , considerans te ipsum , ne &
tu tenteris . Est etiam facienda correctio , ubi debet ,
quando debet , & secundum quod debet , ut loquitur
Sanctus Thomas (c). Cum enim præceptum corre-
ctionis sit affirmativum , non obligat quovis loco ,
& tempore , sed solum in necessitatis articulo , &
cum

(a) S. Thom. 2. 2. q. 33. ar. 7. ad 5.

(b) Ad Gal. 6. (c) Q. cit. ar. 2.

cum probabile est , correctionem utilem fore ad emendationem peccatoris .

C A P U T III.

De scandalo (a).

Q. 1. **Q**uid sit scandalum , & quotuplex ?
R. Scandalum definitur dictum , vel factum minus rectum præbens alteri occasionem ruinae spiritua-

(a) Plura sunt vitia charitati opposita , quæ recensentur a S. Thoma 2. 2. a qu. 34. usque ad 43. Sunt autem ea vitia 1. odium Dei , & proximi . 2. Acedia . 3. Invidia . 4. Discordia . 5. Contentio . 6. Schisma . 7. Bellum si sit illicitum . 8. Rixa . 9. Sedatio . 10. Scandalum . De scandalo , de quo agit Natalis in v. Preceptum Decalogi , hic agimus . De bello agemus infra tractantes de homicidio . De reliquis , excepto schismate , & seditione jam differimus supra , ubi egimus de vitiis capitalibus , eorumque filiabus . Pauca ergo nunc trademus de schismate , & seditione . Itaque ut docet S. Thomas 2. 2. qu. 39. art. 1. proprie schismatiti dicuntur , qui propria sponte , & intentione se ab unitate Ecclesie separant . . . Ecclesie autem unitas in duobus attenditur , scilicet in connexione membrorum Ecclesie ad invicem , seu communicatione , & interum in ordine omnium membrorum Ecclesie ad unum Caput . . . Hoc autem Caput est ipse Christus , cuius vicem in Ecclesia gerit summus Pontifex . Et ideo schismatiti dicuntur , qui subesse rennunt Summo Pontifici , & qui

membris Ecclesie ei subjekti communicare recusant . Schisma igitur est disjunctio , qua aliquis voluntarie se separat ab unitate Ecclesie , quatenus est quoddam corpus mysticum constans ex universis fidelibus tamquam membris , & Summo Pontifice Christi Vicario tamquam Capite . Hinc schisma est peccatum gravissimum . oppositum charitati erga proximum , charitatis unitatem violans , qua fideles ut membra unius corporis invicem connectuntur . Differt tamen ab heresi , & infidelitate , quæ sunt schismate graviores , quia immediate opponuntur divina veritati , schisma autem immediate opponitur Ecclesiastice unitati , & docet Sanctus Thomas q. cit. a. 3. Notandum vero ex eodem S. Thoma ibid. art. 1. ad 2. non omnem inobedientiam præceptis Ecclesie esse peccatum schismatis , sed illam solum , quæ quis non vult obediere Preceptis cum rebellione quadam . . . Dico autem cum rebellione , cum & pertinaciter præcepta Ecclesie consernit , & judicium ejus subire recusat . Et si autem non omnes schismatici sunt heretici , per se tamen omnes schismatici sunt de heresi vehementer .

spiritualis. Dicitur *dictum*, vel *factum*, quia licet actio interno committi possit peccatum scandali, si quis ita est animo comparatus, ut velit alicui occasionem peccandi dare; numquam tamen revera scandalum alteri praebedit, nisi verbo, aut exemplo illum trahat ad peccatum. Dicitur *minus rectum*, vel quia scilicet secundum se malum est, vel quia speciem habet mali. Dicitur *dans occasionem*, non causam *ruinæ*, quia causa peccati in homine non est, nisi propria voluntas.

Scandalum aliud est *activum*, quod jam explicui; aliud *passivum*, seu spiritualis ruina proximi ex alterius verbis, aut factis, velut ex occasione nata.

Scandalum activum aliud est *per se*, cum quis verbo, vel facto intendit alterum ad peccatum pertrahere; vel etiam si ipse hoc non intendat, nihilominus factum est tale, quod per se inducit ad peccandum. Aliud est *per accidens*, cum & praeter intentionem operantis, & praeter conditionem operis aliquis male affectus ad peccandum inducitur ex alterius opere. Hoc autem minus propriæ scandalum dicitur.

Scandalum passivum aliud est *datum*, quod nempe ex alterius verbis, aut factis vere oritur, & vul-

go

hementer suspecti: nam ut habet S. Hieronymus in Epist. ad Tit. c. 3. Nullum schisma est, quod non sibi aliquam hæreum confingat, ut recte ab Ecclesia recessisse videatur. Ubi vero schisma sit antiquum, inducit vehementissimam hæretis suspicionem. De peccatis schismaticorum extat Constitutione Pauli IV. Cum ex Apostolatus.

Ut schisma opponitur spirituali unitati Ecclesiasticae; ita sedatio opponitur temporali, seu seculari multitudinis unitati, pu-

ta Civitatis, vel Regni. Est igitur sedatio tumultus unius partis Civitatis contra aliam. Quare dicitur a bello, quod est contra extraneos hostes, & a rixa, quae est unius ad unum, vel paucorum ad paucos. Est autem sedatio speciale peccatum, ex genere suo mortale, quia opponitur charitati, justitiæ, & bono communis in iis autem, qui seditionem procurant, est peccatum gravissimum. Ita S. Thomas 2. 2. 9. qd. art. 1. & 2.

go dicitur scandalum infirmorum; aliud est *accipitum*, idest, ruina non ex alterius verbis, vel factis, sed ex alterius, qui in peccatum impingit, malitia orta, & *Pharisaicum* dicitur.

Q. 2. An scandalum activum sit peccatum mortale?

R. Scandalum activum, si sit per accidens, quandoque est peccatum veniale, ut *cum aliquis*, vel *actum venialis peccati*, vel *actum*, qui non est secundum se peccatum, sed habet aliquam speciem mali, *cum aliqua levi indiscretione committit*. Cum vero aliquis committit *actum peccati mortalis*, vel *contemnit salutem proximi*, ut si pro ea conservanda non prætermitat facere, quod sibi libuerit, scandalum est peccatum mortale (*a*).

Si scandalum activum sit per se, puta, cum intendit quis inducere alium ad peccandum, si quidem intendat inducere ad peccandum mortaliter, est peccatum mortale: dicitur similiter si intendat inducere proximum ad peccandum venialiter per *actum peccati mortalis*. Si vero intendat inducere proximum ad peccandum venialiter per *actum peccati venialis*, est peccatum veniale (*b*). Cæterum scandalum activum ex genere suo est peccatum mortale, ut patet ex verbis Christi dicentis (*c*): *V&e homini illi, per quem scandalum venit*.

Q. 3. An sufficiat virtualis intentio ruinæ proximi, ut quis scandali sit reus?

R. Affirmative. Sicut enim qui sagittam imprudenter vibrans, hominem occidit, reus est homicidi, et si expressam occidendi voluntatem non habuerit; ita qui aliquid facit, vel omittit, quod re vera est, vel probabiliter censetur esse occasio ruinæ proximi, peccat speciali peccato scandali, quamvis hujusmodi ruinam expresse non intendat (*d*). Hinc si mu-

(*a*) *S. Thom. 2. 2. q. 43. ar. 4.* (*b*) *Ibid.*

(*c*) *Matth. 18.* (*d*) *S. Thom. q. cit. ar. 1. ad 4.*

si mulier ex signis animadvertens , se ab aliquo
prave concupisci , se illi videndam indifferenter of-
ferat , non intendens quidem illum inducere ad suī
concupiscentiam , sed neque de hoc curans , ex qua-
dam vanitate , vel curiositate discurrendi per loca ,
vel morandi ad ostium domus , vel ad fenestras ,
ut de pulchritudine laudetur ; mortale peccatum
scandali committit . Si tamen legitimam causam
habeat , puta , eundi ad Ecclesiam , & prava homi-
nis concupiscentia ei displiceat , non peccat . Idem
dicendum de iis , qui non curant , alias scandaliza-
ri de nimia eorum familiaritate cum persona suspe-
cta ; peccant enim mortaliter , et si nihil nefarium
intendant , neque scandalum aliorum . Ita S. Anto-
ninus (a) .

Q. 4. An peccet peccato scandali , qui actionem
speciem mali præferenter coram aliis facit ?

R. Si nulla subsit legitima faciendi ratio præsen-
tibus , quoad fieri potest , manifestata , qui hujusmo-
di actionem facit , est reus scandali . Quisque enim
tenetur providere saluti proximi . Si autem subsit
legitima ratio faciendi , ut necessitas , vel magna
utilitas ; & cavitur , quantum fieri potest , ut qui
operis consciī sunt , illud & recta intentione , & ex
causa legitima fieri , neque revera malum esse nove-
rint , nullius est scandali reus , qui ab eo opere non
abstinet , quia utitur jure suo , & alterius offensio
ex ejus malitia provenit .

Q. 5. An qui præcepit alteri malum , quod is pa-
ratus est facere , peccet peccato scandali ?

R. Reus scandali est , qui jussu , suasione , consi-
lio , precibus alteri est auctor , ut malum faciat ,
tametsi ille sit paratus facere , quia directe ipsum
impellit ad peccatum , quod , nisi occasione data ,
mini-

(a) P. 2. tit. 7. c. 4.

minime exequeretur saltem opere. Hinc docet S. Thomas (a) nusquam licere alterum impellere, aut invitare ad jurandum per falsos Deo, vel ad dandum mutuum cum usura, quamvis tale juramentum, ac mutuum recipere liceat, si postulet necessitas.

Q. 6. An mulieres se ornantes, peccent peccato scandali?

R. Mulieres, quæ vel ea intentione se ornant, ut viros ad amorem in honestum allificant; vel habitu dissoluto, & immodesto utuntur, qui virorum concupiscentiam excitare possit; proculdubio reæ sunt scandali. Muliebris enim cultus viros ad lasciviam provocat, juxta illud Prov. 7. Ecce occurrit illi mulier ornata meretricio, preparata ad decipiendas animas. Verum ut docet S. Thomas (b), si mulier conjugata ad hoc se ornat, ut viro suo placeat, potest hoc facere absque peccato. Nusquam tamen absque peccato est cultus superflaus, & immoderatus mulierum; repugnat enim Christianæ disciplinæ traditæ ab Apostolo (c). Dicitur autem ornatus superfluus, & immoderatus, 1. si fiat præter consuetudinem patriæ. 2. Si cum pravo affectu adhibetur, sive servetur consuetudo patriæ, sive non; ut si intendatur commotio concupiscentiæ, aut ostentatio, vel inanis gloria; aut si quis cultu vestium abutatur ad delicias; vel si nimiam sollicitudinem adhibeat in ornatu, cultuque corporis quærendo, retinendo, optando, ut solent mulieres: quem tamen si exquirant, & adhibeant ex quadam levitate, vel etiam ex quadam vanitate, propter jaſtantiam quandam, non semper est peccatum mortale, sed quandoque veniale. Et eadem ratio quantum ad hoc est de viris (d). Scandali tamen mortalis reæ sunt mulieres illæ, quæ collum, pectus, brachia-

ve

(a) 2. 2. q. 98. ar. 4. ad 4. (b) 2. 2. q. 169. ar. 2.

(c) 1. Tim. 2. (d) S. Thom. ar. cit.

ve nudant & ita in publicum procedunt ; dant enim viris occasionem ruinæ spiritualis, et si impudicam intentionem non habeant, sed vanam dumtaxat gloriam captent de pulchritudine, aut comeditati tantum suæ consulete velint. Nec ipsas excusat consuetudo, quæ verius dicenda est corruptela. Quare plures Synodi, & S. Franciscus Salesius in Instructionibus Synodicis vetant, ne mulieres hujusmodi absolutione sacramentali, & Eucharistica Communione donentur.

Q. 7. An mulieres absque scandalo possint fucis vultum adulterare, aut capillos fingere?

R. Ex S. Thoma (a),, Mulierum fucatio est quædam species fictionis, quæ non potest esse sine peccato . . . Non semper tamen talis fucatio est cum peccato mortali, sed solum quando fit propter lasciviam, vel in Dei contemptum Sciendum tamen, quod aliud est fingere pulchritudinem non habitam, & aliud occultare turpitudinem ex aliquo casu provenientem, puta ægritudine, vel aliquo hujusmodi. Hoc enim est licitum, quia secundum Apostolum 1. ad Cor. 12. *Quæ putamus ignobilia membra corporis esse, his honorem abundantiorem circumdamus*,. Hoc igitur casu excepto, peccatum scandali committunt mulieres, quæ fucis vultum adulterant.

Idem dicendum de usu alienorum capillorum, quos mulieres adhibent ad ornandum caput. Si enim S. Petrus (b) vult, ut fœminæ sint tales, *quarum non sit extrinsecus capillatura*; alienis certe capillis luxuriantia earum capita multo magis damnat Christiana disciplina. Nihilominus tuta est opinio Sancti Bernardini Senensis, Cajetani, & aliorum, qui in usu fuci, & capillorum alienorum agnoscunt pec-

(a) 2. 2. q. 169. 2. 2. ad 2. (b) 1. Pet. 3.

catum dumtaxat veniale, cum res hujusmodi adhibentur ex sola vanitate, non ex impudico affectu, & alioquin nullum imminere videtur gravis scandali probabile periculum: maxime cum hanc sententiam doceat etiam S. Thomas (a). Sed Concionatores, & Confessarii omni studio, zeloque mulierum vanitatem reprehendere debent. Hæc autem quæ de mulieribus dicta sunt, de viris etiam intelligi debent, si in corporis cultu, & capillaturæ cura modum excedant.

Q. 8. An scandali reatum incurant. qui utuntur veste alterius sexus? & quid de larvatis hominibus, vel mulieribus?

R. Ex S. Thoma (b) „ Cultus exterior debet committi petere conditioni personæ secundum communem consuetudinem: & ideo de se vitiosum, est, quod mulier utatur veste virili, aut e converso, & praecipue quia hoc potest esse causa lasciviæ Potest tamen quandoque hoc fieri sine peccato propter aliquam necessitatem, vel causa se occultandi ab hostibus, vel propter defectum alterius vestimenti, vel propter aliquid hujusmodi “. De larvis ait S. Carolus (c) „ Detestandì larvarum usus quarum privilegio fas est cuilibet obsecena, & impudica verba profari, gestus, & actus omnimodo de impuros edere: impiæ larvæ, honestatis oppugnatriæ, gravitatis inimicæ, ruina piæ hujus vigilantiæ, cui foris, & intus Christianus teneatur indulgere (d).

Q. 9. An

(a) Loc. cit.

(b) Ibid. ad 3.

(c) In Memor. lib. p. 2. c. 6.

(d) Ad ea, quæ de personatis, larvatisque hominibus hic dicuntur, addenda est Epistola Benedicti XIV. ad Episcopos Ditionis

Ecclesiastice super Bacchanalibus. Duos graviores abusus Pontifex potissimum reprehendit in Bacchanalibus, alterum, quod vigilæ, choreæ, ludi, postrema nocte Bacchanalium sæpe usque ad Quadragesimum diluculum produ-

Q. 9. An scandali rei sint, qui novas illiciti ornatus, & vestimentorum formas excogitant, vel conficiunt?

R. Affirmative: quidem lethaliter peccant, si modus vestium, ornatusque inverecundus sit, aut impudicus; peccant autem venialiter, si modus ille vanitatem dumtaxat, & curiositatem alat, pretii, aut elegantiae immoderatione. **Unde S. Thomas** (a):
 "Si qua, inquit, ars est ad faciendum aliqua opera, quibus homines uti non possunt absque peccato, per consequens artifices etiam faciendo pecarent, utpote praebentes directe aliis occasionem peccandi Si tamen operibus alicujus artis pluries aliqui male uterentur, quamvis de se non sint illicitae, sunt tamen per officium Principis a Civitate extirpanda, secundum documenta Platonis. Quia ergo mulieres licite se possunt ornare, vel ut conservent decentiam sui status, vel etiam aliquid superaddere, ut placeant viris; consequens est, quod artifices talium ornamentorum non peccant in usu talis artis, nisi forte inveniendo aliqua superflua, & curiosa".

S 2

Q. 10. Quid

cantur, multique, ne mutatis quidem vestibus, ad sacros cines res accipiendos accedant: alterum, quod Festis diebus majori licentia celebrentur Bacchanalia a personatis hominibus, circulatoribus, aliisque. Priorum illam perversitatem Pontifex execratur, illiusque autores, ac defensores acerrime puniendos esse, ait. Non minus execratur posteriori perversam confuetudinem, pro qua tollenda juber, ut Festis diebus, & Sextis feriis nemini omnino liceat in toto Statu Pontificio larvam sumere; & si necessitas id permittendi urgeat,

sicutem id numquam permittatur Matutinis horis; pomeridianum autem tempore, nonni post Divina Officia, & Doctrinam Christianam. Subdit porro, egre ab Ecclesia tolerari Bacchanalia, ut graviora malitia vitentur. Denique Episcopos hortatur, ut tempore Bacchanaliorum, & ipsi exercitant pia opera, & aliis eorumdem piorum operum exercendorum autores sint; ac praesertim ut Sanctissimum Eucharistia Sacramentum in Ecclesiis per triandum exponatur.

(a) Rit. cit. ad 4.

Q. 10. Quid de factoribus, & venditoribus fucorum, & alearum?

R. De factoribus, & venditoribus fucorum, aliorumque ornamentorum, qui ea vendunt iis, quos sciunt, aut credunt usuros hujusmodi rebus ad lasciviam provocandam, S. Antoninus (*a*) docet, ipsos peccare mortaliter. Non debent tamen ipsi facile credere emptores male usuros, nisi appareant signa manifesta, ut in meretricibus. Ubi autem id ignorant, vel non considerant, non videntur mortaliter peccare, quia talis usus potest quandoque esse sine peccato. Illis ergo suaderi poterit, ut similia confidere, aut vendere dimittant, non tamen deneganda est absolutio. Dubia enim interpretanda sunt in meliorem partem.

De factoribus, & venditoribus alearum, taxitorum, chartarum, docet idem S. Antoninus (*b*) excusari non posse a mortali, nec esse absolvendos, nisi talia dimittant, quia his rebus ut plurimum homines utuntur ad peccatum mortale. Quod de larvarum factoribus, & venditoribus etiam dixerim (*c*).

Q. 11. An histriones, & mimi scandali sint rei?

R. Histriones, & mimi, qui verbis, & factis illicitis utuntur ad ludum, lethalis scandali rei sunt; præbent enim occasionem ruinæ plerisque spectatoribus, & auditoribus. Unde S. Cyprianus (*d*) quaesitus ab Enchratio, ap deberet ad communionem admittere histriонem quemdam, qui eti a theatro cessasset, artem tamen theatricam alios docebat: *Puto, inquit, nec Majestati divinæ nec Evangelicæ discipline congruere, ut pudor, & honor Ecclesiae tam turpi,* *lq in-*

(*a*) P. 2. tit. 2. c. 23. §. 13.

detur idem dicendum, quod ex Sancto Thoma diximus in præced. quest.

(*b*) Ibidem.
(*c*) De factoribus, & venditoribus larvarum, alearum &c. vi-

(*d*) Epist. 61.

de infami contagione frdetur. Loquebatur autem de histrionibus, qui gestus turpes, & molles, & muliebres magisterio impudicæ artis exprimebant. Quod & de verbis intelligendum est. Censentur autem gestus, & verba illicita quæcumque amori profano, cætatisque pravis cupiditatibus excitandis, aut fovendis deserviunt, & non solum quæ aperte obsecena sunt, vel scurrilia. Dum autem S. Thomas (a) ait: Officium histrionum, quod ordinatur ad solatium hominibus exhibendum, non est secundum se illicitum, nec sunt in statu peccati, dummodo moderate ludo utantur, idest non utendo aliquibus illicitis verbis, vel factis ad ludum, & non adhibendo ludum negotiis, & temporibus indebitis . . . Si qui autem superfue sua in tales consumunt, vel etiam sustentant illos histriones, qui illicitis ludis utuntur, peccant, quasi eos in peccatis foventes. Dum, inquam, hæc docet S. Thomas, histrionum nomine comicos, & scenicos homines, seu mimos propriæ dictos non intelligit, sed latiori quadam significatione illos, qui honestis facetiis, & corporis agilitate, dexteritate, industria, quædam efficiunt præstigiis similia, quæ admirationem, & delectationem pariunt. Ipse namque ea dumtaxat spectacula approbat (b), quæ sunt de rebus utilibus, & ad vitam necessariis, sicut sunt venationes, & cetera hujusmodi, quæ animum honeste distrahabunt, & quibus sine peccato potest intendi, servata discretione debita quantum ad conditiones personæ, & aliarum circumstantiarum. Ludos vero tantum liberales probat, qui materia virtutis esse possunt (c), & ad ludorum honestatem tres conditiones postulat (d). 1. Ut delectatione non queratur in aliquibus operationibus, vel verbis turpibus, vel nocibis. 2. Ne totaliter gravitas animæ resolvatur. 3. Ut congruat personæ, tempori,

S 3

& lo-

(a) 2. 2. q. 168. 2. 3. qd 3. (b) In 4. d. 16. q. 4. 2. 2. q. 2.

(c) Ibid. questione 1. (d) 2. 2. q. 168. 2. 2.

*E*n loco, *E*n secundum alias circumstantias debite ordinatur, ut scilicet sit tempore, *E*n homine dignus. Hæc autem in scurrilibus actionibus, & verbis histriorum, & mimorum, qui in theatris, & comediis personas agunt, & spectantium risum provocant, nemo verificari dixerit. Hinc idem S. Doctor (*a*) ait, *Inspec*to spectaculorum vitiosa redditur, in quantum per hoc homo fit pronus ad vitia, vel lascivie, vel crudelitatis, per ea que ibi repræsentantur.

Q. 12. Utrum scandali sint rei, qui domos præstant ad ludendum, vel meretricibus locant?

R. Qui ad ludos aleatorios ædes suas locant, vel commodant, aut publicas, vel priyatas hujusmodi ludorum academias aperiunt, lethalis scandali rei sunt; dant enim occasionem ruinæ proximo, omnibusque peccatis, quæ ibi fiunt, cooperantur. Unde S. Bernardinus Senensis (*b*): *D*ans, inquit, *d*omum, ut *i*n ius *l*udatur, fit particeps tot peccatorum, quot ibi fiunt. *D*ans tabulam, *E*n preflas taxillos roties peccat mortaliter, quoties preflas. Nullus Confessor poterit eum absolvere, donec removerit domum a tali pessimo usu ludendi. *I*mpossibile est illum salvari, nisi relinquit illas suas artes maledicas.

Idem esto judicium de illis, qui publicis concubinariis, meretricibus, lenonibus, aut lenis ædes locant. Nec eos excusat damnum emergens, quod alias domus locetur tardius, aut vilius: nam ut ait S. Hieronymus (*c*): *M*elius est, ut emolumentis carnibus creas: ne dum vis lucrifacere cognatos, *E*n necessarios, causam habeas ruinarum.

Q. 13. An bona spiritualia, vel temporalia omitti debeant ad vitandum aliorum scandalum?

R. Ex S. Thoma (*d*): *E*a, que sunt de necessitate salutis,

(*a*) 2. 2. q. 167. a. 2. ad 2. (*b*) Serm. 33. in Domin. 5. Quadrag. P. 3.

(*c*) In c. 18. Matth. (*d*) 2. 2. q. 43. a. 7.

lutis, prætermitti non debent propter scandalum vitandum. Unde nec peccatum veniale committere umquam licet, ne alius peccet mortaliter, quia, ut dicitur Rom. 3. Non sunt facienda mala, ut veniant bona.

„ In spiritualibus bonis, quæ non sunt de necessitate salutis, videtur distinguendum: quia scandalum, quod ex eis oritur, quandoque ex malitia procedit, cum scilicet aliqui volunt impedire hujusmodi spiritualia bona, scandala concitando: & hoc est scandalum Phariseorum, quod esse contemnendum Dominus dicit Matth. 15. Quandoque vero scandalum procedit ex infirmitate, vel ignorantia; & hujusmodi est scandalum pusillorum, propter quod sunt spiritualia bona vel occultanda, vel etiam interdum differenda, ubi periculum non imminet, quo usque redditia ratione, hujusmodi scandalum celset. Si autem post redditam rationem hujusmodi scandalum duret, jam videtur ex malitia esse. Et sic propter ipsum non sunt hujusmodi spiritualia bona dimittenda „.

Ad bona temporalia quod spectat, distinguiri etiam debet: Nam si eorum custodia, vel administratio commissa est fidei nostræ, non licet illa dimittere ad vitandum scandalum. Hinc S. Thomas Cantuariensis bona, juraque Ecclesiæ repetiit, posthabito Henrici Angliæ Regis, Procerumque scandalo; Si autem bonorum temporalium domini simus, ea quidem, si scandalum sit pusillorum, debemus vel prorsus dimittere, vel aliter scandalum sedare, scilicet admonendo proximum; idque magis quandoque prodest, quia hoc pacto proximus in veritate instructus, a suo errore forte recedit. Si autem scandalum oriatur ex malitia, tunc bona temporalia non sunt omnino dimittenda, alioquin daretur malis occasio rapiendi, eorumque injustitia foveretur (a).

(a) S. Thom. q. cit. a. 8.

Ex quibus sequitur 1. numquam licitum esse ad vitandum aliorum scandalum, falsitatem docere, aut veritatem doctrinæ dissimulare, vel filere, cum necessaria est ad salutem, Christianamve perfectiōnem; vel cum eam docere, seu prædicare alicui incumbit ex officio, habita ratione congruentiæ temporis, & personarum (a). Extra hos casus, cum actus docendi inter spirituales eleemosynas computetur, eadem de ipso est ratio, ac de cæteris operibus misericordiæ, quæ, si præceptum ea implendi non urget, sunt interdum occultanda, vel differenda ob scandalum pusillorum. Id notent Doctores, & Concionatores, sciantque, debere se ab iis quæstionibus tractandis coram populo, aut etiam in scholis, abstinere, quæ ad nihil sunt utiles, nisi ad subversionem audientium, sive ratione ipsius doctrinæ, quam ferre non valent, sive ratione modi, quo doctrina proponitur, sive ratione temporis, loci, aliarumque circumstantiarum. Sed tamen subterfugere non debent, quominus annuncient quidquid ad salutem pertinet, ideoque debent perpetuo reprehendere publicas præsertim peccatorum illecebras, quæ a multis pro nihilo habentur, ut sunt spectacula, choreæ, saltationes, luxus, &c. nam si inde auditores offendantur, scandalum Pharisaorum erit. Caveant vero Concionatores, juxta monitum S. Caroli (b), ne quemquam nominatim, aut tacite illum designantes, insectentur; ne in ordinem illum, statum, aut vitæ genus ab Ecclesia receptum invehantur. Ne Episcopos, aliosve Prælatos, neve Civiles Magistratus, cum auditorum offensione asperius objurgent, sed pie potius admoneant; populumque doceant; Præpositis suis etiam discolis obedire.

(a) Ar. 7. ejusd. q. ad 2.

(b) In Instruc. Prædicator.

dire. Caveat etiam Concionator, ne vitiis exagitandis quasi furenter iratus, excandescat nimis; ne injuriosa verba proferat, neve ignominiosa; ne obtrectationibus, quæ aliquando fiunt, & querimoniiis de suggestione respondeat, &c.

Sequitur 2. filios, qui vident gravem in familia perturbationem oriri, si Monasterium ingrediantur, debere ad tempus differre sui propositi executionem, donec interpositis rationibus, precibus, constantia, piorum consilio, parentum consensum obtineant. Si autem eorum offensionem removere non possint, scandalum erit Pharisaorum (a).

Sequitur 3. mulieres conjugatas debere bona spiritualia dimittere, quæ ad salutem necessaria non sunt, si mariti inde sumant peccandi occasionem; maximeque si ex diuturniori earum in Templis manione, aut frequentiori diebus etiam profectis Communione res domestica, & familiæ cura negligatur: in quo scandalum esset etiam activum.

Denique in vitando scando lo pusillorum attendenda est quantitas scandali, & boni, quod contingit ex consilio servato: & secundum hoc aliquando consilia sunt pretermittenda propter scandalum pusillorum, vel scandalum contempendum propter consilia. Ita S. Thomas (b).

(a) S. Thom. in 4. d. 38. q. 2. ar. 3. q. 2. ad 2.

(b) Quæstiunc. cit.

TRACTATUS. II.

De Virtutibus Cardinalibus, iisque adnexis.

QUAM expetendæ sint quatuor illæ Virtutes Cardinales, quas antea numeravimus, præclare ostendit S. Gregorius (a), qui explicans quatuor angulos domus, in qua filii Job epulabantur, & quam ventus vehemens concusserit: *In quatuor, inquit, angulis domus ista consistit: quia nimirum solidum mentis nostræ ædificium prudentia, temperantia, fortitudo, justitia sustinet . . . Unde & quatuor paradisi flamina terram irrigant: quia dum his cor infunditur, ab omni desideriorum carnalium æstu temperatur.* De his ergo Virtutibus, earumque partibus distinete, & copiose agendum est.

SECTIO I.

De Prudentia.

Quid sit prudentia? & quæ ejus species, officia?

R. Prudentia est *virtus*, quæ secundum honesti rationem, divinæquæ legis præscriptum, quid expetendum, quidve fugienda sit, homini præstítit. Alia politica est, quæ in bonum Reipublicæ; alia œconomica, quæ in bonum familiæ; alia monastica, quæ in bonum privatum intendit. Prima vel *regnatrix* est in Rege; vel *militaris* in belli Ducibus; vel *obsequens* in subditis in iis, quæ bonum commune spectant. Hæ sunt partes subjectæ, seu species prudentiæ.

Officia prudentiæ seu auctus illius tria sunt.
1. Rectum consilium de rebus agendis inire, quære-

re,

(a) L. 2. Mor. c. 27.

re, accipere, vel dare. 2. De iisdem rebus recte judicare, sive secundum communes regulas, sive secundum altiora principia, ubi istae deficiunt. 3. Recte præcipere. Hic postremus actus prudentiæ proprius est: alii spectant ad virtutes prudentiæ annexas (a). Optimi consilii necessitatem in omnibus operibus, maximeque in rebus ad salutem pertinentibus, ostendit Spiritus Sanctus Eccl. 32. cum ait: *Fili, sine consilio nihil facias, & post factum non paenitebis.* Verum probitate, & prudentia florere illum necesse est, a quo consilium queritur. Facit enim justitia, ut nullus sit fraudis metus: facit etiam prudentia, ut nulla sit erroris suspicio, inquit S. Ambrosius (b). Recti autem judicii est, e duobus malis eligere minus. Quod tamen intelligendum est de malis pœnæ, non culpæ: nam peccata omnia fugienda sunt, Denique ad præceptum quod attinet, recte præcipitur, quod legi divinæ, aut Ecclesiæ, justisque Principum legibus non repugnat, & conducibile est ad finem consequendum, maximeque ad vitam æternam, propter quam Superiores quique præcipere, & subditi parere debent.

Q. 2. Quæ sint partes integrantes prudentiæ?

R. Partes prudentiæ integrantes, idest, sine quibus perfectus ejus actus esse nequit, sunt *memoria*,

in-

(a) Tres sunt virtutes prudentiæ adnexæ, *Eubulia*, *Synensis*, *Gnome*. *Eubulia* est virtus bene consiliativa, qua quis inquirit circa agenda, in quibus vita humana consistit; estque virtus distincta a prudentia, qua ordinatur ad bene præcipendum; tamen *Eubulia* respicit prudentiam tamquam virtutem principalis, quia consiliari ordinatur ad

ad præcipere. *Synensis* est virtus bene judicatiæ circa particula-
ria agibilia, quatenus vim co-
gnoscitivam bene disponit veris,
& rebus conceptionibus, per com-
munes regulas. Si autem judi-
cium fiat secundum altiora prin-
cipia, virtus judicatiæ dicitur
Gnome. Vide S. Thomam 2. 2.
q. 51.

(b) L. 2. de offic. c. 8.

Intelligentia, *provideutia*, *solertia*, *docilitas*, *ratio*, *circumspectio*, *cautio*. *Memoria* est studiosa recordatio præteriorum eventuum, & negotiorum, quibus mediis acta sint, quos exitus habuerint; ut eodem modo agantur, si faustum habuerint exitum; alio modo, si infaustum. *Intelligentia* est accurata consideratio, qua intelligitur quid in unaquaque actione honestum, & utile sit, quidque in honestum, & damnosum. *Intelligentia* perspicit etiam vir prudens, quantum conjecturis potest, quæ sint aliorum consilia. *Providentia* est, qua futurum aliquid ante videtur, quam factum sit, & idonea media assumuntur ad finem consequendum. *Solertia* est facilis, & prompta conjectio, qua dum aliquid inopinato occurrit, vir prudens celeriter invenit id, quod congruit, & expedit. *Docilitas* est qua quis paratum, & promptum se exhibet aliorum consilia, & monita de rebus agendis suscipienda. *Ratio*, sive recta ratiocinatio est, qua ex aliis prius cognitis, colligitur quid sit agendum. *Circumspectio* est accurata circumstantiarum consideratio, ut noscatur quid bonum sit, & conveniens, habita ratione negotiorum, personarum loci, temporis, &c. Quædam enim secundum se bona sunt, quæ tamen ex circumstantiis mala fiunt vel fini nullatenus opportuna. Demum *cautio* est consideratio malorum, & impedimentorum extrinsecorum, quæ consecutioni finis adverfantur, ut ipsa vitentur, aut removeantur.

O. 3. Quæ sint vitia opposita prudentiæ?

R. Decem numerantur, *imprudentia*, *præcipitatio*, *inconsideratio*, *inconstantia*, *negligentia*, *prudentia carnis*, *astutia*, *dolus*, *fraus*, & *immodica de rebus temporalibus sollicitudo*. *Imprudentia* est, qua quis avertitur a regulis divinis, estque peccatum mortale (a),

cum

(a) Si contemptus regularum divinarum sit gravis, & ratio direc-

cum homo „ quasi contemnens , & repudians divisa documenta , præcipitanter agit . Si vero præter eas agat absque contemptu ; & absque detrimento eorum , quæ sunt de necessitate salutis , est peccatum veniale “ (a) *Præcipitatio imprudentiae species* , est consilii perversitas , qua homo ex impietu voluntatis , aut pravo animi affectu , prætermis prudentiae gradibus , in ruinam labitur . *Inconsideratio* sub imprudentia pariter contenta , est iudicij depravatio , quatenus , homo contemnit , vel negligit attendere ad ea ex quibus rectum judicium procedit . *Inconstantia* imprudentiae etiam species , est boni propositi abjectio , quatenus evertit rectam præcipiendi rationem . De tribus hisce vitiis egimus supra , ubi tractavimus de luxuriæ filiabus .

Negligentia est defectus debitæ sollicitudinis ad prudentiam pertinentis . Est peccatum mortale , 1. ex parte ejus , quod prætermittitur , si nempe sit ad salutem necessarium , sive sit actus , sive circumstantia actus , juxta illud Hebr . 2. *Quonodo nos , effugiemus , si tantam neglexerimus salutem ?* 2. ex parte causæ , cum scilicet voluntas adeo est remissa circa res divinas , & officia vitæ Christianæ , ut penitus a charitate deficiat , quo præcipue contingit , cum negligentia sequitur ex contemptu . Unde dicitur Deut . 8. *Cave , ne quando obliviscaris Domini Dei tui , & negligas mandata ejus .* Si vero ex negligentia prætermittatur actio aliqua , vel circumstantia saluti non necessaria , neque id fiat ex contemptu , sed ex ali-

de moveatur contra prudentiam , spernendo , & repudiando consilium , aut divina documenta ; imprudentia est speciale peccatum necessario in Confessione exprimendum .

(a) S. Thom . 2. 2. q. 53. a. 1.

aliquo defectu fervoris, negligentia est peccatum veniale (a).

Prudentia carnis, sive *sæculi*, assumpta veræ prudentiæ specie, ipsi adversatur. Est peccatum mortale, si finis ultimus statuatur in fruitione bonorum creatorum, alias est veniale. *Astutia*, de qua ait Apostolus (b): *Non ambulantes in astutia*, est vitium prudentiæ oppositum, quo falsis, & simulatis viis ad finem sive bonum, sive malum tenditur. De ipsa ait S. Gregorius (c) „ Hujus sapientia mundi est cor machinationibus tegere, sensum verbis velare; quæ falsa sunt, vera ostendere; quæ vera sunt, falsa demonstrare “. *Fraus*, & *dolus* astutiae consilia exequuntur, dolus cum verbis, tum factis, fraus factis præsertim. Denique *immoderata de temporalibus sollicitudo* est vitium prudentiæ oppositum, quo vel temporalia bona, ut finis, queruntur; vel superflua ultra vitæ præsentis necessitatem; vel præoccupatur sollicitudinibus tempus, siquidem omni negotio tempus est, opportunitas. De tribus postremis hisce vitiis actum jam est, ubi disseruimus de avaritiæ filiabus.

(a) S. Thom. 2. 2. q. 54. a: 3.
(c) L. 10. Mor. c. 16.

(b) a. Cor. 4.

SECTIO II.

De Justitia in genere (a).

CAPUT I.

De Justitia, & Jure secundum se.

Q. I. **U**id sit justitia? & quotuplex?

R. Justitia est virtus cuique tribuens, quod suum est, sive perpetua, & constans voluntas jus suum unicuique tribuens. Ipsa est, quæ ornat, dirigitque voluntatem, & circa alios propriæ versatur. Unde S. Ambrosius (b): *Justitia, inquit ad societatem generis humani, & ad communitatem refertur.* (c).

Justitia duplex est, universalis, & particularis. Universalis est conformatio vitæ nostræ ad legem divinam, aliasque divinæ consentientes leges, idemque est, quod sanctimonia, & virtutes omnes complectitur, eoque sensu, qui legem Dei servant, Justi vocantur. Hæc dicitur justitia *legalis* ob suam cum lege convenientiam, quatenus virtutes omnes dirigit ad bonum commune.

Justitia particularis, quam ante definivimus, est virtus a cæteris distincta, cuius officium commendat

(a) Cum ea, quæ de justitia & jure sive a Theologis. sive a Justitiis tractari solent, penes Natalem reperiantur sparsim explicata, pleraque etiam apud ipsum desiderentur; nos propterea sequentes ordinem S. Thomæ hic in unum colligemus, quæ de materia justitia in diversis locis tractata sunt ab Auctore, & insuper supplebimus, quæ sunt ab ipso prætermissa.

(b) L. 1. de Offic. c. 28.

(c) Justitia, ut docet S. Thom. 2. 2. q. 58. a. 10. differt a cæteris virtutibus cardinalibus, quod istæ respiciant medium rationis, hoc est non secundum proportionem unius ad alterum, sed secundum comparationem ad ipsum virtuosum, cuius passiones moderantur; justitia vero respicit medium rei, quod constituit in quadam proportionis aequalitate rei exterioris ad personam exteriorem.

dat Apostolus (a) inquiens: *Reddite omnibus debita: cui tributum, tributum: cui vestigal, vestigal: cui timorem, timorem: cui honorem, honorem.*

Duae sunt particularis justitiae species, scilicet *justitia distributiva*, & *commutativa*. Prima est, quae versatur in distributione communium bonorum, officiorum, honorum, præmiorum, pœnarum, gratiarum, ut unicuique consentanea pro cujusque conditione, statu, meritis, dignitate præstentur. Altera est directrix commutationum, quae sunt inter duas personas, æqualitate rerum servata. Hæ autem commutations aliae sunt voluntariæ, seu quibus rem suam aliquis libero contractu transfert ad alterum; aliae involuntariæ, seu quibus aliena res vel persona usurpatur invito domino.

Q. z. Quid, & quotuplex sit jus?

R. Jus, seu justum tripliciter potest accipi. 1. pro lege, quæ tamen non est ipsum jus, proprie loquendo, sed aliqualis ratio juris (b). 2. pro facultate, quam habet quis ad aliquid vi justitiae. 3. pro ipso justitiae objecto. De prima acceptancee juris dicemus infra, ubi de lege sermo erit.

Itaque jus sub altera acceptance definiri potest, legitima facultas aliquid faciendi, acquirendi, possendi, alienandi &c. cuius violatio injuriam constituit. Dicitur legitima, quia concessa est a lege, vel naturali, ut potestas exigendi alimenta; vel divina, ut jus petendi Sacra menta; vel humana, ut facultas adeundi hæreditatem. Hoc jus ex parte termini, quem respicit, dividitur in *jus in re*, & *jus ad rem*.

Jus sub tertia acceptance est idem ac justum, seu quod est alteri debitum ad æqualitatem; quod quidem justum ponitur per actionem justitiae, ideoque est ejus objectum, cum sit medium inter excessum,

(a) Rom. 13.

(b) S. Th. 2. 2. q. 57. ar. 1. ad 2.

sum, & defectum in materia justitiae. Verum id jus pendet a jure sub secunda acceptione considerato: non enim aliquid est alteri debitum ad æqualitatem, nisi alter jus habeat ad illud; nam jus & debitum correlativa sunt (a).

Cæterum sive jus accipiatur pro lege, sive pro facultate legitima, sive pro justo dividitur in jus naturale, & positivum. Naturale est, quod ipsa ratio naturalis dictat, vel quod ex ea sequitur evidenter, estque commune omnibus gentibus. Positivum vero est, quod positum est ab aliquo auctoritatem habente: & rursus dividitur, in *divinum*; seu quo divina auctoritate; & *humanum*, seu quo humana est sanctum. *Divinum* præscribitur veteri, novoque Testamento. *Humanum* partitur in *jus gentium*, atque in *Canonicum*, & *Civile*. *Jus gentium* est, quo omnes gentes utuntur, ut locorum, quæ nullius sunt, occupatio; rerum divisio, bella, captivitas, servitus, postliminia, &c. *Jus Canonicum* sanctum est Ecclesiastica Potestate; & Romanorum Pontificum Constitutionibus, Conciliorum Canonibus ab Ecclesia approbatis, moribus Ecclesiæ universæ, privatarumque Ecclesiarum constat. *Jus denique Civile* positum est a sæculari Potestate ad rectam Republicæ administrationem, finemque publicæ tranquillitatis: legibusque Principum, & municipalibus consuetudinibus continetur.

Q. 3. Quid sit discriminis inter jus in re, & jus ad rem?

R. Jus in re est, quod habet quis in ipsa re jam obtenta, tribuitque actionem realem. Requiruntur tamen tres conditiones. 1. existentia rei. 2. legitimus titulus. 3. traditio rei (b), quibusdam casibus exceptis,

Tom. III.

T

ptis,

(a) S. Thom. 2. 2. q. 57. art. 1.

(b) L. numquam fit de acquir. rer. dom.

ptis, de quibus infra dicemus. Jus ad rem est, quod habet quis, ut res aliqua fiat sua; ad idque requiritur tantum legitimus titulus. Quare hujusmodi jus tribuit solum actionem in personam, & non in rem. Unde si quis rem emat, pretiumque etiam solvat, re tamen ipsa minime tradita, & deinde venditor eamdem rem alteri vendat, ac tradat, prior emptor non habet jus in re illa, neque actionem realem in rem ipsam, quae ob traditionem jam effecta est alterius emptoris, sed solum actionem personalem in venditorem, qui tenetur ei satisfacere. Atque haec quidem ex jure communi (*a*).

Q. 4. An jus in re, vel ad rem prius acquisitum, comprehendatur sub revocatione, si gratia antea concessa revocetur?

R. Jus in re, & ad rem inseparabile a jure in re prius acquisito, sub revocatione non comprehenditur. Unde si quis gratiam a Pontifice obtineat, ut sibi provideatur de Canonicatu, & Præbenda, & acquisito jure in re ad Canonicatum, gratia revocetur, privatus non est Canonicatu, & Præbenda (*b*). Idemque dicendum, si obtento Canonicatu in re, adhuc pendeat aſſectio Præbendæ, cum supervenit revocatio: nam Præbenda Canonicati est adnexa, ideoque jus ad illam non perit (*c*). Si autem jus ad rem sit purum, vel separabile a jure in re prius acquisito, tunc quidem sub revocatione cadit. Hinc si quis Apostolica auctoritate in Canonicum ultra numerum receptus, plenitudinem juris Canonici habeat quoad Capitulum, chorum, & quotidianas Distributiones; fed tamen tempore revocationis, dignitates, Personatus, Præbendas, Portiones, quæ numerariis tantum Canonicis dantur, expectabat;

is

(*a*) L. actionum ff. de obligat. & act.

(*b*) C. si is, cui, de præbendis in e. (*c*) Ibid.

is sub revocatione comprehenditur (*a*), quia non habet, nisi jus purum ad rem. Et similiter dicendum, si quis obtenta gratia, ut sibi provideretur de Canonicatu, & Dignitate, Canonicatum quidem obtainuerit tempore revocationis, secus Dignitatem; jus enim ad Dignitatem separabile est a jure in re acquisito Canonicatus, ideoque sub revocatione comprehenditur (*b*).

Q. 5. Quæ sit differentia inter jus naturale, & positivum?

R. Differunt 1. quia quæ sunt juris naturæ, sunt præcepta quia bona, vel prohibita, quia mala; quæ vero sunt juris positivi sunt bona, quia præcepta, vel mala, quia prohibita. 2. quia jus naturæ obligat omnes, jus positivum obligat illos tantum, quibus imponitur. 3. quia jus naturæ est immutabile, jus positivum mutari potest (*c*).

C A P U T II.

De Dominio.

CUM dominium sit fundamentum juris, ut est facultas quidpiam faciendi, acquirendi, possundi, &c. ab eoque pendeat iustitiae objectum; necesse proinde est, ut de dominio accurate disseramus.

§. I.

De Dominio secundum.

Q. 1. **Q**uid sit dominium? & quotuplex?

R. Dominium generatim est auctoritas, & potestas in rem, vel personam; cui auctoritati,
T 2 & po-

(*a*) C. quodam ibid. (*b*) C. si is, cui, cit.

(*c*) Vide S. Thom. 2. 2. q. 57. a. 2.

& potestati respondet subjectio in re, vel persona, ita ut dicantur alterius (a). Unde ait (b) S. Ambrosius: *Nomen Dominus, nomen est potestatis.*

Duplex est dominium, *jurisdictionis*, & *proprietatis*. Dominium jurisdictionis est potestas gubernandi subditos, eis aliquid praecipiendi, prohibendi, vel permitendi, ipsos judicandi, puniendi, aut remunerandi, ab eisque emolumenta recipiendi in ordine ad bonum commune. Hoc dominium aliud est Ecclesiasticum, aliud Civile. Istud respicit bonum temporale subditorum, & competit Regibus, aliisque Principibus. Illud respicit bonum spirituale, ad quod subditos dirigit, & residet in Summo Pontifice, Episcopis, cæterisque Superioribus habentibus jurisdictionem Ecclesiasticam. Neutrum tamen præstat jus strictum despotice disponendi de rebus subditorum. Hinc S. Thomas (c): *Si Principes, inquit, a subditis exigant, quod eis secundum iustitiam debetur, propter bonum commune conservandum, etiamsi violentia adhibeatur, non est rapina. Si vero aliquid Principes indebite extorqueant per violenciam, rapina est, sicut & latrocinium.... Unde ad restitutionem tenentur, sicut & latrones. Et tanto gravius peccant, quam latrones; quanto periculosius, & communius contra publicam iustitiam agunt, cujus culpodes sunt positi.*

Dominium proprietatis quod est facultas disponendi de re aliqua tamquam sua in proprium commodum (d), aliud est plenum, & perfectum, seu jus ad proprietatem rei, ejusque commoda; aliud non plenum, & imperfectum, seu jus ad proprietatem rei, absque ejus emolumentis, vel jus ad emolumen-

(a) Idem q. 7. de pot. a. 10. ad 4. (b) L. 1. de fide, c. 1. n. 7.

(c) S. Thom. 2. 2. q. 66. a. 8. ad 3.

(d) S. Thom. 2. 2. q. 66. a. 1.

menta, absque rei proprietate. Cum quis habet proprietatem rei, sine jure percipiendi fructus, dicitur dominus directus, seu proprietarius, & dominium appellatur *directum*. Qui vero habet jus percipiendi fructus rei, non rei proprietatem, dicitur *Ususfructarius*, *Feudatarius*, *Emphyteuta*, &c. & dominium vocatur *utile*.

Dominium perfectum definitur: *Facultas legitima disponendi de re tamquam sua in omnes usus lege non prohibitos, in proprium commodum.* Dicitur *disponendi*, quia habens dominium perfectum, de re sua agit propria auctoritate. Dicitur *tamquam sua*, ut excludatur simplex jus ad rem, & nuda possessio sine proprietate, ut in pignore &c. Dicitur *ad omnem usum*; ut excludatur dominium imperfectum, sive directum, sive utile. Dicitur *lege non prohibitum*, quia lex quandoque prohibet, ne quis bona sua alienet, quamquam sit verus illorum dominus, ut est pupillus ante legitimam aetatem, qui tamen si alienaret, non peccaret contra iustitiam, quia suorum bonorum vere dominium habet, tametsi impeditum, ne in actum exeat. Denique dicitur, *in proprium commodum*, ut dominium proprietatis differat a dominio jurisdictionis, quo nemo uti potest in proprium commodum, sed dumtaxat in communiorum subditorum utilitatem.

Q. 2. Quid sit ususfructus?

R. Ususfructus est *jus utendi, & fruendi re aliena, salva ejus substantia.* Dicitur *jus utendi*, per quod distinguitur a deposito, vel pignore. Additur *& fruendi*, ut distinguatur a mero usu. Subditur *re aliena*, quia hic sermo est de usufructu separato a proprietate. Tandem verba illa, *salva rei substantia*, significant, usumfructum proprio constitui non posse in iis rebus, quae usu consumuntur, ut in vino, oleo, &c.

Hinc statim sequitur, usumfructuarium non solum uti posse fructibus rei, sed etiam illos distrahere,

here , aut vendere in alterius utilitatem , cum sit illorum dominus . Fructus autem nomine intelligitur quidquid ex fundo potest percipi , ut sunt fœnum , segetes , arborum fructus , arbores cœduæ , non vero fructiferæ , pecorum fœtus , lac , lana , &c. (a) servorum opera industriæ , & mercedes , non tamen proles . Ut autem usufructuarius fiat dominus fructuum , necesse est , ut fructus sint collecti , alioquin sunt partes fundi , adeoque pertinent ad dominum directum (b) . Hinc fructus ad eumdem dominum directum pertinent , si usufructuarius moriatur , antequam colligantur . Si tamen quis illos surriperet , antequam colligerentur , restituendi essent usufructuario , qui jus habet ea colligendi , iisque fruendi .

Sequitur præterea , usufructuarium teneri de omni damno , quod ex sua negligentia patitur dominus directus in rei substantia , quam tenetur diligenter conservare . Hinc debet supplere ex fœtibus demortua , vel inutilia pecora : novas plantas sere-re loco arescentium , reficere ædes mediocribus sumptibus , non autem magnis (c) . Ei quoque incumbunt onera rei adnexa , ut tributorum solutio . Verum si quis usumfructum habeat non totius gregis , sed singulorum capitum , non tenetur alia capita substituere loco demortuorum (d) : idemque dicendum , si pecus sit ejus naturæ , ut prolem non habeat . Item si arbores eversæ sint vi tempestatis , non tenetur usufructuarius novas plantare (e) , sed tamen eversæ pertinent ad dominum directum , nisi forte necessariæ sint ad restaurandam villam , tunc enim usufructuarius iis potest uti . Denique non tenetur ad reparandas ædes , si vetustate corruerint .

Q. 3.

(a) L. si absente fl. de usufructu .

(b) Inst. l. 2. t. 1. de rerum divisione , 6. is vero .

(c) L. 7. fl. de usufr. (d) L. 70. ibid. (e) L. 59. ibid.

Q. 3. Quomodo acquiratur , vel finiatur ususfructus?

R. Ususfructus acquiritur vel auctoritate legis , & dicitur civilis , vel privata dispositione , & dicitur conventionalis . Finitur vero 1. si ususfructuarius ipsum cedat domino directo , vel hic transferat in illum proprietatem rei . 2. si res tota pereat . 3. si sit elapsum tempus , ad quod concessus fuit ususfructus . 4. morte ususfructuarii naturali , vel civili ; idque tametsi dominus directus expresserit , ut ususfructus transiret ad hæredes . Cum enim ususfructus sit jus personale , tunc censetur novus ususfructus in persona hæredis , adeoque de novo cavendus . Quod si ususfructus concessus sit Ecclesiæ , vel Civitati , quæ non extinguitur , durat centum annis , quia *is finis vitæ longævi hominis est* (a) . 5. si ususfructuarius attinet , contradicente domino directo , vendere jus quod habet ad usum rei , jus suum amittit .

Q. 4. Quid sit nudus usus?

R. Usus definitur : *jus utendi tantum re aliena , salva ejus substantia* , v. g. intrandi hortum , utendique fructibus pro se , suaque familia . Dicitur *jus* , quia hic definitur usus juris , non facti , quod non est jus , sed juris exequutio , quæ ad nutum concedentis revocari potest . Unde Religiosus professus , cui conceditur usus rei , nihil juris acquirit ad ipsum usum . Dicitur *utendi tantum re aliena* , quia usuarius nihil ex ea percipere valet , excepto usu ; imo nec ipsum usum potest in alterum transferre , quia habet tantum jus utendi . Dicitur *salva rei substantia* ; tenetur enim usuarius rem conservare domino directo ,

(a) L. 56. ff. de usufr.

§. II.

De Possessione, & Servitute.

Q. 1. **U**id, & quotuplex sit possessio?
R. Possessio consequitur dominium in re: Duplex est, *juris, & facti*. Possessio facti est *apprehensio, vel detentio rei, corporis, animi, jurisque adminiculo*. Dicitur *apprehensio, vel detentio*, quibus verbis designatur *inchoatio, & conservatio possessionis*. Dicitur *rei*, quo nomine comprehenduntur omnes res, etiam spirituales, ut *Beneficia, Dignitates, &c.* Dicitur *corporis, & animi adminiculo*, quia ad possessionem acquirendam satis non est, ut res vel solo corpore, vel sola intentione apprehendantur, sed requiritur, ut earum apprehensio fiat aliqua actione corporali, & cum animo possendi (a). Potest tamen possessio capi per *Procuratorem* (b). Denique dicitur *juris adminiculo*, seu jure non repugnante. Nam satis est ad possessionem facti, si jus non impedit, quominus detentio rei censeatur ejus possessio. Hinc fur, licet teneatur ad restitutionem, nihilominus facto possidet rem furatam, si sit profana, quia talem possessionem jus non irritat. At laicus non possidet rem sacram, et si illam detineat, quia jus repugnat.

Possessio juris est *jus insistendi rei tamquam sue, non prohibite possideri*. Differt a mera possessione facti, quia haec nullo titulo nititur; juris autem possessio oritur ex justo titulo, & contra invasorem jus tribuit.

Possessio item duplex est, alia *naturalis*, qua res animo, & corpore detinetur tamquam propria; alia *civilis*, qua possessio jam corpore, & animo com-

(a) L. traditionibus, C. de pactis.

(b) L. generaliter s. de acquir. posses.

comparata, conservatur solo animo, etiam absente possessore.

Insuper possessio alia est *justa*; alia *proprio nomine*; alia *nomine alterius*; alia *bonæ fidei*; alia *malæ fidei*. Et potest possessio bona fide capta, continua-
ri mala fide.

Q. 2. Quot modis acquiratur possessio?

R. Tribus modis acquiritur possessio, scilicet *ap-prehensione vera*, *ficta*, & *civilissima*. Apprehensio vera est, cum res apprehenditur corporis adminicu-
lo, ut domum intrando, rem manibus tenendo,
Ficta est, cui rei possessio ita traditur, ut juris exi-
stimatione censeatur in alterum transferri, ut si
tradatur clavis domus, vel instrumentum, quo con-
tinetur jus ad rem. Civilissima demum fit sola ju-
ris dispositione, nullo corporis, animive adminicu-
lo, etiam ignorantie illo, qui possidere incipit, quo
pacto possidetur majoratus ab haerede etiam inscio.
Ordinarie tamen dominium non acquiritur sine ap-
prehensione vera, vel ficta (*a*).

Q. 3. Quæ sint privilegia possessionis?

R. Præcipua sunt quatuor. 1. quod pariat præscri-
ptionem, si sit possessio bonæ fidei. 2. quod in du-
bio circa dominium melior sit conditio possidentis.
3. quod possessor non teneatur in judicio probare
dominium rei, sed id pertineat ad actorem. 4. quod
possessor armis tueri possit justam possessionem re-
rum, quas antea possidet, cum moderamine tamen
inculpatae tutelæ, adhibitisque conditionibus infra
explicandis.

Q. 4. Quid sit servitus, & quotuplex?

R. Servitus potest dupliciter accipi, 1. *actiue*,
estque *jus*, quo quis fruitur in re aliena, ut in ipsa
fiat aliquid, vel non fiat, in sui commodum. 2. *passi-
ve*,

(a) L. possideri ff. de acquir. possess.

ve, estque obligatio rei alienæ, ut in ea aliquid fiat vel non fiat in commodum alterius, salva rei substantia. Utrumque triplex est, personalis, realis, & mixta. Personalis est, quæ a persona debetur personæ, ut servitus mancipiorum. Realis, quæ a re debetur rei, ut si prædium unius serviat prædio alterius, quia alter habet jus per illud ex isto transfundi. Mixta, quæ a re debetur personæ, estque triplex, ususfructus, usus, & habitatio, cum hæc alicui constituitur separatim a proprietate.

§. III.

De objecto Dominii, ejusque subiecto.

Q. I. **U**Æ res cadant sub dominio hominis?
R. Omnia exteriora bona usui hominum destinata, cadere possunt sub dominio hominis, juxta illud Psalm. 8. *Omnia subiecisti sub pedibus ejus.* Reipsa tamen homo non est dominus, nisi earum rerum, quas legitime, & juste possidet.

Est etiam dominus omnium suarum operationum, quæ libero ejus subduntur arbitrio. Nam hujusmodi actus, utpote voluntarii, maxime sunt in potestate hominis, & rationis imperio subduntur (*a*).

In vitam, membraque sua homo dominium absolute, & directe non habet. Dicitur enim Sapien. 16. *Tu es, Domine, qui vitae, & mortis habes potestatem.* Multo minus Principes, & Republicæ tales dominium habere possunt. Hinc nonnisi ob commune bonum, cui noxia est quorumdam hominum vita, ipsos addicere possunt morti, aut mutilationi membrorum.

Non ita est de fama, & honore, quæ cadunt sub

(*a*) *S. Thom. 1. 2. q. 17. a. 6.*

sub hominis dominio , ut docet S. Thomas (*a*) ; adeoque hominis arbitrii est , detrimentum suæ famæ pati , nisi hoc vergat in periculum aliorum . Esset tamen peccatum prodigalitatis se diffamare , aut suam famam negligere absque rationabili causa , juxta illud Eccl. 41. *Curam habe de bono nomine.* Poteſt etiam quis peccare contra iustitiam negligendo , vel prodigendo suam famam , 1. si ex ejus fama pendeat fama alterius . 2. si ejus fama requiratur , ut poſſit exercere munus , ad quod ex iustitia tenetur .

Spectato jure naturæ , nullus homo dominium habet in aliū hominem , quia nemo natura servus est . At spectato jure gentium , servitus inducta est ; nulla tamē admittitur servitus inter Christianos ex nova juris dispositione . Fit autem aliquis servus alterius , 1. conditione nativitatis , ut si naſcatur ex matre ancilla . 2. jure belli , modo fit iustum . 3. iusta condemnatione . 4. emptione . Quod si quis fit servus vel conditione nativitatis , vel iusta condemnatione , vel emptione , ipsi fugere a domino non licet , quia computatur in rebus domini ; niſi forte a domino pertraheretur ad peccatum , quod , fugiendo , ſolum præcavere poſſet ; aut necessaria vi- tæ ipſi denegarentur : nam jus ad vitam animi , & corporis prævalet juri dominativo . De servis au- jure belli iusti , certum eſt , ipſis non licere ſe vindicare a feruitute , inferendo vim dominis etiam perſequentibus ; aut fugæ ſe committere , poſtquam dederunt fidem de fuga numquā arripienda . De iisdem ait Justinianus (*b*) : *Si evaderint noſtram po- feſſatem , & ad ſuos reverſi fuerint , priuilegium ſtatutum recipiunt . Ad ſuos autem non ante rediſſe cenſen- tur , quam ad ſuum Regnum pervenerint .*

Q. 2.

(*a*) 2. 2. q. 73. 2. 4. ad 1.

(*b*) Inſt. l. 2. t. de rer. diviſ. §. Item ea .

Q. 2. Cuinam competitat habere dominium?

R. Quisquis intellectu pollet, dominii capax est, quia potest disponere tam de suis actibus, quam de rebus exterioribus. Deus omnium Auctor supremum in omnia dominium habet, juxta illud Sapient. 12. *Omnium Dominus es.* Homines supra res exteriores sunt proprie dominii capaces: unde dicitur Psal. 8. *Omnia subjecisti sub pedibus ejus, oves, & boves tu.* Amentes autem, & pueri ante usum rationis, quamquam sint capaces dominii, non habent tamen dominii usum. Hinc bona sua administrare non possunt; & si quis ipsis ea bona usurparet, peccaret contra justitiam. De infidelibus quod vero potiantur dominio, ambigendum non est; infidelitas namque non aufert jus ad propria bona. Quamvis autem haec de hominibus generatim vera sint, reperiuntur tamen quædam personæ, quæ ca- rent dominio vel absolute, vel respectu quorundam bonorum. Hujusmodi sunt mancipia, filii fa- milias, uxores, Religiosi solemniter professi, & Viri Ecclesiastici. Cum autem de dominio Ecclesiasticorum jam satis dictum sit, ubi egimus de vita, & honestate Clericorum in Tractatu de Sacramen- to Ordinis; restat modo, ut de dominio reliquo- rum pauca dicamus.

Q. 3. An mancipia sint domini saltem alicujus generis bonorum?

R. Servi sive emptitii, sive capti justo bello, si- ve per sententiam servituti addicti, nullum domi- nium habent suarum operarum, laborum, ac fru- ctuum, quia omnino subsunt jurisdictioni domino- rum. Si quæ tamen bona possidebant ante servi- tutem, illorum dominium non amittunt, nisi forte per sententiam, qua servituti addicti sunt, il- la etiam bona amiserint. Servi etiam jure nativi- tatis quidquid acquirunt, domino acquirunt. Exci- piuntur aliqui casus, ac i. quidem servi habent jus, ut sibi resarciantur mala, si domini eos muti- lave-

laverint, vel congrua alimenta denegaverint, aut famam eorum graviter læserint: nam domini jus non habent in eorum vitam, membra, aut famam. 2. Servi habent dominium rei, si quæ ipsis a domino donetur; is enim donando videtur privilegio suo renunciasse. 3. Sunt domini illorum bonorum, quæ ludo, aut aliis contractibus lucrantur, domino consentiente. 4. Possunt pecunias sibi acquirere ad se redimendum pluribus titulis in jure recensitis (a). 5. Si ancilla aliquid recipiat pro illicito usu sui corporis, acquirit sibi; & non domino, quia talis usus non stat sub jure domini. Alios casus vide apud Auctores.

Q. 4. Filii familias quorum bonorum dominium habeant?

R. Bona filiorum familias quadruplicis sunt generis. Quædam dicuntur *castrensa*, seu quæ filiis obveniunt titulo militiæ, sive ut stipendia, sive ut præmia, sive ex preda, sive ex hæreditate ipsis relicta, militiæ causa, sive ex donatione eisdem euntibus ad bellum, vel ad obsequium Principis, facta; sive quæ filii comparant peculio castrensi, vel quæ in Aula Principis adipiscuntur (b). Quædam dicuntur *quasi castrensa*, quæ scilicet filii comparant ex publico munere, aut exercitio artis liberalis, quodque ipsis datur intuitu publici muneris, v. gr. libri; vel quæ donantur eis a Principe, vel ab aliis traduntur ea lege, ut ipsi dumtaxat habeant usumfructum (c). Quædam sunt *adventitia*, sive quæ filiis obveniunt, vel ex successione in bona materna, vel ex donatione aliorum, non tamen primario facta intuitu patris; vel ex casu fortuito, ut ex inven-

(a) L. 1. ff. de offic. Praefecti Urbi, & 1. vix, ff. de judiciis.

(b) L. castrense ff. de castrensi peculio.

(c) L. cum multa, C. de bonis, quæ liberis.

vento thesauro; vel titulo negotiationis, aut legati. Quædam denique dicuntur *profectitia*, seu quæ filii acquirunt ex bonis paternis, aut quæ ipsis a patre in vivis agente, vel ejus intuitu primario, & immediate donantur.

Itaque ad bona *castrrena*, & *quasi castrrena* quod attinet, filii familias sub patria potestate constituti, habent in ea bona dominium utile, & directum (a), modo tamen sint puberes: nam ante annum 14. administratio eorumdem bonorum spectat ad patrem, vel ad tutorem, sine quorum consensu filii non possunt illa distrahere.

Quoad bona *adventitia*, dominium directum est penes filium, sed ususfructus, & administratio penes patrem (b). Hinc pater potest solum disponere de fructibus, alias restitutionis onere tenetur: filius autem, mortuo patre, non debet ea bona computare in partem hæreditatis. Quandoque filio cedit ususfructus adventiorum bonorum, scilicet 1. si pater ipso concedat usumfructum. 2. si pater constituantur hæres simul cum filio: nam tunc filius usumfructum habet pro rata partis. 3. si filio relictus sit dumtaxat ususfructus. 4. si bona donata sunt filio, patre rénuente.

Denique bonorum *profectiorum* plenum dominium est penes patrem: neque aliud commodum ex iis bonis filio accedit, nisi quod illa publicari non possint, si forte bona patris ob ejus delictum publicentur (c).

Q. 5. Ad quæ bona se extendat dominium uxorum?

R. Uxor̄is bona triplicis sunt generis, *paraphernalia*, *dotalia*, & *communia*. *Paraphernalia* dicuntur, quæ

(a) L. filius familias C. de *castrensi* peculio.

(b) L. cum oportet, C. de bonis, quæ liberis &c.

(c) L. 3. §. sed utrum, ff. de minoribus.

quæ præter dotem donata, vel relicta sunt uxori a parentibus, aut aliis in ejus usus; itemque illa, quæ mulier acquirit, vel ex proprio lucro, vel quocumque alio licito modo, non deserendo tamen familiæ curam (*a*); aut quæ subtrahit sibi de certo aliquo, quod vir ipsi dedit ad ornamenta, & honestas expensas. *Dotalia* sunt, quæ ordinantur ad sustentanda onera Matrimonii (*b*). *Communia*, quæ utriusque conjugis labore, tempore Matrimonii acquiruntur.

Bona *paraphernalia* subsunt pleno uxoris dominio, quæ proinde habet illorum proprietatem, & administrationem (*c*). Requiritur tamen ut ea sibi reservaverit saltem implicite; nam si in contractu Matrimonii omnia viro donavit tam præsentia, quam futura, paraphernalia bona habere non potest.

In bona *dotalia* maritus habet dominium utile, & administrationem (*d*); uxor vero dominium directum, unde mortuo viro dos obvenit uxori.

Similiter maritus habet dominium utile, & administrationem bonorum *communium*, quia vir est caput mulieris, ut ait Apostolus (*e*); uxor tamen habet dominium directum medietatis eorumdem bonorum, quia marito defuncto, hæc mediætas uxori obvenit. Spectandæ tamen sunt locorum leges.

Q. 6. An Religiosi sint capaces dominii?

R. Religiosi peculiares obstricti voto paupertatis, nullum dominium habent, nec habere possunt, sed tantummodo usum facti, & omnino dependenter a voluntate Prælati. Nihilominus Communities Religiosæ ex concessione Nicolai III. (*f*), & ex Con-

clii

(*a*) S. Thom. 2. 2. q. 32. ar. 8. ad 2. (*b*) Ibidem.

(*c*) L. hac lege, C. de partis conventis &c.

(*d*) L. dotis 1. ff. de jure dotium. (*e*) 1. Cor. 11.

(*f*) C. exiit, de verb. signif. in 6.

cili Tridentini Decreto (*a*) sunt capaces dominii; exceptis tamen FF. Minoribus de Observantia, & Capuccinis. Hinc Religiosæ Communitates possunt inire contractus, modo isti non pugnant cum statu Religioso, vel ex sui natura, vel ex lege prohibente: sunt etiam capaces hæreditariæ successionis, siue per testamentum, siue ab intestato; ideoque si Religiosus ante professionem de suis bonis non disponat, jure hæreditario succedit Monasterium, vel Religio (*b*).

Q. 7. An bona Ecclesiastica possint alienari?

R. Jampridem Paulus II. Constitutione, quæ incipit, *Ambitiosa* (*c*), prohibuit omnium rerum, & bonorum Ecclesiasticorum alienationem, omneque pactum, per quod ipsorum dominium transfertur, concessionem, hypothecam, locationem, & conductionem ultra triennium, neconon infeudationem, vel contractum emphyteoticum, præterquam in casibus a jure permisis, ac de rebus, & bonis in emphyteusim ab antiquo concedi solitis, & tunc cum Ecclesiarum evidenti utilitate, ac de fructibus, & bonis, quæ servando servari non possunt, pro instantis temporis exigentia; confirmavitque suorum Prædecessorum decreta hac de re ante edita. Porro statuit, ut si quis contra hujus prohibitionis tenorem de bonis, & de rebus eisdem quidquam alienare præsumperit, alienatio hypotheca, concessio, locatio, conductio, & infeudatio hujusmodi, nullius omnino sint roboris, vel momenti. Et tam qui alienat, quam is, qui alienatas res, & bona prædicta receperit, sententiam excommunicationis incurrat. Alienanti vero bona Ecclesiarum, Monasteriorum, Locorumque Piorum quorumlibet, inconsulto Romano Pontifice, aut contra præsentis Constitutionis tenorem, si Pontificali, seu Abbatiali præfulgeat dignitate, ingressus Ecclesiae sit peni-

(*a*) Sess. 25. de Reg. c. 3.

(*b*) Auth. ingressi, C. de Sacros. Eccl.

(*c*) Extray. com. de rebus Eccl. non alienandis.

penitus interdictus. Et si per sex menses immediate sequentes, sub interdicto hujusmodi, animo (quod ab sit) perseveraverit indurato, lapis mensibus eisdem, a regimine, & administratione sue Ecclesiae, vel Monasterii, cui præsidet, in spiritualibus, & temporibus sit eo ipso suspensus. Inferiores vero Prælati, Commendatarii, & aliarum Ecclesiarum Rectores, Beneficia, vel administrationem quomodolibet obtinentes, Prioribus, Præposituris, Dignitatibus, personatibus, administrationibus, Officiis, Canoninatibus, prebendis, aliisque Ecclesiasticis, cum cura, & sine cura secularibus, & regularibus Beneficiis, quorum res, & bona alienarunt dumtaxat, ipso facto privati existant, illaque absque declaratione aliqua vacare censeantur, possintque per locorum Ordinarios, vel alios, ad quos eorum collatio pertinet, personis idoneis (illis exceptis, que propterea private fuerint) libere de jure conferri, nisi alias dispositioni Apostolicæ Sedis sint specialiter, aut generaliter reservata: & nihilominus alienatae res, & bona hujusmodi ad Ecclesias, Monasteria, & Loca Pia, ad quæ ante alienationem hujusmodi pertinebant, revertantur.

Ex quo Pauli II. Decreto infertur 1. prohibitam esse omnem alienationem bonorum Ecclesiasticorum, non solum illam, qua transfertur dominium directum, &c utile, aut utile dumtaxat, sed etiam alienationem late, & communiter acceptam, seu omne pactum, quo transfertur dominium alicujus boni Ecclesiastici, itaut nomine boni Ecclesiastici nedum veniant possessiones, prædia, &c. sed etiam quodcumque jus utile, & Ecclesiasticum.

Infertur 2. quænam sint pœnæ constitutæ contra alienantes bona Ecclesiastica, videlicet 1. nullitas actus. 2. Excommunicatio latæ sententiæ, quæ tamen non est reservata, nec incurritur, nisi bona Ecclesiæ tradantur, nec afficit nisi præsumentes. 3. Interdictum, quod nec etiam est reservatum, afficit autem solo Episcopos, & Abbates, modo

sint præsumentes. 4. Suspensio ipso jure a regimine , & administratione ; quæ tamen poena , afficit personas in Paulina Constitutione memoratas . Verum in Clementina 1. de rebus Eccl. non alienandis fertur suspensio ipso jure ab officio , jurisdictione , & administratione in Regulares administrantes bona Ecclesiæ , aut Monasteriorum Præsides , qui contra præscriptum ejusdem Clementinæ tradunt bona , vel redditus Monasterii . 5. Privatio Beneficiorum , & administrationum Ecclesiarum , quæ afficit tantum Prælatos , & Administratores , Episcopis , & Abbatibus inferiores , & respicit dumtaxat illa Beneficia , quorum bona alienantur . 6. Privatio officiorum omnium &c. & utriusque vocis , ac inabilitas ad illa officia in posterum obtinenda : quæ poena lata fuit in Decreto Sac. Congreg. Conc. approbato ab Urbano VIII. estque latæ sententiae , & reservata , sed non afficit , nisi Superiores Regulares , & Capitula .

Hic autem notandum in primis est Decretum præfatæ Sacræ Congregationis , quo prohibetur , ne Regulares pecunias ad cambium , vel mutuo accipiant , cum solutione lucri cessantis , & damni emergentis .

Notandum insuper , ex declaracione ejusdem Sac. Congregat. quæ refertur Tom. 7. Bull. Ord. Præd. pag. 483. prohibitam esse donationem , venditionem , permutationem &c. inter Ecclesiam , & Ecclesiam ejusdem Ordinis , tametsi adsit utilitas utriusque .

Præterea notandum ex Passerino (a) , non omnem locationem ultra triennium esse prohibitam ; sed circa locationes servari debere consuetudinem legitime præscriptam ; servato tamen Decreto Concilii

(a) De statu hominum q. 185. a. 7. n. 212.

cili Tridentini (a), quo præcipitur, ne Ecclesiærum bona, repræsentata pecunia, in successorum præjudicium aliis locentur, alioquin si anticipatis solutionibus fiant, nullatenus in præjudicium successorum validæ intelligantur.

Ad hæc addimus ex eodem Passerino (b), prohibitam esse alienationem sub conditione beneplaciti Apostolici, si tradatur possessio rei vi contractus conditionati, quia traditio possessionis compleat contractum, ipsunque perficit. Si autem tradatur res ex contractu licto, v. g. locationis, quo usque obtineatur beneplacitum Apostolicum, adjecta clausula expresse, ut emens rem interim detineat titulo locationis, non est alienatio, quia possessio rei remanet penes Ecclesiam. Prohibita quoque est venditio sub clausula constituti, sive cum ille, qui rem Ecclesiæ vendit, ante obtentam Sedis Apostolicæ licentiam, constituit se possidere nomine emptoris.

Quoad bona, quorum alienatio prohibetur, notanda est declaratio Sac. Congreg. Conc. 23. Februarii 1647. qua dictum fuit, sub iis bonis comprehendi non solum immobilia, & mobilia pretiosa, verum & Codices manuscriptos antiquos, & preciosos, ac pieturas magni valoris.

Denique cum in Paulina Constitutione excipiuntur, quoad emphyteusim, bona in emphyteusim concedi solita, & casus a jure permissi; animadvertisendum ex eodem Passerino (c), Quod res Ecclesiæ semel concessa in emphyteusim, vel alienata per concessionem solemnem, & validam, dicitur solita alienari, vel locari, & hoc sufficit ad hoc, ut possit postea sine solemnitate, cum devolvitur, iterum concedendi in emphyteusim,

(a) Sess. 25. de Reform. c. II.

(c) Ibid. n. 187.

(b) Loc. cit. n. 161.

„ vel locari ad longum tempus . Conclusionem
 „ hanc tamquam communem tradidit Rota decis.
 „ 434. &c. “ Ipse tamen Passerinus advertit (*a*),
 plura requiri , ut licita sit reconcessio rei , quæ da-
 ri solet in emphyteusim ; ac 1. quidem , ut conce-
 sio non fiat durante prima investitura . Ex Rota de-
 cis. 29. 2. Ut res devoluta , non sit incorporata
 Ecclesiæ ; & in dubio censenda est incorporata .
 3. Ut duret causa antiquæ concessionis : unde si
 res inculta ad culturam redacta revolvatur , non po-
 test iterum concedi sine licentia . Rota decis. 1490.
 quippe in nova concessione debet esse Ecclesiæ util-
 itas tempore ultimæ concessionis , nec satis est ,
 illam antiquitus fuisse . 4. Ut in nova concessio-
 ne non alteretur locatio solita in substantialibus ,
 itaut non alterentur priora pacta , conditiones &c.
 in præjudicium Ecclesiæ ; alioqui non erit conti-
 nuatio antiquæ concessionis . Rota decis. 360. Res
 tamen meliorata non potest iterum concedi in em-
 phyteusim , non aucto canone . Rota ibid. quia id
 est in utilitatem Ecclesiæ . 5. Ut Ecclesia sit in
 eodem statu , quo erat tempore primæ concessio-
 nis : nam si Ecclesia sit deterioris status , Præ-
 latus debet feudum pro ipsa retinere . Cætera ad
 hanc materiam pertinentia vide apud laudatum
 Passerinum art. cit. ubi eamdem materiam prorsus
 exhaustit .

(a) Loc. cit. n. 189. seqq.

§. IV.

*De modis acquirendi dominium rerum, quæ suum
habent dominum.*

Q. 1. **Q**uomodo fiat translatio dominii?

R. Dominium rerum, quæ suum habent dominum, spectato jure naturæ, transfertur mutuo consensu exterius expresso; jure tamen positivo ordinarie requiritur titulus, & traditio (a). Est autem translatio dominii transmissio rei ab eo, qui legitime possidet, in alterum, qui incipit esse dominus. Titulus vero est causa moralis, seu radix, & fundamentum dominii, quo quis dominum se esse probat, v. g. emptione, donatione, &c. Titulus est duplex, verus, qui sufficit ad justificandam possessionem; & presumptus, seu coloratus, qui si bona fide invincibiliter creditur esse verus, sufficit ad prescribendum. At neuter ordinarie praestat ius in re, sed solum ius ad rem, nisi accedat traditio. Est autem traditio duplex, scilicet *realis*, cum traditur res ipsa; & *civilis*, seu *ficta*, cum datur aliquod ad indicandam traditionem.

Dixi ordinarie requiri traditionem ad transferendum dominium: nam in quibusdam casibus dominium transfertur absque traditione. Ac 1. si res vendatur, donetur, relinquatur Ecclesiis, Civitatibus, Locis Piis (b). 2. In beneficiis, in quibus sufficit sola collatio, & acceptatio (c). 3. In hereditate, cuius dominium acquiritur heredi, habita hereditate (d). 4. In legato (e).

V 3

Q. 2.

(a) L. 20. C. de pacis. (b) L. ult. C. de Sacros. Eccles.

(c) C. si tibi absentia, de Prabendis, in 6.

(d) L. cum heredes, ff. de acquir. possess.

(e) L. 66. ff. de furt. q. si ip.

Q. 2. An sint alii modi acquirendi dominium rei, quæ suum habet dominum?

R. Plures numerantur modi in jure recensiti. Igitur 1. acquiritur dominium per *specificationem*, sive *formationem* rei. Acquiritur autem dominium rei, si species mutari possit in pristinum statum, ut si ex auro Caii Titius formavit vas, vas formatum est Caii. Si vero res nequeat mutari in pristinum statum, dominium acquiritur ei, qui rem formavit, ut si Titius formavit vestem ex bombice Caii, vestis est Titii, qui tamen tenetur Cajo de pretio bombicis, & insuper ad damna, nisi forte excusat bona fide (a).

2. Acquiritur dominium per *accessionem*, cum nempe res unius conjungitur rei alterius per industriam, vel laborem. Et quidem compositum ex utraque re erit illius, cuius est præcipua pars compositi: nam *juxta reg. 42. juris in 6. Accessorium naturam sequi congruit principali*s. Hinc si quis margaritam alienam inserat annulo suo, gemma cedit annulo, etiamsi gemma sit pretiosior (b). Succurritur tamen domino gemmæ actione conditionis ad exhibendum annulum, ut excludatur gemma; actione vero furti, si mala fides interfuit.

3. Dominium acquiritur per *confusionem*, si nempe res, quæ diversos habent dominios, ita miscentur, ut nullo modo discerni possit, quæ pars ad singulos spectet. Quod quidem si fiat fortuito, vel mutuo dominorum consensu, totum resultans sit ipsiis commune pro rata materia (c). Si vero fiat altero nolente, vel ignorantie, totum sit illius, cuius est pars præcipua, & principalis, cum onere tamen reddendi æquale pro rata partis alienæ.

4. Do-

(a) Inst. l. 2. t. 1. de rer. divis. §. 25.

(b) L. cum aurum, ff. de auro, & argento, §. Perveniamus.

(c) Inst. de rer. divis. §. 27.

4. Dominium acquiritur per *inædificationem*, de qua ita in jure statuitur (a). „ Cum in suo loco „ aliquis aliena materia ædificaverit, ipse dominus „ intelligitur ædificii; quia omne, quod inædifica- „ tur solo cedit. “ Sed duplum pretii cogetur sol- vere. „ Ex diverso, si quis in alieno solo sua ma- „ teria ædificaverit, illius fit ædificium, cuius & „ solum est: & si scit, alienum solum esse, sua „ voluntate amisisse proprietatem materiæ intelli- „ gitur. Itaque neque dirato quidem ædificio, vindi- „ catio ejus materiæ competit (b). “ Si vero ne- „ sciat, vel rem domini utiliter gesserit, tenetur do- „ minus de pretio materiæ, & de mercede opera- „ riorum (c).

5. Dominium acquiritur per *implantationem*, de qua sic etiam in jure (d) decernitur: „ Si alienam „ plantam in meo solo posuero, mea erit: ex di- „ verso si meam plantam in alieno solo posuero, „ illius erit: si modo utroque casu radices egerit; „ antequam enim radices ageret, illius permanet, cu- „ jus & fuit. “ Alibi (e) dicitur: „ Prope confi- „ nium arbor posita, si etiam in vicini fundum ra- „ dices egerit, communis fit. “ Statuitur etiam (f), ut si arbor radices egerit in fundo Titii, & tamen radices alias etiam egerit in fundo vicini, arbor sit Titii.

6. Dominium aquiritur per *pictiōnem*: unde pi- „ cṭura cedit tabulæ, si illa sit pretiosior (g). At si „ pictura fiat ornandæ rei causa, ut si quis pingat do- „ mum alienam, pictura cedit domui (h).

7. Per *alluvionem*, de qua jus (i) habet: „ Quid

(a) L. adeo, §. 10. ff. de acquir. rer. dom. (b) Ibid. §. 12.

(c) Ibid. (d) L. adeo cit. §. 13. (e) L. 2. Inst. de rer. divis. §. 31.

(f) L. si pīctures, ff. de arborum furtim caſar.

(g) L. 2. Inst. de rer. divis. §. 34.

(h) L. in rem, ff. de rei vindicat. §. 3.

(i) L. 2. Inst. de rer. divis. §. 20. seqq.

per alluvionem agro tuo flumen adjecit, jure gentium tibi acquiritur... Per alluvionem autem id videtur adjici, quod ita paulatim adjicitur, ut intelligi non possit quantum quoquo temporis momento adjiciatur. Quod si vis fluminis de tuo praedio partem aliquam detraxerit, & vicini praedio attulerit: palam est, eam tuam permanere. Plane si longiore tempore fundo vicini tui haeserit, arboresque, quas secum traxit, in eum fundum radices egerint: ex eo tempore videntur vicini fundo acquisitae esse". Subditur autem: „Quod si (flumen) naturali alveo in universum derelicto, ad aliam partem fluere coeperit: prior quidem alveus eorum est, qui prope ripam ejus praedia possident, pro modo scilicet latitudinis cuiusque agri, quæ prope ripam sit: novus autem alveus ejus juris esse incipit, cuius & ipsum flumen est. Quod si post aliquod tempus ad priorem alveum reversum fuerit flumen: rursus novus alveus eortum esse incipit, qui prope ripam ejus praedia possident".

8. Dominium acquiritur per *nativitatem*. Et quia partus sequitur ventrem, proles animalis sexus feminæ pertinet ad dominum ejusdem animalis (a). Hinc dominus servæ fit dominus prolis, etiam si pater fit liber (b); idemque est de fœtu pecorum.

9. Demum acquiritur dominium per *commixtionem*. Differt autem commixtio a confusione, de qua dictum est antea, quod in confusione corpora in unum coeant, nec maneant separata, ut si vina duorum misceantur; in commixtione autem corpora separata manent quoad substantiam, ut in commixtione frumenti. Si ergo commixtio fiat mutuo dominorum consensu, cumulus est ipsis communis.

Si

(a) L. ult. ff. de acquir. rer. domin.

(b) L. partum Cod. de rei vindicat.

Si fortuito , vel neutro volente , dominium non transfertur , sed unusquisque habet actionem in rem . Si autem altero inscio , vel contradicente , non plene constat ex jure , cui dominium acquiratur : At certum est , miscentem teneri ad reddendum alteri æquale .

§. V.

*De modis acquirendi dominium rerum , quæ nullum
habent dominum .*

Q. I. **Q**UOMODO ACQUIRITUR DOMINIUM ANIMALIUM ?

R. „ Feræ bestiæ , & volucres , & pisces , & omnia animalia , quæ mari , cælo , & terra nascuntur “ (ex natura sua , & consuetudine fera) „ simul atque ab aliquo capta fuerint , jure gentium statim illius esse incipiunt ; quod enim ante nullius est , id naturali ratione occupanti conceditur . Nec interest , feras bestias , & volucres numerum in suo fundo quis capiat , an in alieno “ . Ita Justinianus (a) . Excipe tamen , si fera ab aliquo jam capta fuerit , & loco circumsepto custodiatur . Subdit idem Justinianus (b) „ Quidquid autem causis eousque tuum intelligitur , donec tua custodia coercetur . Cum vero tuam evaserit custodiā , & in libertatem naturalem sese repperit , tuum esse definit , & rursus occupantis fit . Naturalem autem libertatem recipere intelligitur , cum vel oculos tuos effugerit , vel ita sit in conspicitu tuo , ut difficilis sit ejus persequutio “ . Hæc intellige , nisi obstat specialis lex , vel consuetudo .

Quod si animalia natura sua fera , sint consuetudine cicurata , & mansueta „ eousque tua intelliguntur , donec animum revertendi habeant “ (aut facile possint reduci) „ nam si revertendi animum habere , desie-

(a) Inst. 2. de rer. div. q. fæzæ . (b) Ibid.

„ desierint, etiam tua esse desinunt, & sunt occu-
 „ pantium. Revertendi autem animum videntur de-
 „ finere habere tum, cum revertendi consuetudinem
 „ deseruerint (*a*). “ In his tamen servandæ sunt
 legitimæ consuetudines locorum.

De animalibus natura sua domesticis, & mansue-
 tis sic decernitur in jure (*b*) : „ Licet conspectum
 „ tuum effugerint, quo cumque tamen loco sint, tua
 „ esse intelliguntur. “ Nam excurrendo non cen-
 sentur recuperare libertatem.

Q. 2. An licita sit venatio, aucupatio, aut pista-
 catio in publicis locis?

R. Potest Princeps pluribus causis prohibere ve-
 nationem, aucupationem, vel punctionem etiam in
 publicis locis, eamque sibi reservare, 1. jure belli,
 2. consensu populi, 3. jure præscriptionis, 4. ob
 rationabilem causam, qualis est honesta recreatio;
 quo tamen casu compensanda sunt subditis damna
 illata vel ex multitudine ferarum, vel ex ipsa ve-
 natione.

Ratione etiam publici boni prohibita est venatio
 tempore graviditatis, & partus ferarum, vel cum
 segetes intumescunt. Ob eamdem rationem vetita
 est pescatio retibus ita confectis, ut parvuli pisces
 concludantur.

Dicendum est ergo, punctionem, aut venatio-
 nem in locis publicis tempore, vel locis prohibi-
 tis, mortale peccatum esse, & restituendi onus in-
 dicere, si per eas notabiliter lœdatur bonum com-
 mune, propter quod prohibitio facta fuit, vel gra-
 ve damnum inferatur privatorum bonis: sin vero,
 erit peccatum veniale ob materiæ levitatem.

Q. 3. Ad quem pertineat dominium sylvarum,
 montium, & pascuorum?

R. Spe-

(*a*) Ibid. §. 15. (*b*) Ibid. §. 16.

R. Spectato jure gentium, tale dominium est penes populos viciniores; nisi forte ea loca peculari titulo spectent, vel ad dominum populi, vel ad aliquem singularem civem. Hinc si ea loca sint communia, potest quilibet populus vicinior in iis ligna cædere, atque illuc pecora ad pascendum ducere; quippe hujusmodi fructus sunt primi occupantis. Potest tamen Princeps, vel Magistratus prohibere, ne certis temporibus ibidem cædantur ligna, aut greges ducantur ad pascua, neve arbores grandiores abscindantur, idque ob publicam utilitatem. At nisi damnum ingens inferatur publico bono, non semper reus est peccati mortalis, qui hujusmodi prohibitiones transgreditur, quia non censetur gravis injuria Reipublicæ irrogata.

Q. 4. Quid de bonis derelictis, aut vacantibus?
 R. De bonis derelictis ita docet Sanctus Thomas (a): *Si (res) pro derelictis habeantur, & hoc credat inventor, licet sibi eas retineat, non committit furtum; alias autem committitur peccatum furti.* Quod expresse habetur in jure (b) per hæc verba, „*Si rem pro derelicta a domino habitam occupaverit quis, statim eum dominum effici.*“ Spectandæ tamen sunt leges, & consuetudines municipales locorum. *Pro derelicto autem habetur, quod dominus ea mente abjecerit, ut id in numero rerum suarum esse nolit: ideoque statim dominus ejus esse definit* (c). In dubio judicandum est in favorem domini. Hinc bona naufragantium, & quævis alia, quæ periissent, nisi alterius industria servata fuissent, haberi non possunt pro derelictis (d).

Ad

(a) 2. 2. q. 66. a. 5. ad 2. (b) L. 2. Inst. de rer. divisi. 6. 47.

(c) Ibid. (d) L. Pomponius, fl. de acqu. rer. Dom.

Ad bona vacantia quod attinet, ea spectato jure communi (*a*), pertinent ad fiscum. Excipiuntur tamen bona vacantia peregrinorum, de quibus decernitur (*b*), ut per manus Episcopi loci, si fieri potest, hæredibus transantur, vel in piis causas erogentur. Excipiuntur etiam Xenodochia, quæ habent privilegium adjudicandi sibi bona peregrinorum in iisdem Hospitalibus decedentium. Illa porro dicuntur bona vacantia, quæ relicta sunt ab aliquo, qui decessit ab intestato, quin haberet hæredes ipsi ab intestato succedentes.

Q. 5. Cujus sint res inventæ (*c*)?

R. Ex Sancto Thoma (*d*). Res inventæ quædam sunt, quæ numquam fuerunt in bonis alicujus, sicut lapilli, & gemmæ, quæ inveniuntur in littore maris: & talia occupanti conceduntur, spectato scilicet jure communi (*e*): nam potest Princeps, aut Respublica propter commune bonum, ea quæ nullius umquam fuerunt, vel sibi reservare, vel certis personis privilegium concedere, ut certis in locis illa querant, emant, vel pescantur. Subdit S. Thomas (*f*). Quædam vero inventæ fuerunt de propinquo in alicujus bonis: & tunc si quis eas accipiat, non animo retinendi, sed animo restituendi domino, qui eas pro derelictis non habet, non committit furtum... Alias autem committitur peccatum furti.

Ex quibus constat, bona recens amissa non esse inventoris, sed reddenda esse illi, qui amisit; ideoque de ipso diligenter inquirendum esse, eoque reperto gratis restituendum, quod ejus est, exceptis expensis, si quæ factæ sunt inquisitionis, vel inventionis causa.

(*a*) L. si vacantia C. de bonis vacant.

(*b*) Auth. omnes peregrini, C. communia de success.

(*c*) Vide Nat. 1. 4. c. 9. a. 3. reg. 8. (*d*) Art. cit.

(*e*) L. 1. ff. de divin. rer. (*f*) loc. cit.

sa Dicitur enim Lev. 6. *Anima, quæ peccaverit... dominus rem perditam invenerit, & inficians insuper pejeraverit..., convicta delicti, reddet omnia &c.*

Si tamen adhibita sufficienti diligentia, prudentum iudicio inveniri non possit dominus rei inventæ, pauperibus eroganda est, vel in alios pios usus convertenda, ut infra dicemus. Si ille (inquit (a) S. Thomas), cui debet fieri restitutio, sit omnino ignotus, debet homo restituere, secundum quod potest, scilicet dando in elemosynas pro salute iphius, sive sit mortuus, sive sit vivus, præmissa tamen diligentí inquisitione de persona ejus, cui est restitutio facienda. Potest tamen inventor, si revera pauper sit, rem inventam, vel ejus partem sibi applicare pro suæ paupertatis gradu; sed tamen adhibendum est iudicium viri prudentis (b).

Porro diligentiae adhibenda præsertim in rebus magni momenti, specimen exhibet S. Augustinus (c) his verbis. *Pauperrimus homo..., invenit sacculum, cum solidis ferme ducentis: memor legis proposuit pittacium publice. Reddendum enim sciebat, sed cui redderet ignorabat. Proposuit pittacium publice: qui solidos perdidit veniat, ad locum illum, & querat hominem illum. Ille qui plangens circumquaque vagabatur, invento, & lecto pittacio, venit ad hominem. Et ne forte quereret alienum, quesivit signa, interrogavit sacculi qualitatem, sigillum, solidorum etiam numerum. Et cum omnia ille fideliter respondisset, reddidit quod invenerat. Ille autem obtulit solidos vigenti: qui noluit accipere &c.*

Q. 6. Thesauri ad quos pertineant (d)?

R. The-

(a) 2. 2. q. 62. art. 5. ad. 3.

(b) Si alicubi aliquid præscriptum sit circa bonorum incertorum inventionem, id erit servandum.

(c) Serm. 178. al. 19. de verbis Apost. c. 7.

(d) Vide Nat. loc. cit.

R. Thesaurus est *vetus quædam depositio pecuniae*, *cujus non extat memoria, ut jam dominum non habeat (a)*. Dicitur *verus*: nam si quis recenti memoria opes suas bellorum, aut prædonum metu, aut custodiæ causa infoderit, illæ pro thesauro haberí non possunt, qui cedat inventori; habent enim dominum: unde fur esset, qui eas occupatus effuderet (b). Dicitur *pecuniae*, quo verbo tamen omnes res mobiles comprehenduntur.

Itaque thesaurus, spectato jure gentium, totus est inventoris; cum enim sit nullius, totus est primi occupantis (c). At jure Cæsareo, si thesaurus inveniatur in proprio fundo, totus est inventoris (d). Si reperiatur fortuito in fundo alieno, media pars est inventoris, & media danda est domino fundi (e). Si inveniatur adhibito quærendi studio, & data opera: tunc si dominus fundi consenserat, totus erit inventoris, nisi inter ipsos aliter conveniat: si autem dominus non consenserat, totus est domini (f). Si inveniatur magicis artibus in fundo proprio, totus cedit fisco: si in fundo alieno, pars media pertinet ad soli dominum (g). Porro alienum solum, vel fundus est, cuius dominium directum alteri competit. Unde si quis in domo oppignorata, vel locata thesaurum invenerit, debet medium illius partem dare domino directo (h).

Est autem notandum, quod et si jure Civili veterum Hebræorum, thesaurum acquireret, qui sciens in agro infossum thesaurum, a domino id ignorante,

(a) L. numquam nuda s. 1. de acquir. rer. dom.

(b) Ibid. (c) S. Thom. 3. 2. q. 66. art. 5. ad 2.

(d) L. 2. Insti. q. thesauros. (e) Ibid.

(f) L. nemo, C. de thesaur.

(g) Ibid.

(h) Quod ad thesauros pertinet, observandæ sunt peculiares Patriæ, & Principatus leges, quibus quisque parere debet.

te, agrum emebat, ut colligitur ex parabola Matth. 13. nihilominus secundum Galliae mores, furti reus judicatur, qui ea intentione prædium, vel dominum emit; thesaurumque venditori, aut ejus hæreditibus restituere tenetur; præsumitur enim fraus, & dulus.

§. VI.

De Praescriptione (a).

Q. 1. Quid sit præscriptio?

R. Præscriptio definitur: *Acquisitio dominii, & juris alicujus peremptio, cum continuatione possessionis bona fide, tempore a lege præscripto (b)*. Sunt qui distinguunt inter præscriptionem, & usucacionem, quod hæc transferat dominium rerum mobilium, illa immobilium. At communiter usucatio cum præscriptione confunditur (c).

Q. 2. Quæ conditiones requirantur ad præscribendum?

R. Ut præscriptio sit legitima, quintuplex conditio habeatur necesse est. 1. possessio nomine proprio. Nam *sine possessione præscriptio non procedit (d)*. Sufficit tamen possessio civilis. Hinc commodatarii, depositarii, usufructuarii, tutores, aliqui possidentes nomine alieno, vel dominii incapaces, nullo tempore præscribere valent.

2. Conditio est, ut res sit apta præscribi, cujusmodi non sunt bona pupillorum (e), res sacræ, iuraque Ecclesiastica, quæ a laicis præscribi non possunt (f).

3. Est

(a) Vid. Nat. I. 4. c. 9. a. 3. reg. 38. (b) L. 5. ff. de usurp. & usucap.

(c) Inst. de usucap. In princ. (d) Reg. 3. jur. in 6.

(e) L. sicut in rem, C. de præscrip. 30. vel 40. ann.

(f) C. causam, ext. de præscrip.

3. Est bona fides: nam possessor malæ fidei ullo tempore non præscribit (a). Jure quidem Civili (b) possessor malæ fidei, modo præscribere cœpisset bona fide, tutus erat possessione triginta annorum. Quod tamen jus correctum fuit ab Innoc. III. in Concilio Lateranensi, hac ratione, quia (c) generaliter est omni constitutioni, atque consuetudini derogandum, quæ absque mortali peccato non potest observari. Unde oportet, ut qui præscribit, in nulla temporis parte rei habeat conscientiam alienæ.

4. Conditio est titulus coloratus, vel probabiliter præsumptus (d). Numquam porro justus est titulus, si res sit vitiosa, idest furtiva, vel vi possessa; ideoque non solum fur, vel raptor, sed nec ullus alias, quamvis ab eis emerit, vel alias bona fide acceperit, præscribere (e) potest (f). Hæres quoque si quid bona fide accepit ab auctore malæ fidei, numquam præscribit (g). Nam *vitia possessionum a majoribus contracta perdurant, & successorem auctoris sui culpam comitatur* (h). Si quis autem alio titulo rem acceperit bona fide ab auctore malæ fidei, potest eam præscribere tempore ordinario (i); nisi forte res sit immobilis, & dominus nesciat, illam ab alio possideri; aut violenter fuerit occupata; tunc enim requiruntur 30. anni, ut præscribatur (k).

Itaque in præscriptione temporis ordinarii, seu minus decem, viginti, aut triginta annorum, re-

qui-

(a) Reg. 2. Jar. in 6.

(b) L. sicut, cit.

(c) C. quoniam omne, ext. de præscrip.

(d) C. si diligenti. ibid.

(e) Inst. de usucap. §. furtivæ.

(f) Adde, nisi forte tempore extraordinario.

(g) Id est intelligendum de hæredie immediato, scimus de hæredie hæredis, quia numquam in

iure duæ fictiones ex eadem causa ponuntur. §. sed tameq. Inst. de usucap.

(h) L. 11. C. de acqu. & retinenda possess.

(i) L. 5. ff. de diversis temp. præscrip.

(k) Aut. malæ fidei, C. de præl. temp. & l. 3. C. de præl. 30. vel 40. an.

quiritur titulus coloratus, seu qui putetur verus, quamquam re ipsa sit falsus (*a*); qui tamen titulus probandus est infra dictum temporis spatium, alioquin præscriptio non admittitur. At vero in possessione longissimi temporis, seu triginta, vel quadraginta annorum, sufficit titulus præsumptus, modo juris præsumptio præscribenti non adversetur.

Demum *s.* conditio est tempus lege definitum; quod est triennium in usucapione mobilium cum titulo (*b*), & triginta anni, sine titulo, qui nempe probetur. In præscriptione rerum immobilium, si res illæ sint privatorum, cum titulo requiruntur decem anni inter præsentes, & viginti inter absentes (*c*); sine titulo, triginta anni (*d*). Si autem res immobiles pertineant ad Ecclesiæ, Hospitalia, Monasteria, & pias causas, requiruntur 40. anni. Soli Romanæ Ecclesiæ privilegium competit, ne adversus eam, minus centum annis præscribatur (*e*).

Quod si præscriptio dormiat, si nempe adsit impedimentum, quominus currere possit, ut tempore pestis, ac belli, cum non dicitur jus; aut si Ecclesia careat Episcopo, vel Rectore; vel si is, in quem præscribitur, agere non possit: tempus illud, quo præscriptio dormit, non computatur ad præscribendum.

Aliquando interrumpitur tempus quæsumum ad præscribendum, quia possessori movetur lis; quo quidem casu, si bona subjecta præscriptioni ad plures spectet, & unus eorum litem intentet, aliis silentibus, præscriptio interrupta censentur dumtaxat respectu illius, qui litem movit: & si is in lite succumbat, non censetur interrumpta præscriptio;

Tom. III.

X

quem-

(*a*) *L.* 2. *Inst.* de usucap. q. 4. (*b*) *Inst.* de usucap. in princ.

(*c*) *Ibid.* (*d*) *Coll.* ex C. ianitorum, ext. de *Præscrip.*

(*e*) *Aucth.* quæsæ actiones, C. de factos. Eccl.

quemadmodum nec interrupta censetur, si possessio rei ab una in aliam personam bona fide transferatur.

Q. 3. An præscriptione transferatur dominium?

R. Affirmative. Ita enim statuerunt leges (*a*), 1. ne rerum dominia in incerto essent; 2. ut aliquis esset litium finis; 3. ut puniatur negligentia domini, rei suæ possessionem non curantis. Transacto igitur tempore legitimo ad præscribendum, præscribens, et si certo intelligat, rem non fuisse suam, potest illam retinere. Vide S. Thom. Quodl. 12. art. 24.

*Q. 4. An possessor dubiæ fidei præscribere valeat (*b*)?*

R. Convenit penes omnes, illum, qui cum gravi, prudentique dubio possidere incipit, dici non posse possessorem bonæ fidei; sic enim melior non est conditio ejus, quam alterius. Is ergo nullo tempore præscribit. At qui prudenter persuasus rem esse suam, ejus possessionem cœpit, & medio tempore dubitavit, an sua esset, vel aliena, malæ fidei possessor non est habendus. Nam dubitatio superveniens non perimit bonam fidem semel habitam, adeoque nec bonæ fidei possessionem interrupuit. Hinc Innocentius III. inquit (*c*): *Oportet, ut qui præscribit, in nulla temporis parte, rei habeat conscientiam alienæ; indicans sola conscientia, quod res sit aliena, non autem dubitatione, tolli bonam fidem.* Sane si dubitatio orta post initam possessionem bona fide, præscriptioni obstaret, falsa esset regula juris: *In dubiis potior est conditio possidentis.* Cæterum qui post captam possessionem bona fide, in dubium incidit, tenetur diligenter inquirere veritatem: quo facto, si dubium adhuc perseveret,

po-

(*a*) D. 8. C. quo jure. (*b*) Nas. loc. cit. reg. 39.

(*c*) C. quoniam, ext. de præscript.

potest prudenter judicare, se rem licite possidere: nam si de licita possessione dubitet, bonae fidei possessionem interrumpit (a).

Q. 5. An ignorantia præscriptioni obstat?

R. Ignorantia juris etiam invincibilis præscriptioni obstat; unde qui emit bona pupilli absque tutoris auctoritate, quamvis invincibiliter ignoret jus, quo prohibetur pupillo alienatio bonorum sine auctoritate tutoris, præscribere non potest. At vero insuperabilis ignorantia facti præscriptioni non obstat, ut si quis emat bona pupilli, quem tamen invincibiliter ignorat esse pupillum. Hinc dicitur (b): *Juris ignorantiam in usucapione negatur prodesse, facti vero ignorantiam prodesse constat.*

SECTIO III.

De actu Justitiae in genere, seu de Judicio (c)?

Q. 1. *Quid, & quotuplex sit iudicium?*

R. *Judicium, ad præsens quod attinet, est quidam actus justitiae sicut inclinantis ad recte iudicandum (d).* Determinare enim justum, & æquale alteri debitum, primario pertinet ad justitiam.

Judicium duplex est, externum, seu quod a Judice publica potestate fertur, & internum, seu quod ab unoquoque fertur de proximi actionibus. Ad iudicium, ut sit licitum, tria requiruntur, justitia, auctoritas, prudentia. Si primum desit, iudicium est perversum. Si secundum, est usurpatum. Si tertium est suspiciosum, vel temerarium (e). Judex porro tenetur iudicare secundum leges scriptas (f), nec potest probationes admittere contra leges (g). Nequit

X 2 etiam

(a) L. 32. ff. de usucap. (b) L. 4. t. 6. ff. l. 22.

(c) Vide Nat. l. 4. cap. 10. ar. 3. reg. 18. seqq.

(d) S. Thom. 2. 2. q. 62. ar. 1. ad 1. (e) S. Th. ibid. ar. 2.

(f) Ibid. 2. 5. (g) Ibid. q. 62. ar. 2.

etiam judicare, aliquem nisi aliquo modo subditus ejus sit, vel per commissionem, vel per potestatem ordinariam (a). Præterea non potest dimittere, vel diminuere poenæ, quæ a lege taxantur, nisi sit supremus Judex, scilicet Princeps, modo tamen laesus velit injuriam remittere, & relaxatio, vel diminutio poenæ non obsit publicæ utilitati (b). Quod si vero Judex judicium proferat secundum leges, sed impelleante, vel comitante alio illico motivo, puta odio, avaritia, &c. judicium etsi non erit injustum, erit tamen illicitum pro ratione motivi.

Q. 2. An peccet Judex, si existens in peccato mortali, alios judicet?

R. Ex S. Thoma (c) „ Illi, qui sunt in gravibus „ peccatis, non debent judicare eos, qui sunt in „ eisdem peccatis, vel minoribus, ut Chrysostomus dicit super illud Matthæi 7. *Nolite judicare.* „ Et præcipue hoc est intelligendum, quando illa „ peccata sunt publica, quia ex hoc generatur „ scandalum in cordibus aliorum. Si autem non „ sunt publica, sed occulta, & necessitas judicandi immineat propter officium, potest cum humilitate, & tremore, vel arguere, vel judicare. Unde Augustinus dicit in lib. de serm. Domini in monte: *Si invenerimus nos in eodem vitio esse, congemiscamus, & ad pariter conandum invitamus.* Nec tamen propter hoc homo sic seipsum condemnat, ut novum condemnationis meritum sibi acquirat. “

Q. 3. An judicium temerarium, & prava opinio, vel suspicio de proximo, sint peccata lethalia?

R. Judicium temerarium, seu firma, ac definitiva sententia de malo proximi ex levibus indicis, in re gravi; necnon opinio, vel suspicio deliberata ex simili-

(a) Ibid. qu. 67. art. 1. (b) Ibid. art. 4.

(c) Ibid. q. 60. art. 2. ad 3.

similibus indiciis in re gravi sunt peccata lethalia; opponuntur enim justitiae, quia quisque jus habet, ut de se recte sentiant alii, quamdiu ejus malitia gravibus, ac sufficientibus argumentis, seu indiciis non probatur. Opponuntur etiam charitati, quia iudicia illa, suspicionesque deliberatae, ut plurimum oriuntur ex odio, vel contemptu proximi. Hinc non solum dicitur Joan. 7. *Nolite judicare secundum faciem, sed rectum iudicium iudicate;* verum etiam 1. Tim. 6. *suspiciones malae inter peccata mortalia recensentur.*

Venialis utique est opinio, vel suspicio repentina de malitia proximi in re gravi, ex levibus indiciis, absque deliberatione perfecta. At si animadveritas, vel animadvertere possis, malum esse proximi, de quo suspicari coepisti, leviaque esse indicia; nec tamen suspicionem retractes, & coerces, sed ipsi assentiri pergas, & pertinaciter adhærere, peccas lethaliter. Nam paris sceleris est iudicare fratrem, & legeim. At veniale nemo dixerit, deliberate opinari, vel suspicari ex levibus indiciis de injustitia legis. Idem ergo dicendum est de opinione, & suspicione deliberata in re gravi, ex levibus indiciis, de malitia fratri.

Cum ergo S. Thomas quodlib. 12. qu. 22. ar. 2. negat, suspicionem esse peccatum mortale, loquitur solum de suspicione imperfecte deliberata. Nam de plene deliberata inquit (a): *Ex hoc ipso, quod aliquis malam suspicionem habet de alio sine causa sufficienti, indebitate contemnit ipsum; & ideo injuriatur ei.* Præmiserat autem, contemptum proximi esse peccatum mortale.

Q. 4. Quæ materia censeatur gravis respectu iudicii temerarii, vel suspicionis?

X. 3

R. Ne-

(a) 2. 2. q. 60. ar. 3. ad 24

R. Nendum peccatum mortale, sed etiam veniale censetur hac in re materia gravis, considerato statu, & qualitate personæ: ut si Sacerdotem, vel Religiosum ex consuetudine mentiri, facros ritus, aut Regulares obseruantias negligere, Breviarium perfunctorie persolvere, ludo magis, quam sacris studiis indulgere: Sanctimoniale munditiam vestis ad inanem gloriam affectare, vanos in locutorio cum sacerdotalibus miscere sermones, orationi mentali non vacare, judices, opinoris, vel suspiceris.

Potest etiam esse materia gravis id, quod nullum est peccatum, si vergat in grave detrimentum honoris, famæ, fortunæ proximi, spectata personæ qualitate: v. gr. si quempiam temere judices, aut suspiceris esse nothum, ac spurium, vel ex Judæis, aut hæreticis progenitum; ob idque illum contemnas, aut honoribus, vel officiis indignum existimes; aut illum fatuum temere judices, qui nulla aut levia dedit amentiaz signa, & ideo contemnas.

Q. 5. Quæ indicia censeantur gravia, ne judicium sit temerarium?

R. Indicia gravia censentur, quæ spectatis facti, personæ, temporis, loci, aliisque circumstantiis, sufficiunt ad movendum virum prudentem, & probum, ut de proximo male judicet, vel suspicetur: secus levia censentur. Igitur præter circumstantiam facti, consideranda est circumstantia personæ, tam illius, de qua judicatur, quam illius, quæ alterius narrat delictum. Nam judicium, quod in uno est grave, in altero est leve; si enim persona devincta est consuetudine illius peccati, cuius ipsam rem judicas, vel suspicaris, minora signa, & indicia sufficient: si v. g. videoas juvenem petulantem, & luxuriosum secreto cum meretrice colloquentem, grave argumentum est judicandi, illum de libidine cogitare; quod tamen leve esset indicium,

cium , si colloquens foret vir gravis , & vita , ac famæ integerrimæ .

Similiter , si persona peccatum alterius narrans , sit gravis , & proba , nec solita aliis detrahere , aut fallos aspergere rumores , nec ipsi subinfensa , aut adversus illum commota ; grave indicium est judicandi , alterum commisisse tale peccatum , præser-tim si vulgaris est , aut nullius nominis , de quo probabile sit , similia commisurum . At si alter ille , de quo delictum narratur , probus sit , vitaque integræ , non adest fundamentum sufficiens judicii , & opinionis , sed ad summum dubitationis suspen-sæ : forte non fecit , quia alias talis non assereret ; forte non fecit , quia probus est , & qui refert de-cipi potest .

Consideranda est etiam circumstantia temporis , ut si videoas hominem noctu , clam , & furtim per fenestras alienas ascendentem , sufficiens indicium habes . judicandi , ipsum id agere furandi , vel alte-rius flagitiæ patrandi causa . Contra non est suffi-ciens motivum alicujus mali suspicandi , si interdju , palam , & sub omnium oculis id faciat .

Denique consideranda est circumstantia loci , ut si videoas adolescentem , & adolescentulam , quos conjuges non esse certo nosti , clam , & in obscuro loco colloquentes , mutuisque amplexibus , & oscu-lis indulgentes , non temere judicabis , aliquid mali subesse : secus , si solum cum sola colloquentem ; sed honeste , modeste , ac loco patente .

Q. 6. An idem dicendum sit de iudicio rerum , & personarum ?

R. Ex S. Thoma (a) , , Judicium de rebus semper „ est peccatum mortale (b) ; puta dicere , quod da-

(a) Quodlib. c. 12. q. 22. ar. 2.

(b) Intellige de iudicio erro-

„ re eleemosynam sit malum : judicium autem de
 „ personis, licet quandoque sit falsum, non tamen
 „ semper est peccatum, nisi quando est omnino te-
 „ merarium. „ Si ergo quis aliquem videat illicito
 operi vacantem, aut verba scurrilia proferentem au-
 diat, credatque, ejusmodi opus, vel sermonem esse
 peccata mortalia, adeoque illum esse mortalis pec-
 cati reum, non fert judicium temerarium; quippe
 non fallitur in judicio de personis, sed de rebus.
 Si vero in operibus dubiis, aut venialibus, putet,
 illum ex prava intentione peccare mortaliter, in
 judicium temerarium incurrit. Erit autem gravius
 peccatum, & detractionis vitio cumulatum, si judi-
 cium temerarium aliis aperuerit.

*Q. 7. An dubia indicia in meliorem partem in-
 terpretari debeamus?*

*R. Affirmative ex S. Thoma (a), quia nullus de-
 bet alium contempnere, vel nocumentum quodcumque in-
 ferre absque causa cogente. Et ideo ubi non appa-
 rent manifesta indicia de malitia alicujus, debemus
 eum ut bonum habere, in meliorem partem interpretan-
 do, quod dubium est. Si autem gravis sit dubitandi
 ratio, debemus saltem suspendere judicium, quam-
 diu res incerta, & obscura est, adhibita S. Augu-
 stini (b) regula: Nescio, qualis sit: quid perdo, si
 credo, quia bonus est?*

*Verum, ut docet S. Thomas (c), Cum debe-
 mus aliquibus malis adhibere remedium, sive no-
 stris, sive alienis, expedit ad hoc, ut securius
 remedium apponatur, quod supponatur id, quod
 „ est*

neo illarum rerum, quae sunt in materia gravi, nec possunt ignorari absque mortali peccato. Verum, ut docet idem S. Thomas 2. 2.
 qu. 60. art. 4. ad 2. unusquisque debet nisi ad hoc, quod de rebus
 judicet, secundum quod sunt.

(a) 2. 2. qu. 60. art. 4. (b) in Psalmi. 149. n. 16.

(c) Art. cit. ad 3.

„ est deterius, quia remedium, quod est efficax contra majus malum, multo magis est efficax contra minus malum.“ Sed ne tunc quidem ex levibus iudiciis judicare, vel suspicari licet, proximum esse malum. Unde S. Augustinus (*a*) : *Si incertum est, inquit, licet ut caveas, ne forte verum sit; non tamen damnes, tamquam verum sit.* Eo suppositionis genere parentes erga liberos, domini erga servos, superiores erga subditos uti possunt : ob dubia quædam indicia eos admonere, increpare, quædam eis prohibere &c. Ea tamen prudentia suorum mala caveare debent, ut ne nimia forte cautione ipsos infamant, aut ad iracundiam provocent.

Ex quibus sequitur, non licere tibi judicare, aut suspicari, aliquem esse furem, si levia indicia sic demonstrent; licere tamen rem tuam custodire diligentius, & ab illo cavere perinde, ac si fur esset; ideoque illum non admittere in domum, non sineire, ut irrepat, non credere illi servandam pecuniam, ostia sollicitius obserare.

S E C T I O IV.

De Restitutione (*b*):

C A P U T I.

De natura, & necessitate restitutio*nis*, ac multipli*cii*
titulo, unde oritur obligatio
restituendi.

Q. I. **Q**uid sit restitutio? & quomodo differat a satisfactione?

R. Restitutio est actus iustitiae commutativæ, quo quis iterato ponitur in possessione rei suæ, vel quo dama-

num

(*a*) Loc. citat.

(*b*) De restitu*n*e agit Nas. I. 4. c. 9. 2. 4. Et Epist. 60.

num proximo illatum compensatur; & quidem secundum æqualitatem rei ad rem. Nam restituere nihil aliud esse videtur (inquit (a) S. Thomas), quam iterato aliquem statuere in possessionem, vel dominium rei sue. Et ita in restitutione attenditur æqualitas justitiae secundum recompensationem rei ad rem, quod pertinet ad justitiam commutativam.

Diffreret autem restitutio a satisfactione, quia, ut docet S. Thomas (b) restitutio proprie respicit rem, quæ debet reddi; satisfactione vero personam, cui debet satisficeri: unde restitutio proprie dicitur *actus justitiae*, secundum quod æqualitatem in rebus exterioribus constituit; satisfactione vero importat æqualitatem in actionibus, & est quædam injuria illata recompensatio (c). Hinc quandoque est satisfactione sine restituzione aliqua, ut cum quis se proximo humiliat de aliquibus contumeliis ei dictis: aliquando autem restitutio sine satisfactione, ut cum quis mutuum reddit: aliquando autem utrumque exigitur, ut cum quis alicui per violentiam rem suam subtraxit (d). Multoties restitutio pro satisfactione ponitur, & e converso.

Q. 2. An restitutio sit necessaria ad salutem?

R. Qui injuste abstulerunt, vel detinent rem alienam, ut sunt fures, raptore, usurarii, omnesque illi, qui retinent rem alienam alias bona fide acceptam, cum tamen dominus incipit esse rationabiliter invitus, restitutionis lege ita sunt obstricti, ut salutem consequi non possint, nisi restituant injuste ablata, & damna injuste illata resarciant, si possint restituere; sin autem, ipsis ad salutem necessaria est restitutio saltem in voto. Cum enim conservare justitiam sit de necessitate salutis, consequens est, quod restituere

id.

(a) 2. 2. q. 62. ar. 1. (b) In 4. d. 15. q. 1. ar. 1. q. 2.

(c) Ibid. ad 1. (d) Ibid. ar. 5.

id, quod injuste ablatum est alicui, sit de necessitate salutis (a). Qui ergo injuste rem detinent alienam, nec damna injuste illata resarcire curant, cum possint, absolví sacramentaliter nequeunt. Nam ait S. Augustinus (b) : *Si res aliena, propter quam peccatum est, cum reddi possit, non redditur, non agitur pénitentia, sed fingitur.*

Q. 3. An præceptum restitutionis sit affirmativum, vel negativum?

R. Ex S. Thoma (c), „ Præceptum de restitutione „ facienda, quamvis secundum formam sit affirmati- „ tivum, implicat tamen in se negativum præcep- „ ptum, quo prohibemur rem alterius detinere. “ Hinc restitutio statim, & absque mora facienda est, si fieri possit. Nam, ut docet idem S. Thomas (d) „ Sicut accipere rem alienam est peccatum contra „ iustitiam, ita etiam detinere eam... Manifestum „ est autem, quod nec modicum tempus licet in „ peccato morari... Et ideo quilibet tenetur sta- „ tim restituere, si potest, vel petere dilationem ab „ eo, qui habet usum rei concedere. “ Quando- „ autem restitutio differri possit, dicemus infra (e).

Q. 4.

(a) S. Thom. 2. 2. q. 62. a. 2.

(b) Epist. 153. al. 54. ad Mace- donium. n. 20.

(c) Q. cit. ar. 8. ad 1.

(d) Ibid. in corp. a.

(e) Ex principio S. Thomæ evi- dentiter infertur, in statu pec- cati mortalis continuo versari il- lum, qui cum possit commode restituere, id omittit, invito credere. Quot autem numero pec- cata committat? Cum communio- ri sententia dicendum, ejus pec- cata numero multiplicari, 1. quories deliberate vult non re- stituere. 2. eum exterius reno- vat actus, aliena distrahendo,

vel consumendo. 3. cum morali- ter intertrumpit voluntatem non restituendi, puta, per proposi- tum restituendi, &c. ac deinde advertens, vel posens, ac debeas advertere ad onus restitutionis, restituere omittit; censetur enim renovata voluntas. Hinc deten- tores injusti necessario explicare debent in Confessione, tum dilata- ta restitutionis tempus; tum pro- posita iterata non restituendi; tum occasiones facienda restitu- tionis neglectas; tum damna, & tristitias, quæ dominus Paulus est ob dilatam restitutionem; alio- quin Confessarius agnosceret non pote-

Q. 4. Quot sint principia , seu tituli , & radices restitutio-

R. Tres sunt radices restitutio-

nista acceptio, & contractus, seu quasi contractus. Nomine rei acceptae non solum intelligitur res in se- ipsa , sed etiam ejus æquivalens , itemque fructus , idque omne , in quo possessor factus est ditior. Nomine *injustæ acceptio* intelligitur nedum injusta ablatio , & detentio rei alienæ , sed & injusta damni illatio . *Sicut enim percutit aliquem, tenetur recom-*
pensare injuriam passo, quamvis apud ipsum nihil ma-
neat; ita etiam qui furatur , vel rapit , tenetur ad *recompensationem damni illati,* etiam si nihil inde ha-
beat (a). Nomine *contractus* , vel *quasi contractus* si-
gnificatur pactum , quod quis implicite , vel expli-
cite iniit , aut officium , quod suscepit in aliorum
utilitatem. Nam propter pactum , vel officium in-
ducitur obligatio ex justitia commutativa. Unde
S. Thomas (b) : *Dicendum, inquit, quod non sem-*
per ille, qui non manifestat latronem, tenetur ad resti-
tutionem, aut qui non obstat, vel qui non reprehendit:
sed solum quando incumbit alicui ex officio, sicut Prin-
cipibus terræ, &c.

Porro inter duos priores restituendi titulos duplex invenitur discriminis . 1. Quod ex *injusta acceptio* tenetur quis restituere , tametsi res perierit absque sua culpa , & ipse nihil factus sit ditior. At vero ex *re accepta* , tenetur restituere ipsam rem , si extet

poterit statum pœnitentis , ejus- que peccatorum numerum colli- gere .

Nota autem , quod debita ex *contractu solvi* debeant tempore in *contraktu definito* , etiam *cre- ditor* non exigente , quia *dies interpellat pro homine.* Si vero tempus definitum non sit , solvi debent , quoties creditor ratio-

nabiliter urget ; nisi forte is non urgeat , vel quia timet , vel quia non potest , vel quia est obli- tis : nam tunc solvi debent tem- pore , quod prudenter judicatur esse ex rationabili intentione cre- ditoris .

(a) S. Th. 2. 2. q. 62. a. 6.

(b) Ibid. 21. 7. ad 3.

extet in sua specie ; si vero illam consumperit bona fide , vel ipsa perierit absque ejus culpa , tenetur solum in eo , in quo factus est ditior . 2. Quod ex injusta acceptione oritur obligatio restituendi quamprimum : ex justa vero detentione haec obligatio non oritur , nisi detinens sit in culpabili mora restituendi .

C A P U T II.

*De personis restitutioni obnoxiiis ex re accepta ,
vel injusta acceptione .*

§. 1.

De possessore bone fidei .

Q. 1. **Q**uis ille sit ? & qua ratione teneatur restituere ?

R. Bonæ fidei possessor dicitur ille , qui rem alienam possidet , invincibiliter existimans esse suam . Is , quamdiu durat bona fides , potest rem alienam consumere , vel distrahere . Statim ac autem animadvertisit , rem esse alienam , tenetur ipsam restituere , si habet (a) . Si vero consumpsit , vel distraxit , aut illam vendidit etiam minori pretio , quo emerat , aut res deterior facta fuit , vel periit , etiam ex ejus culpa , non tenetur restituere , nisi id , in quo illius causa factus est locupletior . De fructibus extantibus mox dicemus . Locupletior autem quis factus dicitur , cum occasione rei sic consumptæ , patrimonium ejus aliquo modo actum est ; cum v. g. sumptus

(a) Si res non sit usu consumptibilis , & in se existat , restituenda est eadem numero , nec potest pro ipsa premium substitui , nisi forte ex gravi aliqua causa , prudentum judicio ; quia res clamat ad dominum .

ptus non fecit, quos ex suo patrimonio fecisset, aliquid occasione illius rei lucratus est (a): secus, si propterea paulo lautius, aut splendidius vixit, quam alias vieturus esset (b). Hæc autem intellige, nisi tempus præscriptionis completum jam sit bona fide: nam si esset completum, possessor bonæ fidei nihil restituere teneretur.

At vero si bonæ fidei possessor, ex quo novit, rem esse alienam, sit in mora culpabili restituendi, jam incipit mala fide possidere; ideoque exinde restituere tenetur eo modo, quo malæ fidei possessor. Quamdiu autem sinceram habet restituendi voluntatem, nec sua culpa in mora est; si res apud ipsum fortuito pereat, nihil aliud restituere tenebitur, nisi id, in quo factus est locupletior.

Q. 2. An possessor bonæ fidei teneatur restituere fructus rei bona fide possessæ?

R. Fructus alii sunt mere naturales, alii meræ industriae, alii mixti, alii civiles. Mere naturales dicuntur illi, quos natura producit sua sponte, nullo ferme, aut levi hominum labore, ut foetus animalium, arborum fructus, herbæ prædiorum. Meræ industriae dicuntur illi, quos profert humanus labor, & solertia, re concurrente veluti mero instrumento, ut opus confectum alieno instrumento, lucrum ex negotiatione perceptum. Mixti dicuntur, ad quos natura simul, & hominis industria concurrit, ut agrorum segetes. Civiles demum dicuntur illi, qui licet proprie fructus non sint, in jure tamen censentur fructus, ut rei locatæ pretium.

Itaque bonæ fidei possessor fructus meræ industriae restituere non tenetur domino rei, quia non sunt

(a) L. idem servandum, ff. de legat. & fideicom. 2.

(b) In dubio, an quis factus sit locupletior, componenda res erit judicio prudentum.

funt fructus rei; tenetur autem restituere fructus naturales, mixtos, & civiles, qui apud ipsum extant, vel si non extant, id, in quo ex hujusmodi fructibus factus est ditior (nisi forte illos jam legitime præscripserit) deductis tamen expensis necessariis, & utilibus, deductoque etiam valore industriæ, ac laboris, juxta prudentum æstimationem. Nam res domino fructificat.

Q. 3. Qua ratione expensæ deduci debeant?

R. Expensarum quædam sunt necessariæ, seu illæ, sine quibus res periisset, aut fuisset effecta deterior, ut alimenta pecudum, restauratio domus, &c. Quædam sunt utiles, quibus res evadit melior, magisque fructificat, ut plantatio arborum. Quædam voluntariæ, seu quæ rem exornant, & voluptati inserviant, ut pictio domus. Expensarum etiam nomine comprehenditur industriæ, ac laboris valor.

In restitutione ergo a possessore bonæ fidei præstanta, deduci debent expensæ necessariæ, & utiles, necnon æstimatio industriæ, ac laboris: nam *fructus non intelliguntur, nisi deductis expensis (a)*; alioquin dominus ex alieno ditesceret. Si tamen expensæ supererent meliorationis valorem, non tenetur dominus illas in integrum solvere; cogeretur enim carius emere rem suam (b). Imo si possessor bonæ fidei ex re meliorata fructus percepserit, debet illos computare ad compensandas expensas, tametsi fructus quoquo modo consumperit: nam ex iis perceptis, expensas redemit.

Quoad expensas voluntarias, siquidem separari possint absque rei detimento, licet possessori bonæ fidei illas auferre; secus, componenda res erit prudentum judicio.

§. II.

(a) L. fructus, ss. soluto matrim.

(b) L. in fundo, ss. de rei vindicat.

§. II.

De possessore malæ fidei.

Q. 1. **A**D quid teneatur malæ fidei possessor? R. Possessor malæ fidei is est, qui rem alienam possidet, invito domino, sciens, aut putans non esse suam, aut vincibiliter ignorans, an sua sit. Qui sic possidet, restituere tenetur, 1. rem, si extat; si vero non extat, quia illam vendidit, vel consumpsit, vel quia res periit, etiam absque ejus culpa, tenetur totum rei pretium erogare. 2. Resarcire tenetur omne damnum domino illuminatum, & lucrum, quod ipsi domino exinde cessavit. 3. Fructus omnes naturales, mixtos, & civiles, sive extantes, sive consumptos, sive deperditos quoquo modo, tametsi ex illis factus non sit locupletior, & quamquam ii a domino percepti minime fuissent. Nihilominus deducendæ sunt expensæ necessariae, & utiles, necnon pretium industriae, ac laboris. 4. Restituere tenetur fructus non solum naturales, mixtos, & civiles, sed meræ industriae, quos intermedio tempore dominus percipere licite potuisset singulari sua industria, tametsi possessor malæ fidei nullos percepérat. Ita enim instauratur æqualitas ab iniquo possessoře iniuste violata. Igitur dumtaxat restituere non tenetur fructus meræ industriae, quos dominus non percepisset, quia ii non sunt fructus rei. Idemque esto judicium de fructibus nonnisi extraordinario labore comparabilibus, quos neque possessor ille percepit, neque dominus percepisset; hi enim exigi rationabiliter non possunt.

Quæ autem diximus de fructibus rei iniuste possessor, intelligenda sunt, sive res maneat penes iniustum possessorem, sive sit quoquo modo ad alium trans-

translata. Nam res ubicumque extat, domino fructificat. Quamobrem si alius fructus percipiat; nec illos domino restituat: aut si alius non percipiat fructus, quos dominus percepisset; is, qui primus mala fide possedit, tenetur restituere fructus, cum sit prima totius damni causa.

Q. 2. In quo statu res aliena restitui debeat ab injusto possessore?

R. Aliquando contingit, ut aliena res apud injustum possessorem evadat melior, aut deterior: id vero accidere potest, vel intrinsece, ut si pullus adolescat in equum, aut equus validus fiat debilis; vel extrinsece, ut si pretium augeatur ex multitudine emptorum, vel decrescat ex eorum paucitate. Itaque 1. si res melior effecta extet, in eo statu debet restitui, quia res domino crescit. 2. Si res illa non extat, & vendita fuit majori pretio, quam dominus vendidisset, pretium integrum reddendum est domino, quia valor rei sequitur ipsam rem. 3. Si res melior effecta casu periit, aut veniit minori pretio, vel consumpta, aut alienata fuit, dum erat deterior, sive intrinsece, sive extrinsece, restituenda est domino quantum plurimi valuit, si dominus illam venditus erat tempore, quo plurimi valebat, vel si aliam comparare coactus fuit pretio summo, alioquin dominus pateretur lucrum interceptum, vel damnum emergens. At vero si tempore, quo res veniit minori pretio, dominus rem illam venditus erat eodem pretio, satis est, ut hoc idem pretium restituatur; nisi dominus ob rem amissam aliud forte damnum expertus sit. In dubio autem favendum est domino, estimandaque res quantum plurimi valuit in optimo statu, ac summo valore. 4. Idem dicendum, si malæ fidei possessor rem vendidit, vel consumpsit, dum pluris valebat, etiamsi dominus illam vendidisset, cum minus valebat: nam rei valor sequitur ipsam rem. 5. Si res melior fuisset apud dominum, quamvis in eo statu num-

quam fuerit apud injustum possessorem, compensari debet melioratio injuste impedita. In dubio autem favendum est domino, habita ratione meliorationis speratæ.

Ex quibus infertur, possessorem malæ fidei teneri ad præstandum valorem rei, quæ periiit apud ipsum, etiamsi certo fuisset peritura apud dominum, etiam casu, & eodem modo, ac tempore, vel periculo, quo periiit apud injustum possessorem; puta, si quis furetur equum ita male valentem, ut sine ejus culpa moriatur. Nam injusta acceptio rationem nocimenti intrinsece affert, atque adeo semper individuum habet restituendi debitum.

Q. 3. Quid, si quis a principio malæ fidei possessor, postea bona fidei possessor fiat?

R. Notandum in hoc casu, an bona fides supervenierit cum mutatione personarum, vel sine ipsa. Nam si personæ sunt mutatae, eaque in universum jus succedunt, & personam, cui succedunt, repræsentant, ut cum defuncto possessori malæ fidei succedit hæres, qui rei alienæ scientiam non habet, sed credit, defectum legitime possedisse; bona fides non prodest hæredi ad acquirendos fructus (a). Nam cum hæres in jus omne defuncti succedit, ignoratione sua defuncti vitia non excludit (b). At si personæ, quæ in jus alterius succedunt, non repræsentent in omnibus personam, a qua jus habuerunt, nec ab ea causam habent universalem, ut si quis a malæ fidei possessore aliquid bona fide dono acceperit: tunc bona fides in successore, prodest illi ad acquirendos fructus, nulla habita ratione per-

(a) Hæc intellige de hærede proximo, & immediato; nam hæres mediatus, si bona fide procedit, potest tempore ordinario fructus prescribere, imo rem ipsam, ut supra dictum est.

(b) L. cum hæres, si de diversis temporal. prescript.

personæ, a qua causam habuit, quia in illius vitium non succedit (a).

Quod si absque personarum mutatione bona fides superveniat; tunc, si supervenit ex justa causa possessor fructus suos facit a tempore, quo bona fide possidere cœpit: si autem nulla supervenit justa causa, possessor, cum nullo meliori jure possideat, quam ante, fructus suos facere non potest.

§. III.

De possessore dubiæ fidei.

Q. **U**is ille fit; & quando tenetur restituere?

R. Dubiæ fidei possessor dicitur ille, qui prudenter dubitat, an res, quam possidet, sua sit. Dubitatio incidere potest, vel cum quis incipit possidere, vel post captam possessionem. Si quis dubitans, utrum res sua esset, vel aliena, ejus possessionem adiit, is malæ fidei possessor est. At malæ fidei possessor non est habendus, qui probabiliter persuasus, rem esse suam, non crassa deceptus ignorantia, non avaritia exceccatus, aut impulsus, possessionem ejus cœpit; postea nihilominus dubitavit, an sua res, vel aliena esset. Unde dicitur Can. *Si virgo caus. 34. q. 1. In jure prædiorum tamdiu quisque bona fidei possessor rectissime dicitur, quamdiu se possidere ignorat alienum.* At qui dubitat, post rei possessionem bona fide cœptam, is certe ignorat se possidere alienum; manet igitur bonæ fidei possessor.

(a) L. *Si vas, ff. de furcis, 6. cum fur.*

De emptore bonæ, & malæ fidei.

Q. **A**D quid teneatur emptor bonæ, vel malæ fidei?

R. Sicut malæ fidei possessor est, qui rem alienam possidet, sciens, aut putans non esse suam, aut etiam dubitans, nec inquirens, an sua sit; ita malæ fidei emptor est, qui emit rem, quam novit furto sublatam, aut certe dubitat, an furto sublata sit, nec tamen inquirit. Is ergo, cum rem alienam usurpaverit, invito domino, restituere illi tenetur, non modo rem ipsam, sed etiam omne id, ad quod tenetur malæ fidei possessor, nec pretium, quod dedit, potest repetere ab illo, cuius res est. Idque intelligitur non de primo solum emptore, sed de iis omnibus, ad quos res aliqua cum mala fide pervenit (a).

Emptor bonæ fidei, ut primum noscit, rem emptam esse alienam, tenetur illam domino reddere, re (b); fructus vero consumptos reddere non tenetur, nisi ex illis factus sit ditior. Unde Justinianus (c): *Si quis, inquit, a non domino, quem dominum esse crediderit, bona fide fundum emerit... naturali ratione placuit, fructus, quos percepit, ejus esse pro cultura, & cura. Et ideo si postea dominus supervenerit, & fundum vindicet, de fructibus ab eo consumptis age-*re

(a) S. Raym. l. 2. t. 5. de Raptor. §. 13.

(b) Si emptor bonæ fidei alteri vendiderit rem furatam, tenetur domino restituere pretium rei venditæ, modo pretium extet vel in re, vel in suo æquivalenti. Nam pretium substituitur loco rei: res autem clamat ad dominum.

Si quis vero pro re sua, quam vendidit, pecunias furtivas accepit, easque permiscerit cum suis pecuniis, sunt, qui docent, ipsum minime teneri ad restituen-

das illas pecunias furtivas, eo quod translatum jam sit earum dominium ratione permixtionis. At verius pecunia illæ furtivæ restitui debent, tametsi permixta fuerint cum propriis pecuniis vendoris. Nam permixtio solum efficit, ut necesse non sit restituere domino eamdem numero pecuniam; ejusmodi tamen non est, ut alienam rem convertere valeat in propriam.

(c) L. 2. Inst. t. 1. de rer. div. §. 35.

re non potest; nisi forte ex illis factus sit locupletior, quia, ut habet reg. 48. jur. in 6. Locupletari non debet aliquis cum alterius injuria, vel jactura. Cæterum emptor bonæ fidei jus habet repetendi pretii (a) a suo venditore (b); imo, ut docet S. Raymundus (c)

„ Si emit aliquis bona fide a raptore, vel ab alio „ rem de rapina, vel furto, bona scilicet intentio- „ ne, non ut sibi lucraretur, sed ut spoliato resti- „ tueret, potest a spoliato repetere illud, quod de- „ dit pro ipsa re bona fide, & etiam quidquid ex- „ pendit postea ad conservationem illius rei; nisi „ forte cum re illa lucrabatur aliqua, unde posset „ facere dictas expensas Ratio autem, quare „ ista potest repetere, est, quia gessit utiliter nego- „ tium absentis spoliati. “

C A P U T III.

*De injusta actione, sive omissione, ex quibus
restitutionis obligatio oritur.*

Q. I. **Q**uotuplex sit culpa, quæ restituendi debitum parit?

R. Culpæ nomen hic usurpamus, nedum quatenus a Theologis accipitur, verique nominis peccatum significat, soletque dici culpa Theologica; sed prout usurpatur a Juristis, quatenus omissione est alicuius diligentiae, sive per ignorantiam, sive per incuriam, aut inconsiderationem, quo modo dicitur culpa juridica. Hæc dividitur in latam, levem, &

Y 3 le-

(a) Quamquam bona fidei emptor possit premium rei empta repetere a fure, nequit tamen contractum rescindere cum fure, ei que reddere rem furatam, ut premium ab ipso recuperet, nisi forte (quod admodum raro accedit) sit moraliter certus, furem, recisso contraatu, rem domino restitutum esse. Nam res illa

clamat ad dominum, ideoque furi non potest reddi absque injuria. Ut vero emptor servetur indemnisi, actio ei competit adversus furem. Multo minus emptor malæ fidei potest rem alienam reddere furi, ut recuperet premium, quod erogavit.

(b) L. i. ff. t. de evictione.

(c) Loc. cit.

levissimam. *Lata* (*a*) est omissio diligentiae, vel considerationis, quam homines ejusdem conditionis adhibere solent in simili negotio; ut si quis vas aureum sibi commodatum relinquat foris in loco publico. *Levis* est omissio diligentiae, quam homines ejusdem conditionis diligentiores in similibus negotiis adhibere solent; qualis est ejus, qui librum in suo quidem cubiculo reliquit, sed ostio aperto. *Levissima* est omissio diligentiae, quam adhibere solent homines diligentissimi; qualis est ejus, qui pecuniam apud se depositam in arca posuit, reclususque, sed manu non tentavit, an arca bene clausa esset (*b*).

Q. 2.

(*a*) Culpa *lata* quandoque dicitur *latior*, seu dolus presumptus, ut si quis non impedit furum, ne pecuniam apud se depositam auferat. Quandoque etiam dicitur *latissima*, seu dolus manifestus.

(*b*) Culpa Theologica, de qua loquitur Natalis, alia est contra Naturam, alia est contra virtutes, quae nullum preferunt debitum restituendi; alia est contra justitiam commutativam; estque vel interior, vel exterior. Et cum violatio solius justitiae commutativa restitutio debet paniat; hinc si quis ex charitate, aut ex debito aliarum virtutum tenetur ad aliquid praestandum, & nihilominus culpabiliter omittit, peccat quidem, sed minime adstringitur ad resarcienda damna inde sequuta. Idem dicendum de culpa Theologica interiori contra justitiam commutativam, quia nullum ex ea damnum proximo infertur: unde sufficit, ut qui illam admittit, retractet suam voluntatem. Sola ergo culpa Theologica ex-

terior parit obligationem restituendi ratione damni illati, & injustae actionis; sceluso tamen contractu, nonnullisque casibus in sequenti nota recensendis. Nam qui absque culpa Theologica exteriori contra justitiam commutativam, damnum intulit, se habet *solum per accidens*, & quasi materialiter faciens id, quod est *injustum*. Unde & talis operatio non denominatur *injustificatio*, ut docet S. Thomas 2. 2. q. 59. a. 2. Si autem culpa Theologica in materia justitiae commutativa sit venialis, tunc, si talis sit ex parvitate materiae, restitutio fieri debet sub veniali; si autem ex imperfecta deliberatione, & damnum fuit leve, nulla est obligatio restituendi, communius docetur. Si vero damnum fuit grave, alii quidem affirmant, restituendum esse sub gravi, alii negant. Sed re attentius inspecta, vix contingit in praxi, ut sequatur grave damnum ex culpa veniali: nam in re gravi non omnia diligenter caverre, prout opus est, & aliquid omittere

Q. 2. An qui damnum intulit alteri absque omni prorsus culpa, ad restitutionem teneatur?

R. Negative. Nemo namque ad restitutionem tenetur, nisi ratione, vel rei alienæ detentæ, vel injustæ acceptioñis, & injuriosæ actionis, ut docet S. Thomas (a). Qui autem damnum dedit absque omni prorsus culpa, nec rem alienam detinet, nec injuste accepit, nec in suam utilitatem convertit, nec injuriosam aliquam actionem commisit (b). Itaque restitutionis lege non tenetur. Sane licet, qui occasionem damni dat, damnum videatur dedisse: secus est tamen in illo dicendum, qui ut non accidat, de contingentibus nibil omisit (c).

Y 4

Q. 3.

terre de contingentibus, non videtur esse culpa venialis. Cum ergo dubium est, an culpa fuerit mortalís, totum damnum resarciri debet.

(a) 2. 2. q. 62. ar. 6.

(b) Tres in jure notantur causas, in quibus tenetur quis resarcire damnum illatum absque omni sua culpa. 1. cum animal unius absque ejus culpa occidit animal alterius, aut hominem laetit, aut quodvis aliud damnum intrigavit, ille tenetur dare animal, vel resarcire damnum. 1. 1. ff. quadrupedes; nisi forte animal fuerit invasum ab animali alterius; vel si latro ad furandum ingressus, laedatur a canibus; vel si quis ad feram ligatam accedit, & ab ipsa laedatur. 2. Si mancipium alicujus absque ejus culpa alterum culpabiliter laedat, tenetur dominus vel tradere mancipium, vel damna compensare. Inst. de nox. act. 5. domino. 3. si absque tua culpa aliquid effunditur, vel projicitur e tua domo, quod damnum intu-

lit, nec fuit proclamatum, teneris solvere duplum, si es caput familiae; & si damnum illatum est capitii vivo, teneris ad expensas curationis, & ad omne damnum inde secutum. 1. 1. ff. de his, qui effuderint, vel dejecerint. Eodem modo teneris, si quidpiam fuerit appensum e tua domo in via, quod nocere poterat, & vere nocuit. 1. se vero, ff. eod. tit. Haec leges, quae bono communi, publicaque paci plurimum conferunt, non obligant, ut aliqui putant, nisi post Judicis sententiam, quia, inquietunt, ita usu receptum est. Sunt tamen, qui centent, eas obligare etiam ante sententiam, nisi haec requiratur ex consuetudine legitime praescripta: quae opinio, quod spectat ad primum, & secundum casum admodum conformis est æquitati: nam si dominus sentit commodum animalis, vel mancipii, æquum est, ut sentiat & incommodum.

(c) C. Si culpa, ext. de injuriis, & damno dato,

Q. 3. Qua ex culpa juridica teneatur quis lege restitutionis, ratione contractus?

R. Si contractus fiat in solius accipientis utilitatem, v. g. commodatum, accipiens tenetur lege restitutionis ex culpa etiam levissima (*a*). Postulat enim æquitas, ut in custodia rei alienæ, cuius usum ad certum tempus gratis accepimus, diligentiam adhibeamus maximam, ne domino pereat. Obligatio tamen restituendi non oritur ex casu fortuito, nisi culpa ipsius accipientis acciderit, vel interveniret pactum, vel ipse in mora fuerit (*b*).

Si contractus fiat in solius dantis utilitatem, quale est depositum, accipiens restitutionis lege tenetur dumtaxat ex dolo, & culpa lata (*c*). Cum enim nulla ipsi gratia fiat, nullumque commodum inde percipiat, non postulat æquitas ut majorem rei ipsi custodiendæ diligentiam adhibeat, quam homines suis propriis rebus adhibere solent (*d*). Excipitur 1. si depositarius se obtulit, sic enim tenetur ex culpa levi, quia fuit causa, ne dominus apud diligentem deponeret. 2. Si mercedem accipiat pro custodia depositi, quia contractus cedit etiam in sui utilitatem, unde tenetur ex culpa levi (*e*). 3. Si adsit pactum de majori, vel maxima diligentia præstanda, vel etiam de casu fortuito (*f*). 4. Si culpa intercedat, depositum transferendo in

lo-

(*a*) Quæ Natalis docet de commodato, extendenda non sunt ad precarium, in quo accipiens tenetur solum ex culpa lata: nam precarium conceditur sine præfinitione certi temporis, unde & revocari potest arbitrio concedentis. Quare æquum videtur, ut qui accipit precarium, non teneatur ex culpa levi; ubi enim minor est gratia, major culpa

requiritur ad incurram obligationem restituendi. Ita *I. contractus*, *ff. de regulis juris*; *Q. I. quæsumus*, *ff. de precario*.

(*b*) C. cum gratia, ext. de commodato.

(*c*) *L. 3. Inst. t. 15. q. 1s.*

(*d*) *S. Thom. 2. 2. q. 62. a. 6.*

(*e*) C. bona fides, ext. de deposito.

(*f*) *Ibidem.*

locum minus tutum. 5. Si mora præcessit. Nam pacto, culpa, vel mora precedentibus casus fortuitus imputatur (a).

Si contractus sit in utilitatem utriusque partis, quale est locatum, accipiens tenetur ex culpa lata, & levi, non tamen ex levissima, neque ex fortuitis casibus. Cum enim adsit locatarii utilitas, æquum est, ut is diligentiores rei locatae habeat curam; non tamen opus est, ut diligentissimam; quia etiam adest domini commodum (b). Eadem ratio est de pignore (c). Si quis autem ad columnas, seu res admodum fragiles transvehendas operam suam locat, damnum refarcire tenetur ex culpa etiam levissima (d), quæ in his rebus levissima non censemur (e).

Q. 4. Quando quis lege restitutio*nis* teneatur ratione quasi contractus, sive officii?

R. Quasi contractus in jure (f) censentur negotiorum alienorum gestiones, & officia, puta Tutoris, Curatoris, Judicis, Advocati, Chirurgi, Pharmacopœæ, Artificis, &c. In his enim contractus saltem tacitus intervenit: quia dum quis munus gerendum suscipit, implicite saltem cum Republica, vel cum privatis hominibus de recta muneris administratione paciscitur.

Ita-

(a) Ibid.

(b) Ex I. 1. ff. Nautæ i. 4. f. 9. Nautæ, caupones, stabularii tenentur ex culpa etiam levissima de damno illarum rerum, quarum custodiæ etiam gratis suscepunt. Idque opportune statutum est ad præcavendas fraudes, quas hujusmodi homines committere solent.

(c) L. 3. Inst. tit. 15. §. 4.

(d) L. si merces, I. 19. ff. 1. 2. locati conducti, §. 7.

(e) Recensitæ leges spectantes obligationem restituendi in contractibus, si intercesserit culpa lata, vel levis &c. revera obligant in foro conscientia ante Judicis sententiam; idque non solum ob rationes a Natali propo-sitas, verum etiam quia unusquisque dum contrahit, censetur contrahere iuxta conditiones a legibus præscriptas.

(f) Lib. 3. Inst. 5. 28. §. 1.

Itaque in negotiis alienis gerendis tenetur quis ad restitutionem ex culpa lata dumtaxat , nisi forte se obtulerit , cum alter diligentior adhibendus esset , vel quærendus : tunc enim teneretur etiam ex culpa levi ; nam deberet diligentiores se præberet (a) . Quandoque autem , qui aliena gerit negotia , tenetur ob casus fortuitos , si illa gesserit absque mandato . Sex vero notantur casus , in quibus gestor negotiorum tenetur de casu (b) . 1. Si gesserit negotia pupilli . 2. Si accesserit animo depredandi . 3. Si accesserit ad nova negotia . 4. Si casum in se specialiter receperit . 5. Si culpa præcesserit casum . 6. Si fuerit in mora .

Ratione tutelæ , & dotis dationis tenetur aliquis ad restitutionem damni sequuti ex culpa lata , & levi (c) ; quia in his casibus major diligentia adhiberi debet .

Qui ex officio aliquid faciunt in utilitatem alterius , mercede conducti , uti Advocati , Medici , Chirurgi , Artifices , &c. tenentur etiam ex culpa levi (d) . Nam opus cedit etiam in eorum utilitatem , unde majorem diligentiam requirit (e) .

Qui

(a) L. ait Prætor , lib. 3. ff. t. de negot. gestis , q. 9.

(b) Glos. ad v. si solitus , l. si negotia , ff. t. cit.

(c) L. contractus , ff. de reg. iur.

(d) Culpa levis hic intelligitur , non absolute , sed respective alios homines privatos , qui non tenentur ex officio . Nam culpa , quæ in ipsis levis est , in aliis , qui tenentur ex officio , evadit gravis , & lata . Hinc communiter dici solet , hujuscmodi homines mercede conductos , regulariter teneri dumtaxat ex

culpa lata juridica Theologica adnexa ; nisi forte se diligentiores , aut peritores , vel etiam diligentissimos professi fuerint , majoremque diligentiam promiserint , vel negotium ipsum maximum diligentiam , & vigilantiam postulet . Sane qui ex officio inservit mercede conductus , videatur saltem implicite majorem promittere diligentiam vi contractus , quam si gratis inserviret : unde si hanc omittat , ad restitucionem tenetur .

(e) C. si culpa , ext. de injuriis , & damno dato .

Qui ex officio consilium dedit, ad restitutionem tenetur ex culpa lata. Si mercede sit conductus, tenetur etiam ex culpa levi. Qui enim debitam in officio suo fungendo diligentiam non adhibet, vel scientia, & prudentia, aliisque dotibus ad illud recte gerendum necessariis destitutus est, causa est damnorum inde consequentium. Tenetur autem ex levi, si stipendio sit conductus, quia cum reportet commodum, debet majorem adhibere diligentiam. Extra hos casus, nemo ratione consilii tenetur ad restitutionem, nisi ex dolo, juxta regulam 62. juris in 6. Nullus ex consilio, dummodo fraudulenter non fuerit, obligatur. Quae regula de consilio in contractibus, & quasi contractibus, non autem de consilio in maleficiis, & quasi maleficiis, sive delectis intelligenda est, ut monet Glossa. Nam qui de delicto consilium dedit, tenetur actione illi, contra quem consilium dedit; is enim datum est passus: non vero illi, cui dedit consilium, quia ex improbitate sua nemo consequitur actionem (a).

Ex dictis infertur r. Principes, & Magistratus, qui leges iniquas, vel statuta injusta tulerunt, ad restitutionem teneri ratione omnium damnorum inde sequentium. Nam ex officio tenentur bonum commune promovere. Hinc Sanctus Raymundus (b): *Si aliqui, ait, damnificati sunt occasione talis legis, vel statuti, tenentur conditores, & eorum heredes, ad restitutionem . . . Tenetur etiam in solidum, qui induxerunt Principem ad condendum leges tales. Item omnes observatores peccaverunt mortaliter, & tenentur ad restitutionem eorum, quæ talium legum occasione lucrati sunt.*

In-

(a) L. itaque fullo, t. de fur. lib. 47. ff.

(b) L. 2. t. 5. de raptor. s. 17.

Infertur 2. Judices, qui iniquam sententiam, sive ex dolo, sive ex imprudentia, aut ignorantia tulerunt, teneri ad resarcienda omnia damna inde sequentia parti læsæ (a).

Infertur 3. Advocatos multiplici ex capite posse restitutionis lege teneri. 1. Si scienter in justam causam defendant: si vero ignoranter, putantes causam esse justam, excusari possunt pro ratione ignorantiae: quod si initio putaverint, causam justam esse, eamque postea injustam deprehendant, tenentur illam deserere, vel clientem inducere, ut cedat, componatve sine adversarii damno (b). 2. Si producant falsa instrumenta, falsos, vel corruptos testes, aut falsas leges, aliasve juris, vel facti probationes, aut legum intelligentiam perversant. 3. Si dilationes superfluas in gravamen partium obtinere nitantur, ut sententiam subterfugiant, vel ut prolongata lite magis ipsi lucentur: vel si absque rationabili causa scienter faciant clientem appellare. 4. Si ignorantes, & insufficientes cum sint, munus advocationis exerceant, causamque justam amittant: vel si sint sufficientes, vices tam en suas aliis insufficientibus committant, clientulo inscio. 5. Si adversam partem juvent, vel secreta suæ causæ illi revelent. 6. Si de causis non current, nec eas foveant, prout permittit justitiæ ratio, unde fit, ut eorum negligentia clientes causa justa excidant. 7. Si salarium accipient, quod habita ratione causæ, laboris, & consuetudinis loci, excedens judicetur. 8. Si de certa parte litis cum gravi litigatoris damno paciscantur. Generatim vero tenentur ad omnia damna, quorum ipsi sua culpa fuerunt causa, tam suis clientibus, quam parti

(a) Idem ibid. §. 16.

(b) S. Thom. 2. 2. q. 71. a. 3.

parti adversæ (a). Et ob easdem causas ad restitu-
tionem Procuratores quoque tenentur.

Infertur 3. Episcopos, Parochos, Confessarios,
Concionatores, Jurisconsultos, omnesque illos,
qui pro idoneis consiliariis se gerunt, si noxium
consilium dederint, teneri ad omnia damna inde
secula (b).

Q. 5. An illicite accepta ob turpem causam, re-
stitui debeant?

R. Ex S. Thoma qui explicans, an possit de illi-
citate acquisitis fieri eleemosyna (c) ait: „ Triplici-
„ ter posse aliquid esse illicite acquisitum. Uno e-
„ nim modo id quod illicite ab aliquo acquiritur,
„ debetur ei, a quo est acquisitum, nec potest ab
„ eo retineri, qui acquisivit; sicut contingit in ra-
„ pina, & furto, & usuris. Et de talibus cum ho-
„ mo teneatur ad restitutionem, eleemosyna fieri
„ non potest. Alio modo est aliquid illicite acquisi-
„ tum, quia ille quidem, qui acquisivit, retinere non
„ potest, nec tamen debetur ei, a quo acquisivit;
„ quia scilicet contra justitiam accepit, & alter
„ contra justitiam dedit; sicut contingit in simo-
„ nia, in qua dans, & accipiens contra justitiam
„ legis divinæ agit. Unde non debet fieri restitutio
„ ei, qui dedit, sed debet in eleemosynas erogari.
„ Et eadem ratio est in similibus, in quibus scilicet
„ & datio, & acceptio est contra legem. Tertio
„ modo est aliquid illicite acquisitum, non quidem
„ quia

(a) Vide S. Raym. l. 2. t. 5. de
raptor. q. 16. & S. Anton. 3. p.
t. 6. c. 2.

(b) Excipe, si quis bona fide
opinionem suam simpliciter ape-
riat, nihil suadens; modo tamen
non existimetur esse majoris sci-
entiae, ac prudentiae, quam re ipsa
promereatur. Hinc S. Thomas 2.

2. q. 62. ar. 7. ait: *Non semper*
consilium... est efficax causa ra-
pinae. Unde iudee solum tenetur
consiliator... ad restitutio nem,
quando probabiliter estimari po-
test, quod ex hujusmodi causa
fuerit iustitia acceptio subse-
quenta.

(c) 2. 2. q. 32. a. 7.

„ quia ipsa acquisitio sit illicita , sed quia id ex
 „ quo acquiritur , est illicitum ; sicut patet de eo ,
 „ quod mulier acquirit per meretricium : & hoc
 „ proprie vocatur turpe lucrum . Quod enim mulier
 „ meretricium exerceat ; turpiter agit , & contra
 „ legem Dei : sed in eo , quod accipit , non injuste
 „ agit , nec contra legem . Unde quod sic illicite
 „ acquisitum est , retineri potest . “

Qui ergo contra legum prohibitionem aliquid recepit , id restituere tenetur . Hinc judex , accusator , testis , qui aliquid acceperunt pro injusta sententia , pro falso testimonio , vel injusta accusatione , id restituere debent , non illis quidem , qui dederunt , ut justitia violaretur , sed pauperibus . Nam ut docet S. Augustinus (a) : *Cum iudicia , & testimonia , que nec iusta , & vera vendenda sunt , iniqua , & falsa venduntur , multo sceleratus utique pecunia sumitur , quia scelerate etiam , quamvis a volentibus datur . Si tamen judex , testis , vel accusator quidquam recipient , pro iusta sententia , aut vero testimonio , aut accusatione secundum ordinem juris , restituere tententur ei , a quo receperunt . Unde S. Augustinus (b) inquit : Ille solet tamquam male sibi ablatam pecuniam repetere , qui iustum iudicium emit , quoniam venale esse non debuit . Id confirmatur ex decreto Alexandri VII qui hanc inter alias propositiones damnavit : Quando litigantes habent pro se opiniones aequae probabiles , potest iudex pecuniam accipere pro ferenda sententia in favorem unius præ alio (c) .*

Q. 6.

(a) Ep. 153. al. 54. ad Maced. num. 23.

(b) Ibid.

(c) Ut magis ac magis explicetur doctrina S. Thomæ proposita ab Auctore , nota i. pecuniam , sicut aliud quidquam receptum ob

illicitum opus patrandum , restituiri omnino debere ante opus patratum : nam pactum ob turpem causam , etiam juramento firmatum , irritum fuit ipso jure : unde dominium transferri non potuit .

Q. 6. An ex injusta boni alteri obuenturi interceptione, & impeditione, restituendi oriatur obligatio?

R. Affirmative: nam ex hujusmodi injusta interceptione, & impeditione damnum proximo inferatur. Tres autem debent concurrere conditiones, ut alterius bonum impediens restituere teneatur. 1. ut sic impeditus, potuisset rem obtinere, tali impedimento non posito. 2. ut rem juste consequi potuisset. 3. ut impedierit actione opposita justitiae.

Ratione primae conditionis restituere tenetur quisquis alterum injuste impedit, ne rem consequatur, vel possideat, in qua, vel ad quam jus habebat per justam promissionem, stipulationem, aliumve contractum, aut alium legitimum titulum, quo datur actio ad rem; idque tametsi solas preces, aut suasiones, non vim, aut fraudem adhibuerit: peccavit enim contra justitiam, cum sine justa causa jus alteri quæsumum frustratus fuerit.

Ob

Nota 2. premium pro re turpi restituendum esse, quories datum est ab eo, qui dare non poterat. Quare meretrix, quæ a Religioso premium accepit pro meretricio, tenetur illud restituere Monasterio.

Nota 3. ad restitutionem tenet, si illos qui aliquid recipiunt, ut faciant, vel omittant, quod ex justitia facere, vel omittere tenentur; nam lèdunt jus proximi, quod proinde restitutione debet resarciri: ut constat exemplo Judicis, de quo jam dictum est. Si autem premium recipiatur pro eo, quod fieri, vel omitti debebat ex aliis virtutibus: tunc si quidem actio, vel omissio est in bonum accipientis, vel in honorem Dei, nulla est obligatio restituendi, ut si quis det ali-

quid potator, ne inebletur, dat enim omnino sponte. Verum accipiens aliquid, ne crimen patret, tenetur restituere, si a Juge per sententiam cogatur. Quod si actio, vel omissionis actionis; quæ non debetur ex justitia, cedat in bonum alterius, ut esset curatio infirmi pauperis, quando Medicus debet ipsum ex charitate visitare; videtur premium acceptum restituendum esse ex charitate. Si demum quidpiam gratiose, & liberaliter detur, ut accipiens inclinetur ad opus debitum ex charitate, vel ex justitia, nulla est obligatio restituendi: exceptis tamen Ministeriis justitiae. Verum hujusmodi dona solent ut plurimum esse coasta.

Ob alteram conditionem restituere non tenetur is, qui alium impedivit, etiam per vim, & fraudem, a consequitione rei, quam alter juste obtine-re non poterat: nam ille jus alterius non violavit. Unde si vir indignus prohibitus fuerit a consequitione Beneficii, vel officii, impediens non tenetur ad restitutionem, quamquam ad impediendum im-pulsus fuerit ex odio, alove pravo affectu.

Ratione tertiae conditionis, qui dolo, fraude, mendacio, calumnia, detractione, detentione perso-næ, ne compareat, interceptione litterarum, ne rem speratam prosequi possit, vi illata, minis intentatis ei, qui erat collaturus, aliquem impedivit a conse-quitione rei, quam juste obtinere poterat, restitu-tioni obnoxius est, cum justitiam violaverit.

Solæ vero preces, blanditiæ, promissa non inju-sta minime sufficiunt, ut quis restituere teneatur, cum non sint causæ efficaces damni, modo tamen bonum non sit debitum ex justitia. Unde restitutio-nis onus non incumbit illi, qui precibus, blandis-que officiis, citra vim, & mendacium, alicujus ani-mum avertit ab instituendo illum hæredem, quem prius instituere decreverat, aut a relinquendo lega-tum, vel a donatione facienda, vel a Beneficii Ec-clesiastici collatione: Nam sicut testator, vel col-lator poterat sine cujusquam injuryia alium hæredem instituere, vel Beneficium alteri æque digno con-ferre; ita potuit aliis modis non illicitis id per-suadere (*a*).

CA-

(*a*) Inquirendum hic remanet, quantum restituere teneatur, qui alterum injuste impedivit, ne bo-num ipsi obventurum consequere-tur. Itaque si bonum erat alteri debitum ex justitia, qui alterum

impedit ab ejus consequitione, tenetur ad totum damnum, sive alter habeat jus in re, sive jus ad rem; hoc tantum discrimine, quod si jus sit in re, impediens tenetur restituere valorem rei; si sit

CAPUT V.

*De personis restitutioni obnoxiiis ex damno alterius,
cui sunt efficaciter cooperatæ.*

Q. 1. **Q**UOT modis cooperari quis possit injuste
alterius damno?

R. Non ille solum, qui actionem injustam imme-
Tom. III. Z dia-

si sit ad rem, restituere quanti-
jus illud valet prudentum judi-
cio. Nam, ut docet S. Thomas
2. 2. qu. 6. art. 4. „ Qui est in
via adipiscendi aliquid, habet
illud solum secundum virtu-
tem, vel potentiam, & ideo
si redderetur ei, ut haberet
hoc in actu, restituatur ei,
quod est ablatum, non sim-
plum, sed multiplicatum; quod
non est de necessitate restitu-
tionis.“

Notandum est autem, quod jus
ad rem aliud est proximum, ut
si collator constanter decreverit
Beneficium conferre Titio ad Be-
neficium praesentato; & tunc im-
pediens tenetur ad totum dam-
num; quod enim proxime obven-
turum est, habetur pro obtento.
Aliud jus ad rem est remotum,
ut si collator fuerit ambiguus; &
tunc facienda erit restitutio pro
ratione spei. Unde S. Thomas 2.
2. qu. 62. art. 2. ad 4. Aliquis,
inquit, „ potest impeditre aliquem,
ne habeat præbendam . . . in-
juste, puta, si intendat ejus
nocumentum, quem impedit
propter odium, vel vindictam,
aut aliquid hujusmodi. & tunc
si impedit, ne præbenda detur
digno, conculens, quod non
detur, antequam sit firmatum,

„ quod ei detur, tenetur qui-
dem ad aliquam recompensa-
tionem, pensatis conditionibus
personarum, & negotii secun-
dum arbitrium sapientis: non
tamen tenetur ad æquale, quia
illam nondum fuerat adeptus,
& poterat multipliciter impe-
diri. Si vero jam firmatum
sit, quod alicui detur præben-
da, & aliquis propter indebi-
tam causam procuret, quod re-
vocetur, idem est, ac si jam
habitam auferret; & ideo te-
netur ad restitutionem æqua-
lis, tamen secundum suam fa-
cultatem.“

Similiter pro ratione spei fa-
cienda est restitutio, cum quis
per actionem injustam alterum
impedit, ne consequatur offi-
cium, vel Beneficium, quo di-
gnus erat: nam is licet non ha-
bet jus ad illud bonum, tamen
jus habet, ne ab illo injuste im-
pediat. Quanta igitur erat
spes, quanta dispositio causarum,
ex quibus utilitas sperabatur
tantum restituiri debet; deducit
tamen expensis, qua fieri debuiss-
sent pro illius boni consequitio-
ne; & habita etiam ratione pe-
riularum, quibus verisimiliter
impediti poterat ejus boni con-
sequitio.

diate per se exercet , sed & qui cooperantur ad damnum , restitutionis lege tenentur . Unde ait Apostolus Rom. 1. *Digni sunt morte , & non solum , qui ea faciunt , sed etiam qui consentiunt facientibus .* Hinc Innocentius XI. hanc propositionem damnavit ; *Qui alium movet , aut inducit ad inferendum grave damnum tertio , non tenetur ad restitutionem istius damni illati .*

Dupliciter autem contingit , ut quis damno alterius cooperetur , directe scilicet , & indirecte . Directe quidem , dum alium inducit ; indirecte vero , quando non impedit , cum possit , & debeat impedire (a) . Itaque novem communiter modi recensentur , quibus damno alterius cooperari quis potest , & his verbis exprimuntur :

*Jussio , consilium , consensus , palpo , recursus ,
Participans , mutus , non obstat , non manifestans .*

Sex priores modi ad damnum concurrunt directe , tres posteriores indirecte . „ Sciendum tamen , in-
„ quit (b) S. Thomas , quod quinque præmissorum
„ semper obligant ad restitutionem . Primo jussio ,
„ quia scilicet ille , qui jubet , est principaliter mo-
„ vens , unde ipse principaliter tenetur ad restituendum . Secundo consensus , in eo , sine quo rapina
„ fieri non potest . Tertio recursus , quando scili-
„ cet aliquis est receptator latronum , & eis pa-
„ trocinium præstat . Quarto participatio , quando
„ scilicet aliquis participat in crimen latrocinii ,
„ & in præda . Quinto tenetur ille , qui non ob-
„ stat , cum obstat teneatur ; sicut Principes , qui
„ tenentur custodire justitiam in terra , si per eo-
„ rum defectum latrones increscunt , ad restitutio-
„ nem tenentur : quia redditus , quos habent , sunt
„ quasi stipendia ad hoc instituta , ut justitiam con-
„ ser-

(a) S. Thom. 2. 2. q. 62. ar. 7.

(b) Ibid.

„ servent in terra. In aliis autem casibus enumeratis
 „ non semper obligatur aliquis ad restituendum. Non
 „ enim semper consilium, vel adulatio, vel aliquid
 „ hujusmodi est efficax causa rapinæ. Unde tunc
 „ solum tenetur consiliator, aut palpo, idest adu-
 „ lator, ad restituendum, quando probabiliter æsti-
 „ mari potest, quod ex hujusmodi causis fuerit in-
 „ justa acceptio subsequita (a).

Inter causas cooperantes ponitur etiam exequens.
 Unde idem Angelicus (b) ait: „ Principaliter te-
 „ netur restituere ille, qui est principalis in facto.
 „ Principaliter quidem præcipiens, secundario vero
 „ exequens, & consequenter alii per ordinem.

Z. 2.

Q. 2.

(a) Ex laudata doctrina S. Thomæ colligitur 1. neminem ratio-
 ne cooperationis ad restitutionem teneri, nisi efficaciter influat in
 malum alterius, alioquin dam-
 num non infert. Unde qui pra-
 vo exemplo est alteri occasio da-
 mni, non tenetur restituere, quia
 non est causa, sed tantum occa-
 sio.

Colligitur 2. ad restitucionem teneri illum, qui alterum efficaciter movit ad damnum inferendum, tamen non defuissest alius, qui ipsum induceret: nam ille

vere influit in damnum, & aliiunde potuissest ille jam paratus mutare voluntatem. Potest tamen dari casus, quo quis movens alium jam paratum, ut damnum celerius, vel atrocius, ast fidientius exequatur, non sit causa efficax damni.

Colligitur 3. in dubio, an damnum sit sequutum ex manda-
 to, quod quis dedit, vel an man-
 datum fuerit efficax causa damni
 sequuti, restitucionem faciendam esse saltem pro ratione dubii. Nam juxta regulam 45. juris in

6. *Inspecimus in obscuris*, quod est verisimilius, vel quod plerumque fieri consuevit. Est autem verisimilius damnum fuisse illatum a mandatario vi mandati accepti, quia ita plerumque accidit. In his tamen casibus accurate expendenda sunt circumstan-
 tiae, ex quibus obligatio restituendi pro ratione dubii colli-
 genda erit.

(b) Ibid. ad 2.

Colligitur 4. ad restitucionem totius damni teneri illum, qui alteri jam parato causa fuit, ut
 damnum citius exequeretur: nam

Q. 2. Quinam comprehendantur sub recensitis modis, quibus potest quis damno alterius injuste cooperari?

R. Nomine *jussionis* comprehenduntur ii omnes, quorum mandato aliis movetur ad maleficium. Non oportet, ut mandans potestam habeat imperandi, licet Superior magis influat, Sufficit etiam tacita iussio, ut si quis dicat: quis me vindicabit? Mandans primo loco restitutionis lege tenetur, cum sit præcipua causa damni, nisi iussio fuerit revocata, & revocatio significata fuerit ei, cui datum erat in justum mandatum (*a*).

Nomine *consilii* veniunt suasores, & impulsores, ut sunt illi omnes, qui hortantur, instruunt, promissis alliciunt, rationes ob oculos ponunt, quibus aliquis ad nocendum proximo incitatur, & adducitur (*b*).

Con-

(*a*) Si mandatarius excedat limites mandati, & mandatum erat de re periculosa, mandans tenetur restituere etiam excessum, ut colligitur ex *C. is qui mandat, de homicidio, in 6. ubi dicitur*: „Is, qui mandat, alii quem verberari, licet expref-
si, se inhibeat, ne occidatur ut-
i, lateius, vel membro aliquo
mutiletur, irregularis effici-
citur, si mandatarius fines man-
dati excedens, mutilet, vel
occidat: cum mandando in
culpa fuerit, & hoc evenire
possit debuerit cogitare.

(*b*) Consilium potest dari tripliciter. 1. de ipsa bonitate, aut malitia operis exercendi, ut si quis alteri dicat, aliquem con- trarium esse licitum, cum revera sit illicitus. 2. de utilitate, aut

volutate actionis jam ab altero cognitæ, ut injustæ, ad eam incitando precibus, promissis, &c. seu media, & modos demonstرانdo, quibus efficaciter, & tuto illam consequi aliquis possit; aut proponendo rationes, & motiva, ut actio iusta fiat. 3. potest quis consilium alteri dare, in nixus alicui motivo, quod tamē fallsum est, ut si quis alteri persuadeat necem alicujus, eo quod is fratrem ejus occiderit. Itaque si aliquis consilium det primo modo, illo revocato efficiaciter, & opportuno tempore, non tenetur ad damnum sequutum, quia ratio movens non amplius subsistit; nisi forte consilium ita rationibus communiverit, ut earum vis minus efficaciter elideretur rationibus poste-
riori-

Consensus nomine designantur illi, de quibus dicitur Psal. 49. *Si videbas furem, currebas cum eo.* Et intelliguntur omnes fautores, approbatores, suffragatores (*a*), a quorum consensu, approbatione, vel suffragio pendebat, ut injusta actio fieret, vel non fieret. Sic damni dati causæ sunt Senatores, quorum suffragio aliquis justa causa cadit.

Palpo ille dicitur, cujus adulatio, & laudatio, seu exprobratio causa est damni illati, ut si quis viro nobili ignaviam expobret, nisi ulciscatur (*b*).

Z 3

No.

rioribus; tunc enim adhuc perficeret ratio agendi. Idem esto iudicium de tertio modo, propter eamdem rationem. Quod vero spectat ad secundum modum, distinguendum est. Nam si quis malum suaferit solis precibus, & promissis, postea vero, antequam sequatur damnum, consilium revocet, ostendens, rem sibi fore ingratam, nec velle stare promissis; immunis est a restitutione, quia jam desit ratio motiva. Si autem quis malum consuluit proponendo ejus utilitatem, aut voluntatem, vel indicando media, & modos, quibus malum illud poterat patrari, tenetur restituere post damnum sequutum, etiam revocaverit consilium, quia etiam revocato consilio, nihilominus cessetur causa damni. Unde vel debet efficaciora motiva proponere illi, cui antea consilium dederat; idque antequam damnum sequatur: vel si possit, monere debet illum, contra quem dedit consilium, ut sibi caveat: vel si hæc præstare non possit, aut nihilominus damnum sequatur, tenetur ipsum resarciri;

re, utpote vera causa damni, quantumvis ei displiceat præstitum consilium.

(*a*) Qui suffragium ferunt ad eligendum indignum, si primi suffragentur ante completum numerum sufficientem ad includendum, tenentur resarcire damna, quamvis alii suffragatores idem damnum certo intulissent: nam priores illi in damnum revera insinuant. Imo cum suffragia secreto feruntur, omnes suffragatores, etiam postremi, tenentur de damno, sive sciant, sive nescient quid ab aliis fiat, quia actio non concluditur, nisi post collata omnium suffragia; & priores potuerunt mutare voluntatem. Idem dicendum, si suffragia sint revocabilia, quia tunc damnum pendet ab ultimo suffragio, nec nisi eo posito, priora suffragia vim obtinent, & irrevocabilia sunt. Si quis autem suffragari nollet, cum defectu sui suffragii impian sententiam, sive electionem secuturam esse prævideret, is ad damnam tenetur, tamquam non ob stans.

(*b*) Palponis obligatio ad re satorem

Nomine *recessus* exprimuntur receptores, qui scilicet securitatem, vel refugium præbent furi, sive ipsum, sive res injuste ablatas recipiendo, & celando. De his præcipiuntur (a), ut perinde puniantur, atque latrones (b).

Participes non solum dicuntur illi, qui cum furibus quedam dividunt, sed quicumque socii sunt maleficii, quo proximi rebus damnum infertur, cujusmodi sunt, qui simul furantur, seu damnum inferunt, qui scalam admovent, vel sustinent ascendentem fure, qui excubias agunt, dum alii furantur, qui instrumenta suppeditant. De his dicitur Prov. 29.
Qui cum fure participat, odit animam suam. Qui socii sunt maleficii, tenentur refarcire damnum pro rata, & aliis non restituentibus suam partem, tenentur ipsi ad totum (c). De participibus prædæ ait S. Raymundus (d), „ Illi autem, qui nec adjuvant, „ nec in aliquo consentiunt, sed datur eis aliquid: „ & accipiunt, vel comedunt inde, & indunt, vel „ in alios usus ponunt, tenentur restituere, sed di- „ versimode: nam qui dono accipiunt, præcipue „ tenentur ad restitutionem: qui vero comedunt, „ vel bibunt, vel in usus necessarios expendunt, ut „ uxor, vel cæteri familiares, tenentur de omnibus, „ que sic expendunt: nisi in casu, cum agunt cau- „ fam spoliatorum, monendo, & inducendo pro „ posse ipsum raptorem ad restitutionem facien- „ dam; tunc enim non tenentur; nam qui alterius

„ ne-

farienda danata, mensurari debet
juxta ea, quæ diximus de con-
sultante: nam palpo adiustar con-
suletis se habet.

(a) ff. 1. 47. t. 16. de receptor.
Jib. 1.

(b) Si quis amicitia, aut mi-
sericordia causa malefattorēm

recipient, ut eum a morte libe-
rent, ii receptores non sunt,
quia in ejus maleficia non in-
fluent.

(c) ff. de furtis, T. vulgaris,
v. si duo.

(d) L. 2. t. 5. de raptoribus,
v. 15.

„ negotium gerit utiliter, etiam ignorantis, & absentis, licite recipit expensas; & hoc, sive fuerit secuta utilitas, sive non. “ Idem S. Raymundus (^a) explicans, quomodo gerere se debeant uxori, vel familiares raptoris, ait: „ Si ibi sunt aliqua de justo, de illis separatim potest expenditure: si vero non sunt aliqua ibi, nisi de rapina, nullo modo comedat, sed aliunde sibi victimum querat, vel ab amicis, & consanguineis suis, vel laborando manibus suis, vel alio quocumque modo, honesto tamen. Idem dico, si ibi sunt aliqua de justo, sed ita mixta sunt, quod non possunt discerni; vel licet possint discerni, maritus ini-quitate plenus, non permittit eam comedere, nisi de rebus raptis... Subest ei triplex auxilium. Unum si potest habere de dote, vel sponsalitio. Secundum, ut denunciet talibus, qui possint prodesse, & non obesse ... Tertium, si esset in ardo posita, quod nec invenirer quid comederet, nec eleemosynas, nec posset ulterius sine periculo sustinere necessitatem famis; tunc enim, si aliud non posset: & de rapina, & de aliis undecumque posset vivere, quia necessitas non habet legem ... Quidquid tamen sic expenderit, doleat in animo, & proponat firmiter, quam cito poterit, quidquid inde expendit, restituere. “

Non obstantes, sunt qui non occurrunt damno, nec obsistunt, cum justitiam tueri, improbosque coercere, punire, vel eorum punitionem procurare teneantur ex officio, ut Principes, Magistratus &c.

Demum *non manifestantes* dicuntur, qui cum damnum factum, & ubi factum sit, certo sciant, non indi-

(^a) Ibid.

cant crimen, aut ejus auctorem, sed se nescire disimulant (*a*).

Ex quibus infertur, Conductores mulctarum publicarum, sive juris super damnis datis, qui conveniunt, & paciscuntur cum pecudum, jumentorumque possessoribus, ut certa semel soluta pecunia, deinceps ob quævis illata damna a poena sint immunes, lethalis injustitiae reos esse. Quare iis neganda est absolutio, nisi conventionem rescindant, & damni illati auctores ad mulctam pro rata damni solvendam, poenasque dandas cogant; ipsique restituant pro damni illati quantitate in principium auctorum supplementum. Nam qui causam damni dat, damnum fecisse videtur.

Q. 3. Cooperantes damno alterius, quo ordine teneantur restituere?

R. S. Thomas (*b*) hanc statuit regulam: „Principaliter tenetur restituere ille, qui est principalis in facto. Principaliter quidem præcipiens, secundario vero exequens, & consequenter alii per ordinem. Uno tamen restituente illi, qui passus est damnum, alius eidem restituere non tenetur; sed illi, qui sunt principales in facto, & ad quos res pervenit, tenentur aliis restituere, qui restituerunt (*c*).“

Q. 4.

(*a*) Ut cooperantes indirecte, teneantur restitutionis lege, tria requiruntur, 1. ut culpabiliter omiserint impedire. 2. ut potuerint impedire sine gravi suo damno, nisi agatur de damno communis. 3. ut debuerint impedire ex officio. Unde ait *S. Thomas* 2. 2. quæ. 62. art. 7. ad 3. Non semper ille, qui non manifestat patronem, tenetur ad restitutio-

rem, non reprehendit; sed solum quando incumbit alicui ex officio.

(*b*) 2. 2. q. 62. ar. 7. ad 2.

(*c*) Ut magis, ac magis explicetur doctrina *S. Thomas*, animadvertisendum est, damnificatiōnem proximi aliquando esse lucrosam, aliquando simplicem, si ve minime lucrosam. Itaque si damnificatio sit lucrosa, cooperatorēs tenentur restituere hoc ordinē. Post illum, qui rem a-

lienam

Q. 4. Quid sit teneri in solidum? quique obligentur restituere in solidum?

R. Teneri in solidum, idem est, ac singulos, qui ad damnum alterius cooperati sunt, non solum teneri pro sua parte, sed etiam ad totum damnum, ad quod concurrerunt, resarcendum, deficientibus aliis priori loco obligatis. Si ergo damnificatio sit lucrosa, in solidum obligantur, 1. possessor. 2. mandans. 3. exequens. 4. aliae causae positivae, singulæ in aliarum defectum. 5. causæ negativæ in defectum aliarum. Si vero damnificatio lucrosa non sit, idem ordo servari debet, dempto solum possessore, qui nullus esse potest, ubi nullum est lucrum.

In solidum pari modo tenentur participantes resar-

hiam possidet, sive bona, sive mala fide, primo loco tenetur mandans, cuius præcipua in illatione damni pars fuit. Si quis autem alium induceret ad mandandum, teneretur prius ipso mandante.

Post mandanter secundo loco tenetur exequens, qui est principalior inter reliquos. Si tamen exequens aliorum cooperatorum nomine ageret, ut si plures inter se consilium inirent depopulandi vicem, & unus eorum, nomine omnium, id exequeretur, singuli æque principaliter tenentur.

Tertio loco, & in priorum defectum tenentur, qui posseco cooperatur efficaciter ad damnum, scilicet consulens, consentiens, palpans, receptans, adjuvans, nullo servato inter se ordine; ita ut eorum quisque tenetur ad suam partem maiorem, vel minorem pro ratione influxus: ita tamen, ut aliis deficientibus, singuli teneantur ad totum, re-

stituendo totum, ceteri teneantur pro sua parte.

Quarto loco post cooperantes positive, & in eorum defectum succedunt causæ negativæ, id est mutus, non obstante, non manifestans; inter quas ordo statu debet pro ratione obligationis, qua earum qualibet præ alia tenebatur proximus impedire damnum, ne sequeretur.

De ordine servando in damnificatione simplici, habes hic in quest. 4.

Hinc inseritur, causas minus principales liberari ab onere restitutioonis, si causæ principaliiores restituant, quia illæ non tenentur, nisi in defectum istarum. Unde si mandans restituat, ceteri deobligantur. Si restituat causa positiva, deobligantur causa negativa. Si debitum condonetur causa principaliori, censemur condonatum omnibus aliis, qui tenentur in ejus defectum. Vide S. Thom. in 4. d. 15. q. 1. art. 5. qu. 3.

resarcire damnum , cum plures communi conspiratione , & quasi una manu ad damnum inferendum concurrunt , sive unus seorsim ad illud sufficeret , si-
ve non ; in utroque enim casu unus sine alio dam-
num non infert , ideoque ambo revera sunt causa
totius damni (a).

C A P U T . V.

*De iis, quibus restitutio fieri debet, & de ordine
servando inter ipsos.*

Q. I. R Estitutio cui facienda sit?

R. Restitutionem faciendam esse illi , a quo aliquid injuste acceptum est , si dominus illius erat , sive justus possessor , vel administrator , aut custos , certum est ; hoc enim modo fit reduc̄tio ad æqualitatem justitiae commutativæ (b) . Id verum est etiam in dubio , an ille , a quo res ablata est , sit verus dominus , ut custos , sive administrator , quia in dubiis potior est conditio possidentis . Unde nisi certo constet , aliquem esse furem , ei restitui debet , quod ab ipso ablatum fuit (c) . Casum excipit Sanctus Thomas (d) , nempe quando res restituenda apparet esse graviter nociva ei , cui restitutio facienda est , vel alteri ; tunc enim non debet ei restitui ; quia restitutio ordinatur ad utilitatem ejus , cui restituatur ... sed vel reservare , ut congruo tempore restituat , vel etiam alii tradere tutius conservandam .

Præterea injuste acceptum ab eo , qui contra legem dedit , illi restitui non debet , sed in pios usus erogari , ut jam supra diximus cum S. Thoma .

Si vero sit mortuus ille , cui est restitutio facienda , debet

(a) ff. de furtis l. vulgaris , 6. si duo . (b) 2. 2. q. 62. art. 5.

(c) Coll. ex C. In litteris , ext. de restitut. spoliat.

(d) 2. 2. q. 62. art. 5. ad 1.

debet restituui hæredi ejus , qui computatur quasi una persona cum ipso (a). Hæredes autem hic intelliguntur quicumque jure succéidunt in defuncti hæreditatem , sive per testamentum , sive per sententiam , sive alio modo .

Q. 2. Cui facienda sit restitutio , cum dominus , ejusque hæredes sunt ignoti ?

R. Si dominus sit incertus , & ignotus , nec hæredes compareant , diligenter inquirendum est pro rei magnitudine , & qualitate , cuius res illa sit . Si post diligentem , & prudentum judicio sufficientem inquisitionem , ignoretur , ad quem pertineat , res eroganda est pauperibus , vel in alios pios usus convertenda (b) . Si autem nulla , aut minime sufficienti inquisitione facta , in pios usus illam erogaverit eis , penes quem extabat , vel qui eam injuste acceperat , restitutionis onere non liberatur , sed postea cognito domino , illam nihilominus restituere tenebitur (c) .

Porro duplíciter contingit , bonorum aliquorum dominum esse incertum , vel in particulari tantum , quia scilicet ignoratur , cuius sint determinatae , sed tamen scitur esse alicujus , vel aliquorum ex tali communitate , vel oppido , vel pago : aut etiam in universalí , itaut ne disjunctive quidem cognosci possit , an ad hos , vel ad illos pertineant .

Itaque in primo casu distributio hujusmodi bonorum facienda est illis , quibus probabile est , damnum esse illatum . Sic mercator minutatim vendens merces , si emptores fraudaverit , restituere debet illis , qui ad ejus officinam consfluere solebant , prout quisque plus , minusve emere solitus fuerit . At vero

(a) S. Thom. ibid. ad 3. (b) Idem ibid.

(c) Coll. ex C. sicut dignum , ext. de homie . 9. eos insuper .

vero in secundo casu , sive bona illa habeantur , vel habita sint ex debito , sive ex contractu , pauperibus distribui debent , vel in alios pios usus erogari (a). Si ergo constet , ex qua civitate sit , vel fuerit dominus jam ignotus , conveniens erit , ut restitutio fiat pauperibus illius civitatis ; quod etiam præstandum erit ab illis , qui civitatem aliquam , aut provinciam deprædati sunt , aut aliquo damno affecerunt .

Q. 3. Quo loco facienda sit restitutio , & cuius expensis ?

*R. Qui restitutioni obnoxius est ratione delicti , furti scilicet , rapinæ , &c. rem alienam restituere debet eo loco , ex quo injuste ablata est , & ubi dedit ille , cui damnum est illatum , idque propriis sumptibus debitoris , et si sumptus excedant rei ablatae valorem . Æquitas enim postulat , ut qui Iæsus est , servetur indemnus , & restituatur in integrum ; contra vero qui damnum fecit , sibi imputet , quod gravetur , juxta reg. 86. juris in 6. *damnum* , quod quis sua culpa sentit , sibi debet , non aliis imputare .*

Qui restitutioni est obnoxius ratione solius rei acceptæ , quia videlicet rem alienam emit , collegitque , ne domino periret , aut bona fide emit , vel possedit , & postea cognovit esse alienam , tenetur restituere in eo dumtaxat loco , ubi res illa extat : non enim æquum est , ut gravetur , qui nullum damnum , nullam injuriam intulit . Moneat ergo dominum , ut significet , quid de re sua fieri veiit , aut ad eum transmittat , sed ejus sumptibus . Addit S. Thomas (b) : si vero ille sit multum distans , debet sibi transmitti , quod ei debetur , & præcipue si sit res magni valoris , & possit commode transmitti :

(a) Collig. ex C. cum tu , ext. de usuris .

(b) 2. a. q. 62. art. 5. ad 3.

mitti: alioquin debet in aliquo loco tuto dponi, ut pro eo conservetur, & domino significari.

Qui restitutioni obnoxius est ratione contractus, restituere debet in loco, de quo conventum est, aut in quo voluisse dominum, ut sibi restitueretur, est verisimile. Nam *contractus ex conventione legem accipere dignoscuntur* (a). In *contraētibus commoda-ti, & depositi*, in quibus restitui debet res eadem numero, reddenda est in loco, ubi est accepta, sumptibus *commodatarii in commodato*, quia *com-modatum cedit in ejus utilitatem*; sumptibus vero deponentis in deposito, quod accipitur in utilita-tem deponentis; dummodo tamen depositarius de-positum acceperit custodiendum gratis. Quoad com-modatum excipe, si locus, quo forte dominus transmigraverit, sit longe distans, nisi aliter fuerit conventum. Mutuum solvendum est, ubi fuit acceptum: & similiter pretium rei empta solvi de-bet, ubi empta res est, nisi aliter fuerit conven-tum. Ut vero hæc conventio sit justa, compensan-dum est onus, si quod alteri parti imponitur. Si enim debitor obstringeretur, ut quod mutuo accepit Parisiis, Lugduni solveret suis sumptibus, jam cre-ditor lucrum perciperet ex mutuo, adeoque usuram committeret.

Q. 4. Cujus periculo facienda sit restitutio?

R. Qui ratione injustæ acceptio[n]is, sive retentio-nis, damnive illati, restitutionis lege tenetur, si rem restituat per internuncium, v. g. Parochum, Confessarium, Concionatorem, aut alium quem-piam, qui probus, & fidelis habetur, interim vero res pereat in internuncii manibus, sive illius dolo, sive casu fortuito, nullatenus liberatur debitor ab onere restitutionis. Ubi enim culpa, vel mora de-bitο-

(a) Reg. 85. jur. in 6.

bitoris præcessit, casus etiam fortuitus illi imputatur (a). Nisi ergo res in domini manibus reposita fuerit, injustus debitor non liberatur (b).

Qui restituere debet ratione rei acceptæ, vel contractus, non delicti, si res restituenda sit eadem numero, ut commodatum, locatum, depositum, liberatur onere restitutionis, quoties usus est internuncio, qui fidelis habebatur, qui tamen dolo, vel casu fortuito non restituit. Nam quoties res aliena perit absque culpa debitoris, domino suo perit (c). Si autem internuncius electus est a commodatario, nec a commodante probatus, res commodatario perit: contra si electus est a commodante, ab eoque missus, ipsismet perit res sua (d).

Si vero res non debetur eadem numero, ut nummi, triticum, vinum, &c. restituenda est periculo debitoris: adeoque debitor, quantumvis culpæ expers, qui rem hujusmodi internuncio etiam fidelissimo restituendam commisit, restitutionis onere non liberatur, etiam ex casu fortuito (e).

Denique si res, quæ eadem numero restituenda est, debetur ex culpa, vel in ea restituenda intercesserit mora domino noxia, debitor eam suo periculo restituere tenebitur, ejusque damno peribit, si eam perire contingat, antequam reddatur domino, seu cui dominus voluerit.

Q. 5. Qui ordo servandus sit inter creditores, quibus restitutio facienda est?

R. In restitutione facienda ita necessario servandus est ordo legibus civilibus, & jure etiam municipali

(a) C. bona fides, ext. de deposito.

(b) Si dominus designavit nuncium, vel reliquit debitori libertatem eligendi quem veller nuncium, debitor etiam injustus liberatur onore restitutionis, si

res casu, vel dolo nuncii petreat.

(c) L. ad eos, t. commod. in ff.

(d) L. cum, ibid. s. t.

(e) L. incendium, t. si certum petatur, C. lib. 4.

pali præscriptus, ut ejus violatio grave peccatum sit injustitiae, debitoresque obliget ad resarcendum damnum creditoribus hinc emergens.

Itaque cum bona debitoris pro omnibus creditoribus non sufficiunt, vel dubitatur, an sufficiant (si enim sufficiunt, nihil interest, cui prius restitutio fiat, modo omnibus debitoribus fiat) debita certa prius restituenda sunt, quam incerta, quorum creditores ignorant. Non enim succedit in pauperibus ipse Christus, nisi quando non reperiuntur personæ certæ, quibus restitui debent certa (a). Excipe si res, cujus dominus nescitur, existat in propria specie; tunc enim impendenda erit in usus pios. Vide notam infra (b).

In restitutione certorum prius restitui debent debita ex contractu oneroso, quam debita ex contractu gratuito, v. g. ex donatione, & quæcumque ad pias causas: illorum enim strictior est obligatio (c).

Quoad debita ex delicto, v. g. furto, rapina, usura, si debitori bona sint legitime parta, & debitis ex contractu oneroso obnoxia; prius solvenda sunt debita ex contractu, quam ex delicto: nam *injustum videtur, de eo, quod juste debetur alteri . . . restituere alienum* (d). Si autem nulla debitori sunt bona legitime parta, prius restitui debent debita ex delicto, quam ex contractu: & quidem prius, quæ ablata sunt per rapinam, quam quæ per furtum; prius quæ per furtum, quam quæ per usuram: nam furto, & rapina gravior illata est injuria; usura vero minorem sapit injuriam, quia illam nemo solvit,

(a) S. Antonin. p. 2. t. 2. c. 7.

(b) Sunt qui probabiliorem censem oppositam sententiam, quia creditores ignoti æquale jus habent, ac creditores noti. Vid. *Concinnam l. 2. de just. dissert. 2. c. 14. n. 6. seqq.*

(c) L. 19. ff. de re judic. (d) S. Antonin. loc. cit.

vit, nisi saltem conditionate volens: cætera autem debita ex contractu mutua voluntate contrahuntur.

Debita cum hypotheca privilegiata, solvenda sunt ante alia etiam hypothecata. Sunt autem hypothecæ privilegiatae, 1. illa, quam jus concedit ei, qui suam credidit pecuniam ad reparandam, vel ædificandam domum alterius, vel quid simile. Is præfertur aliis creditoribus habentibus etiam hypothecam specialem in re illa; quia sine ejus mutuo illa non extitisset (a). 2. Privilegium habet hypotheca illius, qui pecuniam dedit mutuo, ut alter rem aliquam emeret. Is habet jus in eam rem supra anteriores creditores hypothecarios, quia sine tali mutuo rem illam debitor non haberet (b). 3. Qui pro mercium vectura mutuum dedit earum domino, quique domum locavit, in quam merces, aut supellex a conductore comportatae sunt, hypothecam privilegiatam habet in illis mercibus, & supellecili (c). 4. Privilegiata est hypotheca pro dote, qua bona omnia viri sic tacite obligantur, ut in dotis restitutione uxor, ejusque hæredes reliquis creditoribus generalem hypothecam anteriorem habentibus, præferantur (d). 5. Nihilominus hypotheca dotalis posterior non præfertur creditoribus anteriorem hypothecam expressam habentibus: ita enim creditores anteriores inique exciderent jure suo. In dubio, an cæteræ hypothecæ sint priores dotali, præferenda est dos hypothecæ etiam expressæ, nam *in ambiguis pro dotibus respondere melius est*, ut habet regula 85. jur. in ff. Quinto privilegiata est hypotheca in favorem fisci, cuius debitor omnia bona sua fisco obligata habet (e). 6. Privilegium habet

(a) L. interdum, ff. qui potiores.

(b) L. licet, C. qui potiores in pignore.

(c) L. hujus, ff. qui potiores, q. si quis.

(d) L. assiduis, C. qui potiores.

(e) L. z. C. de privileg. fisci.

habet supra omnes creditores præcedentes pensio alimentaria pupillorum, aut adulorum etiam filiorum honestæ conditionis, sed corpore, vel mente impotentium, ex bonis paternis, vel maternis solvenda; quippe *alimenta necessaria dilationem non sustinent.*
 7. Idem esto judicium de Medicorum, Chirurgorum, Pharmacopularum expensis in ultima ægritudine factis (a), itemque de moderatis impensis pro funere (b).

Ad debita simpliciter hypothecaria (c), quod attinget, ea præferenda sunt debitibus personalibus, seu chirographariis tantum (d). Ubi vero eadem res est pluribus oppignorata, præferendi sunt creditores anteriores in hypotheca non privilegiata. Nam *qui prior est tempore, potior est jure* (e). Porro in debitibus hypothecariis creditor anterior aliis ejusdem ordinis creditoribus posterioribus ita præferendus est, ut ei debitum in solidum solvi debeat, quamvis bona non sufficiant ad satisfaciendum reliquis creditoribus hypothecariis (f). Neque horum paupertas legitimus est titulus, cur præferantur habenti priorem hypothecam, nisi eorum necessitas sit extrema, vel gravis: tunc enim præferendi essent ex

Tom. III.

Aa

cha-

(a) L. In restituenda, C. de petitione hæredit.

(b) L. Et si quis ff. de Religiosis, & sumptibus funerum.

(c) Hypotheca est, cum datur, vel assignatur aliqua res in securitatem debiti. Si res est mobilis, dicitur pignus; si immobilis, dicitur hypotheca. Alia est generalis, cum scilicet obligantur omnia bona debitoris præsentia, & futura. Alia specialis, cum assignantur certa aliqua bona, v. g. præmium. Alia est ex-

pressa, cum de illa expresse sit stipulatio in contractu. Alia est tacita, que aliquibus contractibus inest vi legum, et si in illis non exprimatur.

(d) L. eos, C. qui potiores &c.

(e) Keg. 54. jur. in 6.

(f) Nota, quod creditores habentes hypothecam expressam præferuntur habentibus tacitam; habentes generalem, præferuntur habentibus specialem tantum. Si vero hypothecæ sint similes, anterior præfetur posteriori.

charitate , atque ea tantum ratione , ut eorum necessitas sublevetur. Quare non licet debitori , qui omnibus solvendo non est , uni creditori sponte gratificari in præjudicium anteriorum , aut habentium potiorem hypothecam . Alioquin , nisi ipsum juris , & facti ignorantia excusat , tenebitur de danno creditori potius jus habenti (a).

Quod spectat ad personalia debita , nullus in eorum solutione ex necessitate justitiae servandus est ordo (b) , si eorum jura , & nomina æqualia sint : nec inter eos ulla servanda inæqualitas in partitione bonorum debitoris , si ad singula debita non sufficient , ubi hypothecariis satisfactum sit. Hinc si supersint mille aurei , & decem sint creditores chyrographarii , quorum singulis debeantur 200. aurei , singulis assignabuntur 100. ut singuli partem lucri , & jaæturæ sentiant. Si vero eorum jura , & nomina sint inæqualia , servabitur in divisione proportio inæqualitatis pro rata .

Observandum tamen , creditorem chyrographarium , seu personalem sua in petendo diligentia jus consequi in debiti solutione præ aliis creditoribus ejusdem ordinis , etiam tempore prioribus (c) . Debitor vero ab uno hujusmodi creditorum tam in judicio , quam extra interpellatus (d) , aliis silentibus , illi et si cæteris posteriori , potest tuta conscientia satisfacere .

Ha-

(a) Coll. ex I. scimus , C. de jure delibrandi .

(b) Sunt quidam personales creditores habentes personale privilegium prælationis , ut sponsa in bonis sponsi ob dotem traditam ante matrimonium , eo non sequitur ; & deponens pecuniam apud nummularium , si etiam non percipiat usuras .

(c) L. 24. ff. quæ in fraudem , &c.

(d) Dicimus interpellatus ; nam si debitor creditori non potest totum solvare debitum , indeque fiat impotens ad satisfaciendum aliis æqualibus creditoribus , peccat contra justitiam , & tenetur de danno aliis creditoribus ilato : quia tenebatur istis ex justitia pro rata satisfacere .

Hactenus dicta quoad dispositionem juris civilis de ordine solutionis debitorum, ita sunt intelligentia obligare in conscientia, ut hanc vim sibi vindicent ex jure Communi. Cæterum si lex municipalis alter disponeret, huic standum esset etiam in foro conscientiae (*a*), nisi illa divinæ legi esset opposita (*b*).

C A P U T V I .

*De causis, ob quas omitti, aut differri potest
restitutio?*

Q. 1. **A**N condonatio creditoris a restitutione excusat?

R. Affirmative. Nam facta condonatione debiti, non detinetur amplius res aliena invito domino. Verum ut condonatio valeat in foro conscientiae, tres conditiones concurrant, necesse est. 1. Ut sit

A a 2 facta

(a) S. Antonin. p. 2. E. 2. C. 7.

(b) Nota pro coronyde hujus
quæsti , quod res , si extet in
sua specie , nec debitor domi-
nium ejus acquisierit , restitu-
debet proprio domino ; quoties
scitur , quis ille sit ; vel si do-
minus ignoretur , distribuenda e-
rit in usus pios ; nec dividi po-
test cum creditoribus ; solutio
enim debet fieri ex propriis .
Hinc si res empta sit ab aliquo ,
apud quem extat , qui tamen nec
premium obtulit , nec pignus ,
neque fidejussorem promisit , nec
venditor reputavit premium sibi
solutum esse , ex eo quod de il-
lo solvendo emptori fidem dede-
rit ; reddenda est venditori præ-
aliis creditoribus : nam venditor
dominium rei non amisit , ut ha-
betur in Inst 9. vendita , de re-

rum divis. Si vero emptor pretium non solvit, sed tamen pro illo pignus, aut fidejussorem dedit, cum res transierit in dominium emporis, venditori red-denda non est præ alii creditoribus. Præter hos casus, quando res traditur emptori, & pretium ei creditur; sive qui docent, venditorem præferendum esse a-llis creditoribus etiam privile-giatis, & hypothecariis quoad rem venditam, quia hæc videtur tacite hypothecata venditori: modo tamen empor illam alteri non vendiderit, donaverit, &c. Sunt tamen, qui opositionem te-nent, eo quod in hoc casu reve-ia sit translatum dominium rei a venditore in emptorem: neque tacita illa hypotheca in aliquo iure fundatur.

facta ab eo , qui condonare poterat : unde invalida est condonatio filiis familias peculium castrense , vel quasi castrense non habentis , item minoris , pupilli , Religiosi professi , stulti , furiosi , prodigi sententia Magistratus declarati , & a bonorum suorum administratione exclusi .

2. Ut condonatio sit spontanea , non dolo , non fraude , non minis extorta . Unde si quis paupertatem simulet , aut multo graviora damnna se passum mentiatur , quam revera passus sit ; aut creditores totum debitum amissuros minetur , nisi partem condonent ; aut isti hoc faciant , quia putant , se aliter non posse residuum habere ; non est liber a restitutionis onere . Nam fraus , & dolus nemini patrocinantur (a) .

3. Ut condonatio non sit jure vetita , idest debitor non sit declaratus incapax condonationis . Hinc Visitator Ecclesiarum , si ab eis , quos visitat , vel quorum vice visitationem obit , aliquid accipiat , praeter sumptus necessarios ; duplum restituere teneatur , etiam ante sententiam Judicis , nulla ei in hoc dantium remissione , liberalitate , seu gratia (b) valitura (c) . Item Judge delegatus , si quid a partibus acceperit .

(a) Vide S. Antonin . p. 2. t. 2. c. 6. q. 1.

(b) C. exigit , de censibus in 6.

(c) Notandum , ex declaratione Sacr. Congregationis Concilii apud Fagnanum C. Procurationes n. 14. de Censibus , si Episcopus per alium visitet , non ipse , sed alteri visitanti procurationem dari : tunc autem Visitator exigere non potest integrum procurationem Episcopo debitam , sed vel dimidiam , vel etiam minus , & residuum non deberur Episcopo , sed remaneat Ecclesiis visitatis , ut respondit eadem Sacra Congrega-

tio apud Nicol. v. Visitatione numer. 10.

Notandum etiam , ex eadem Sacr. Congregat. apud Fagnanum in cap. Venerabili num. 15. de Censi. procurationem non deberi Episcopo visitanti Cathedram suam , aut Ecclesiis sua Civitatis . Ecclesia pauperes quoque exemplarē sunt a procuratione , ut notat idem Fagnanus in d. cap. num. 37. & ibid. num. 37. idem docet de hospitalibus pauperum .

Notandum insuper , in cit. C. eligit , a Gregorio X. prohiberi , ne

ceperit, nisi forte esculentem, vel poculentum merita liberalitate oblatum, quod paucis diebus possit consumi; vel si propter causam sibi commissam extra domicilium profectus, acceperit aliquid praeter expensas moderatas; vel a partibus pauperibus aliquid, expensarum etiam nomine, exegerit; ad restitutionem integrum tenetur, nulla eorum, quibus restitutio facienda fuerit, remissione ullatenus profutura eidem (a). Præterea si Inquisitores officii sui ratione pecuniam extorserint, restituere jubentur iis, a quibus acceperunt, nullis privilegiis, pacis, aut remissionibus super hoc valituris (b). Denique Canonici, qui Divinis Officiis non intersunt, restituere tenentur distributiones, etiamsi illi, quibus accrescunt, eas condonent (c).

Q. 2. An impotentia excusat a restitutione?

Aa 3 R. Etsi

ne procuratio recipiatur in pectenia, sed in viualibus, quorum nomine non veniunt vectura eorum, nisi Visitator esset Delegatus Apostolicus, neque veniunt omnia necessaria circa personam, sed solum necessaria ad victimam, ut declaravit Sac. Congreg. Episc. & Regul. apud Passerinum in d. c. exigit num. 17. Verum ex Glossa in v. Munera non incurritur pena d. Decretalis, si Visitator modicum esculentum, vel poculentum recipiat, quod verisimiliter aliquem non moveat, nec donante pauperiorem reddat. In ea tamen Decretali, etiæ cavetur, ne Ordinarii Visitatores, aut eorum famili munera recipient; nihilominus Notarius non habens familiarium, aliquid recipere potest pro scripturis, & instrumentis, & labore suo, ut approbat Barbosa.

Notandum denique, in codem c. exigit, non solum præcipi, ut recepta contra statutum in eo cap. debeant in duplum restituere Ecclesiae, a qua fuerunt habita, idque infra mensem; sed etiam statui, ut differentes restituere ultra mensem, sint interdicti ab ingressu Ecclesie, si sint Patriarchæ, Archiepiscopi, vel Episcopi; inferiores vero sint ipso facto ab officio, & beneficio suspensi, quoisque duplum gravata Ecclesie restituerint; que censure reservata est pro non restituentibus; facta vero restituzione cessat sine alia absolutione.

(a) C. statutum, de rescriptis in 6.

(b) Clem. Nolentes, de hereticis.

(c) Concil. Trid. sess. 24. de Reform. c. 12.

R. Etsi restitutio statim , & absque mora facienda sit , ut supra diximus cum S. Thoma ; nihilominus quando aliquis non potest statim restituere , ipsa impotentia absolvit eum ab instanti restitutione facienda : sicut etiam totaliter a restitutione absolvitur , si omnino sit impotens ; debet tamen remissionem , vel dilationem petere ab eo , cui debet , aut per se , aut per alium (a) .

Porro impotentia alia est *physica* , cum scilicet nihil omnino habet debitor , unde restituat , & haec omnino excusat , quousque perseverat ; unde inanis actio creditoris a Jurisconsultis dicitur , quam *inopia debitoris excludit* . Alia est *moralis* , cum nempe debitor restituere absque gravi suo , vel aliorum damno non potest ; atque haec impotentia excusat a restitutione statim facienda , 1. quidem si debitor extrema , aut valde gravi necessitate prematur , cui aliunde succurrere non possit , quam ex re aliena injuste possessa ; quia tunc restitutio censetur moraliter impossibilis (b) . Verum extra casum necessitatis extremæ , aut velut extremæ , in pari causa damni , & necessitatis potior debet esse conditio creditoris , cui proinde si ex mora restitutionis immineat similis gravis necessitas , debitor statim restituere tenetur .

2. Non tenetur debitor statim restituere , si id non possit absque gravi periculo vitae , famæ , innocentiae , ac salutis suæ , vel suorum : haec enim sunt quid nobilis substantia temporali ; ut si quis ex subita restitutione rei ablata per furtum , detegretur (c) .

3. Non tenetur debitor statim restituere , qui id non potest sine magno detimento rerum suarum juste

(a) S. Thom 2. 2. q. 62. ar. 8. ad 2.

(b) Antonin. p. 2. t. 2. c. 8.

(c) Idem ibidem .

juste partarum , v. g. si is , qui debet centum aureos , statim eos solvere non possit , nisi domum suam multo minoris vendat , quam valeat , modo tamen creditor simile damnum non patiatur ex dilatione . Verum grave damnum , quod a restitutio- ne statim facienda excuset , nequaquam censendum est , cum magna pecuniæ summa , seu res quælibet aliena magnæ quantitatis , & valoris restituenda est , adeoque magna immixtio facienda est rei fa- miliaris , cui immixta est ; aut grande lucrum su- bita restitutio interceptura est : id enim non est amittere suum , sed alienum relinquere , seu alieno non uti .

4. Excusatur debitor a restitutione statim facien- da , si eam facere non possit absque ruina sui sta- tus juste acquisiti , v. gr. si vir nobilis restituere statim non possit , nisi ad statum mechanicum re- digatur ; modo etiam similis ruina creditor i non impendat . Statum tamen suum imminuere tenetur , quantum salva externa honestate , & decentia , fa- maque sua potest , & expensas domus suæ modera- ri , ut solvat debita , & res alienas quamprimum restituat .

Ex quibus insertur , a restitutione statim facien- da non excusari illum , cujus bona injuste parta sunt , vel status injuste acquisitus , etiamsi statim restituere non possit absque gravi rerum suarum de- trimento , aut status eversione : ut enim habet re- gul. 83. jur. ff. non videntur rem amittere , quibus non fuit . Hac etiam ratione non excusatur ille , qui ludis , compotationibus , meretriciis amoribus , aliisve sumptibus inquis , ac superfluis bona sua de- coquendo , ad eas angustias redactus est , ut absque gravi suo damno restituere statim non possit . Hic restituere tenetur , si absolute potest , nisi a credito- ribus suis inducias obtineat , quas non meretur .

Hæc autem , quæ dicta sunt de potentia morali restituendi , prædicari publice non debent , ut

monet S. Antoninus (*a*), ne paretur via detentioni alienorum, ad quod nimis personae sunt inclinatae: sed cum magna discretione in Confessione, & consiliis transienda, & cum multis circumstantiis considerandis, que honestent factum.

Q. 3. An qui restituere non potest, teneatur cedere bonis?

R. Ex S. Antonino (*b*), debitorem ære alieno gravatum, non teneri ad cessionem omnium bonorum, & ad spoliandum se omnibus, retenta sibi veste, & baculo; nam licet tutius esset, restituere, & in Deo spem ponere, etiamsi oporteret mendicare, ut docet S. Raymundus; nemo tamen ad id tenetur ex necessitate salutis (*c*).

Q. 4. An præscriptio restituendi obligationem perimit?

R. Ex S. Thoma (*d*), Si quis præscribat bona fide possidendo, non tenetur ad restitutionem, etiamsi sciat, alienum fuisse post præscriptionem: quia lex potest aliquem pro peccato, & negligencia punire in re sua, & illam alteri dare, & concedere: sed qui mala fide præscribit, teneatur emendare, & satisfacere, reddendo damnum, *quod*

(*a*) P. 2. t. 2. c. 8.

(*b*) Loc. cit.

(*c*) Cessio bonorum est, cum debitor omnibus suis debitis solvendis impar, creditoribus dimittit bona, quæ habet. Quod remedium iis tantum conceditur, qui ex adversa fortuna, absque fraude, dolo, malitia, &c. solvendo non sunt; eoque sit, ut debitor non possit ob debita in carcерem confici, & si forte sit conjectus, lib: retur. Hinc cessio bonorum, quoad sociat forum conscientiz, non magis excusat a restitutione, quam a cessione non facta, excusat necessitas:

nam ut dicitur *I. t. C. qni bonis cedere possunt*, *sit. 71. lib. 7.* Qui bonis cesserint, nisi foli dum creditor receperit, non sunt liberati. In eo enim tantummodo hoc beneficium eis prodest, ne judicati detrahantur in carcерem. “Si tamen qui bonis cessit, acquirat quid modicum necessarium sive aut suorum sustentationi, non potest ob ilud modicum a prioribus creditoribus conventri, aut ex spoliari, ut colligitur ex *I. s. debitoris, ff. de cess. bonor. t. 3. lib. 42.*

(*d*) Quodlib. 12. q. 16. a. 2.

„ quod intulit. „ Servandæ tamen sunt conditiones legitimæ præscriptionis, quas enumeravimus supra, cum de dominio tractavimus.

SECTIO V.

De Contractibus in genere (a).

CAPUT I.

De natura, & divisione Contractus.

Q. 1. Quid sit contractus?

R. Contractus definitur ex Vulpiano (b) Ultero, cu[od]roque obligatio; seu, duorum, pluriumve in idem placitum, & consensu signo sensibili manifestatus, obligationem pariens, saltē in uno contrahentium: Dicitur duorum, vel plurium, quia justitia non est, nisi ad alterum. Dicitur placitum, & consensus, quia sine consensu non perficitur contractus. Dicitur obligationem pariens, quia contractus est privata lex, quam quis sibi imponit, unde tenetur eam servare. Dicitur saltē in uno contrahentium, ut contractus late sumptus, cujasmodi est simplex promissio, & donatio, quæ in uno tantum obligationem pariunt, distinguatur a contractu stricte sumpto, qui parit obligationem utrimque.

Q. 2. Quotuplex sit contractus?

R. Contractus dividitur primo in nominatum, & innominatum. Contractus innominatus, qui nempe proprio caret nomine, quadruplex est, do, ut

(a) De contractibus in genere nihil tractatum extat penes Naturalim; quare visum est hanc sectionem ex integrō adūtere, ne quidquam desideretur pertinens ad materiam justitiae.

(b) L. Labco 19. ff. de verb. signif.

ut des; do, ut facias; facio, ut des; facio, ut facias (a).

Contractus nominatus, seu qui proprium habet nomen, dividitur 1. in illum, qui est in utilitatem utriusque contrahentis, cujusmodi sunt emptio, & venditio, locatio, & conductio, census, cambium, &c. 2. In illum, qui est in utilitatem solius dantis, ut est depositum, nisi depositarius de mercede paciscatur. 3. In illum, qui est in commodum solius accipientis, ut sunt mutuum, commodatum, pignus, fidejussio, &c. 4. In illum, qui est in utilitatem alterutrius indeterminate, ut ludus, & sponsio.

Rursus contractus alius est, in quo transfertur proprietas rei, ejusque usus, ut in mutuo, cambio, venditione, &c. Alius, in quo transfertur solum ususfructus, ut in emphyteusi. Alius, in quo transfertur usus tantum, ut in commodato, locatione, &c. Alius, in quo nec proprietas, nec ususfructus, nec usus transferuntur, ut in deposito.

Præterea dividitur contractus in gratuum, seu non lucrativum, in quo scilicet pro eo, quod datur, nihil rependitur, ut est donatio; & in onerosum, in quo aliquid rependi debet.

Dividitur etiam contractus in explicitum, & implicitum. Explicitus est, cum intervenit conventio expressa, v.g. si quis dicat; vendo tibi hanc mercem pro tali pretio. Implicitus est, cum quis, puta Medicus, Advocatus, Episcopus, ex facto aliquo, seu munere, quod acceptat, obligationem iustitiae tacite suscipit ad præstanta ea, quæ munus spectant. Hic dicitur etiam quasi contractus, ut supra animadvertisimus.

Insuper contractus dividitur in illum qui dicitur

stria-

(a) L. naturalis, s. de praescriptis verbis.

stricti juris, in quo agitur in rigore verborum, quibus partes inter se esse expresse convenerunt; & difficilior receditur a tenore verborum; ut sunt mutuum, donatio, emphyteusis, &c. Et in illum, qui dicitur *bonae fidei*, in quo praeter id, quod conventum est, servari quoque debet latior interpretatio, prout æquum, & bonum Judici videtur: tales sunt emptio, locatio, depositum, commodatum, &c.

Ad hæc: Contractus alii substantialiter perficiuntur solo consensu quoquo modo declarato, ut emptio, locatio, societas, &c. Alii verbis, ut stipulatio, in qua olim requirebantur determinata verba, nunc vero hæc determinata verborum forma videtur obsoleta. Alii scriptura; vel quia contrahentes ab initio de scriptura convenerunt, nolentes, contractum esse firmum, donec conficeretur instrumentum; vel quia ex dispositione juris, aut consuetudinis scriptura requiritur ad substantiam contractus, ut in emphyteusi. Denique alii contractus perficiuntur traditione, ii nempe, qui dationem, seu factionem ipso nomine significant, ut donatio, depositum, mutuum, commodatum, omnisque contractus innominatus.

Celebris est etiam divisio contractus in nudum, & vestitum. Nudus parit obligationem naturalem tantum, non civilem, seu non confert actionem in foro externo. Hujusmodi sunt contractus innominati, antequam impleantur ex altera parte, vel juramento, aut stipulatione fermentur. Contractus vestitus obligationem naturalem, & civilem inducit. Vestiti autem sunt 1. contractus nominati, qui perficiuntur solo consensu. 2. stipulationes scriptura publica, aut privata confessæ. 3. contractus perficiendi traditione rei, postquam res tradita est. 4. contractus non vestiti, quibus adjicitur aliis contractus vestitus. 5. contractus vestiti privilegio juris,

ut

ut promissio acceptata solvendi debitum alterius.
6. contractus juramento firmati.

CAPUT I.

*De obligatione, quæ oritur ex
contractibus.*

Q. 1. **A**N omnis contractus obligationem pariat?
R. Obligatio, quæ definitur *vinculum*,
quo quis *se ligat ad aliquid prestandum, vel omit-*
tendum; alia dicitur *antidotalis* constituens debitum
morale, & benefactori beneficium rependens; alia
dicitur *legalis*, quia fundatur in lege præcipiente,
& legale debitum constituit. Hæc si profluit a ju-
stitia (nam oriri etiam potest ex præcepto aliarum
virtutum) triplex est, *naturalis* dumtaxat, ligans
solum in foro conscientiæ; *civilis* tantum, seu li-
gans in solo foro exteriori, ut si quis constituatur
debitor ex allegatis, & probatis, quamvis revera
debitor non sit; & *mixta*, seu *naturalis* simul, &
civilis ligans in utroque foro.

Dicendum est ergo, omnem contractum, qui sub-
stantialiter est validus, quamquam sit nudum pa-
ctum, obligationem patere in foro conscientiæ,
etiamsi alter contrahentium in foro externo con-
veniri non possit. Hæc obligatio oritur cum ex
fide alteri præstata, tum ex jure ab altero acqui-
sito. Hinc Sanctus Thomas (*a*): *Secundum honestatem*, inquit, *ex qualibet promissione homo homini obli-*
gatur, & hæc est obligatio juris naturalis. Sed ad
hoc, quod aliquis obligetur ex aliqua promissione obli-
gatione civili, quædam alia requiruntur. Excipiun-
tur

(a) 2. 2. q. 88. ar. 3. ad 1.

tur tamen contractus, qui perficiuntur scriptura; in iis enim vel suspenditur consensus, donec scriptura conficiatur; vel ex dispositione juris, aut ex consuetudine nulla inest vis, nisi scriptura perfecta sit.

Verum quia partes cedere possunt juri suo, idcirco tolli potest obligatio ex mutuo earum consensu, modo tamen contractus sit solubilis: sed alteri sine alterius consensu resilire non licet.

Quod si contractus non sint ipso facto irriti, sed irritandi, expectari debet sententia Judicis, qua irritentur, & donec ista accedit, obligant in conscientia, quia re ipsa sunt validi.

Denique spectanda est conventio, & intentio contrahentium, nec non consuetudines locorum, quae si rationabiles sint, procul dubio obligationem injiciunt.

Q. 2. An fictio contrahens teneatur stare contra dictum?

R. Ut contractus valeat, necessarius omnino est mutuus partium consensus, isque verus, non fictus; ideoque internus simul, & externus: nam verbis nulla inest vis obligandi, nisi prout exprimunt internum consensus, unde obligatio profluit. Cum ergo quis fictio contrahit, non tenetur quidem stare contractui ex vi ipsius contractus, qui nullus est in foro conscientiae; nihilominus nedum peccat lethaliiter contra justitiam, decipiendo proximum in re gravi, sed etiam tenetur ex justitia adimplere contractum fide initum, & praestare verum consensum; itemque impedire damna, si quae timeantur ex facta conventione, & resarcire illata: unusquisque enim tenetur ex lege justitiae indemnem servare illum, quem sua fictione læsit. In foro tamen externo, ubi de interioribus per exteriora judicium fertur, hujusmodi contractus habentur ut validi, nisi fictio probetur; idque ex presumptione, quod contrahens revera consenserit.

Q. 3.

Q. 3. An valeat contractus initus per dolum, vel errorem?

R. Dolus, vel error in contractibus potest esse,
1. circa substantiam rei, ut si vendatur plumbum
pro argento. 2. circa naturam ipsius contractus, ut
si quis putet vendere, quod alter putat donari. 3.
circa motivum substantiale contractus, quod redun-
dat in substantiam rei, ut si quis intendat contra-
here matrimonium cum filia Principis, quæcumque
illa sit, & contrahat cum filia plebei hominis. 4.
demum circa accidentia, sive rei, sive contractus,
sive motivi substantialis.

Rursus error, vel dolus potest esse, vel antecen-
dens, seu dans causam contractui, itaut si error,
aut dolus abesset, contractus nullo modo fieret; vel
concomitans, itaut, deprehenso errore, vel dolo,
contractus initus fuisset, quamquam sub alia con-
ditione, v. g. viliori pretio.

Denique error provenire potest, aut ab uno con-
trahente decepto, aut ab altero contrahente deci-
piente per dolum, aut ab aliquo tertio non con-
trahente.

Itaque si error, vel dolus sit circa substantiam
rei, aut circa naturam contractus, aut circa sub-
stantiale ejus motivum, contractus est nullus, cum
nullus sit errantis consensus (a); idque sive error sit
antecedens, sive sit concomitans: nam error con-
comitans, et si non causet involuntarium positive,
inducit tamen non voluntarium (b).

Quod si error, aut dolus sit circa accidentia,
seu qualitatem rei, vel contractus, aut motivi, &
contractum comitetur, ipsum non irritat, quia ad-
est

(a) L. 9. C. de jur. & facti ignorant.

(b) S. Thom. 1. 2. q. 3. ar. 8.

est consensus requisitus ad valorem contractus : unde contractus rescindi non potest a decepto , cum dolus non fuerit causa contractus. Nihilominus decepto competit actio adversus decipientem , ut hic solvat quanti interest , dolum non fuisse adhibitum . Si autem deceptio sit in pretio ultra dimidium , deceptus actionem habet ad rescindendum contractum . Si vero deceptus nolit contractum rescindere , is , qui decepit , debet reducere contractum ad æqualitatem . At si deceptio sit infra dimidium pretii , actio non datur in foro externo , ne multiplacentur lites : sed tamen constitui debet æqualitas ex lege conscientiæ .

Si dolus , vel error sit circa qualitatem rei , & contractum antecedat , seu causam det contractui , in primis certum est , contractum esse nullum , quoties qualitas rei moraliter transit in substantiam ipsius rei , idest , quoties aliquis exprefse , vel tacite non vult inire contractum , nisi res tali sit prædicta qualitate : nam tunc deficit absolute contrahendi voluntas . Si autem qualitas non transeat in substantiam rei , certum quoque est , contractum , si sit solubilis , posse rescindi pro voluntate decepti , quoties error dans causam contractui , provenit ex altero contrahente ; hunc vero teneri *in id , quod interest decepti non decipi* , hoc est restituere nedum rem , aut pretium , sed etiam compensare damna , si quæ secuta sint ; idque ante omnem Judicis sententiam : nam decipiens injuriam decepto irrogavit , proindeque tenetur restituere ipsum in integrum .

Cæterum , si error , aut dolus sit circa mere accidentia , vel circa causas allicientes , vel avocantes a contractu , communior sententia docet , contractum esse validum , etiamsi error , aut dolus det causam contractui , & sive proveniat ex altero contrahente , sive ex aliquo tertio , puta proxeneta : tunc enim extat consensus in objectum substantiale

con-

contractus , & contrahens actu vult idem objectum substantiale , licet , comperto errore , ipsum noluisset .

An vero contractus rescindi possit , si dolus , aut error circa mere accidentia proveniat ex aliquo tertio , inscio altero contrahente , disputant Auctores , quorum plerique negant , eo quod nulla ab altero contrahente irrogata fuerit injuria . Excipiunt tamen promissionem gratuitam , & liberalem donationem , quæ revocari possunt arbitrio decepti , quoties error , aut dolus , quæ causam dederunt , sunt circa notabilem quantitatem , vel qualitatem ; quia in hujusmodi pactis obligatio afficit tantummodo illum , qui promittit , aut donat ; quique præterea non censetur velle se saltem irrevocabiliter obligare cum notabili mutatione quantitatis , vel qualitatis rei promissæ , aut donataæ : nam , ut ait Sanctus Thomas (a) : *Ad hoc , quod homo teneatur facere , quod promisit , requiritur , quod omnia immutata permaneant* . Præterea excipiunt sponsalia , quæ iniri debent cum magna libertate , quia præparant ad matrimonium , cuius vinculum est perpetuum .

Q. 4. An metus irritet contractus?

R. Metus etiam gravis , & iniuste incussus ad finem extorquendi consensum , non irritat contractus , sive gratuitos , sive onerosos ; modo qui patitur metum interius consentiat , quamvis nolle contrahere , si metus abesset . Nam quæ fiunt ex metu , sunt voluntaria simpliciter (b) , cum corpori vis inferatur , non animo (c) . Excipiuntur tamen aliqui contractus , qui per leges irritantur , si fiant ex metu iniuste incusso ad finem extorquendi consensum . Sunt autem

(a) 2. 2. q. 110. ar. 3. ad 5. (b) S. Thom. 1. 2. q. 6. a. 6.

(c) L. si mulier 21. ff. quod metus causa .

autem 1. Matrimonium (*a*), cui ab aliquibus adduntur sponsalia, quæ matrimonium inchoant. 2. promissio, & solutio dotis (*b*). 3. professio Religiosa (*c*). 4. juxta plures, quodlibet votum simplex. 5. traditio, vel promissio rerum Ecclesiasticarum (*d*). 6. Quidam addunt jurisdictionem metu gravi extortam. 7. Insuper auctoritas tutorum metu extorta ad contrahendum cum pupillo; 8. eleccio.

Quamquam vero cæteri contractus ex metu initi, validi sint utroque jure, & naturali, & positivo, nihilominus ille, qui metum etiam respective gravem (hoc est relate ad fragilitatem personæ) inuste passus est ab altero contrahente, ut præstaret assensum, potest etiam ante Judicis sententiam, a contractu resilire, nisi contractus sit juramento firmatus: alter vero, qui metum incussum, debet cedere juri per contractum acquisito, & omnia damage resarcire, nulla etiam sententia accedere: insuper tenetur stare contraetui, si is, qui metum passus fuit, nolit contractum rescindere. Resciso autem contractu, is, qui injuriam pertulit, tenetur accepta restituere: nam metus non est titulus sufficiens ad illa retinenda.

Quod si res per metum inuste extorta, amplius non exstet penes illum, qui metum incussum, sed translata sit ad alium, is tenetur eam reddere metum passo, si iste repetat: non enim potuit res transire ad alium, nisi cum tali onere, utpote viatio metus affecta (*e*).

Sive autem metus incutiatur ab altero contra-

Tom. III.

Bb

hen-

(*a*) Can. veniens 2. ext. de Sponsal.

(*b*) L. si mulier, &c. si dos ff. quod metus causa.

(*c*) C. perlatum, ext. de his, quæ vi, metusque causa fiunt.

(*d*) C. pervenit, 1. ext. de jurejur.

(*e*) L. Item 14. ff. quod metus causa.

hente, sive ab aliquo alio tertio, perinde est: nam semper contractus rescindi potest ad nutum metum passi; siquidem *in hac actione non queritur, utrum is, qui convenitur, an aliis metum fecit: sufficit enim hoc docere, metum sibi illatum, vel vim* (a).

Q. 5. An valeat contractus sine solemnitatibus a jure praescriptis?

R. Solemnitates a jure praescriptae, seu ritus & conditiones adhibendae in contractibus ex praescripto legum, aliæ pertinent ad substantiam contractuum, ut praesentia Parochi, & testium in matrimonio; aliæ contractibus accidentunt ex lege præcipiente, ut denunciations matrimonio præmittendæ. Prioris generis censentur esse, quoties lex eas præcipit sub clausula irritante ipso facto: sunt vero posterioris generis, cum lex illas præcipit quidem, at contractum non irritat ipso facto, si conditiones illæ prætermissee fuerint.

Si ergo non serventur solemnitates spectantes ex praescripto leges ad substantiam contractus, is est irritus, nedum in foro externo, sed etiam in foro conscientiae. Habent enim Potestates sive Ecclesiasticae, sive laicæ jus decernendi ritus & formam, quibus iniri debeant contractus, ad præcavendas fraudes, ob bonum commune. Si autem non serventur solemnitates accidentales, contractus est validus.

Q. 6. An contractus invalidus firmetur juramento?

R. Jusjurandum potest duobus modis accedere ad contractum, 1. ut est simpliciter assertorium, puta, si jures, te sincere donare: & hoc pacto juramentum non magis firmat contractum, quam si non esset appositum; non enim adstringeris, nisi ad sincere donandum. 2. ut est promissorium, puta si jures con-

(a) L. item 14. 6. in hac act. ff. quod metus causa.

contractum a te numquam revocatum iri. De hoc jurejurando nunc quærimus.

Animadvertisendum est porro, hæc duo longe differre inter se, videlicet, juramentum esse validum, & firmare contractum. Nam si jusjurandum præcisè validum est, servari quidem debet ex motivo Religionis, sed relaxari potest absque præjudicio alterius; neque ullum jus acquirit illi, cui juratur; ideoque obligatio ejus non profluit a justitia, que proinde transit ad hæredes. At si jusjurandum firmet contractum, nedum obligat ex Religione, sed etiam ex justitia, unde illi, cui juratur, jus acquiritur, ita ut relaxari non possit ob damnum tertii; & obligatio adimplendi contractum transit ad hæredes.

Juramentum ergo appositum contractui invalido, servandum est, si servari potest absque peccato jurantis, nisi forte lex irritet contractum simul, & juramentum contractui adjunctum; quemadmodum irritat renunciationem Novitii etiam juramento firmatam ante professionem, nisi accedant certæ conditiones (*a*): & matrimonium metu contractum, etiam juratum (*b*). Cæterum, si lex juramentum non irritet, & aliunde ipsum servari potest absque peccato jurantis, servandum est, etiamsi præstitum fuerit ex metu (*c*), vel ipsi error, aut dolus circa mera accidentia rei, causam præbuerit; est enim voluntarium simpliciter. Quamobrem si quis jure latroni mortem minitanti, se ipsi daturum centum aureos, ad id tenetur vi juramenti. Si autem error sit circa rei substantiam, vel circa accidentia, quæ redundant in rei substantiam, jusjurandum, cui error causam dedit, nullum est ob defectum consensus.

(*a*) Conc. Trid. sess. 25. de Regul. cap. 16.

(*b*) C. significavit, ext. de eo, qui duxit.

(*c*) S. Thom. 2. 2. q. 89. ar. 7. ad 3.

Nullum quoque est jusjurandum appositum contractui illicito ex parte jurantis ; quia juramentum non est vinculum iniquitatis. Et hac ratione nullum est juramentum Clerici , quo renunciat foro , & generatim quodcumque juramentum appositum contractibus jure positivo irritis primario ob bonum commune ; etenim quod est oppositum bono communi , licite impleri non potest.

Devenientes modo ad firmitatem contractuum , qui alias invalidi essent , nisi juramento firmarentur ; has habeto regulas.

1. Regula . Contractus jure naturæ irritus , juramento minime firmatur : nam juramentum non supplet defectum in substantia contractus .

2. Regula . Contractus , quem jus positivum principaliter irritat ob bonum commune , juramento non firmatur ; quia & ipsum juramentum irritum est .

3. Regula . Contractus jure positivo rescindibilis in odium exigentis , aut acceptantis juramentum , juramento non firmatur : nam jura in pœnam firmati ejus obsistunt : unde promissio facta fœneratori solvendi usuras , juramento non firmatur , nec ullum jus fœneratori acquirit adversus jurantem .

4. Regula . Contractus , qui indicunt naturalem obligationem , sed tamen irritantur a jure positivo directe , ac principaliter in privatum favorem contrahentis , firmantur juramento . Cum enim contrahens per juramentum additum contractui , censeatur renunciare juri , quod habet a lege in sui comodum ; hinc contractus perinde obligat , ac si nulla lege positiva irritaretur : cumque idem contractus naturalem obligationem inducat , ideo dicitur juramento firmari . Hinc contractus pupillorum , & minorum , naturaliter obligantes , firmantur juramento .

5. Regula . Si lex ita irritet contractum , etiam in

in privatum commodum contrahentium, ut velit, contractum esse nullum, etiam in foro conscientiae, quantumcumque contrahentes velint; contractus juramento non firmatur, ut aliqui docent; aliis tamen videntur hujusmodi etiam contractus juramento firmari, cum propter rationem in praecedenti regula traditam, tum ob proxim communem Tribunalium, in quibus minores contrahentes sub juramento etiam de immobilibus, coguntur stare contractui perinde ac maiores.

C A P U T III.

De contractibus qualificatis.

COntractus qualificatus ille dicitur, cui adjungitur aliqua circumstantia, sive accidens. Sex recensentur hujusmodi contractus, scilicet, 1. contractus conditionalis. 2. contractus modalis. 3. contractus causal. 4. contractus demonstrativus. 5. contractus ad diem. 6. contractus alternativus.

§. 1.

De contractu conditionalis.

Q. 1. **A**N contractus conditionalis sit validus, & quomodo obliget?

R. Conditiones, quæ adjici possunt contractibus, aliæ referuntur ad tempus præteritum, aliæ ad præsens, aliæ ad futurum. Quæ referuntur ad futurum, possunt esse vel possibles, vel impossibilis, vel necessariæ, vel contingentes, vel generales omnium contractuum, vel speciales alicujus contractus, vel honestæ, vel turpes, vel natura sua indifferentes.

Quoad spectat conditiones de præterito, vel de

præsenti, cum ipsæ non sint veræ conditiones, nec suspendant consensum, contractus valet, si sunt impletæ tempore contractus; secus est irritus.

Conditiones necessario futuræ cognitæ ut tales, contractum non suspendunt; quia quod est necessario futurum, moraliter est præsens. Hinc qui sub conditione stipulatur, quæ omnimodo exstatura est, pure videtur stipulari (*a*); nisi forte contrahentes exprimant, velle se contractum suspendere, donec conditio impleatur.

Idem dicendum de conditionibus generalibus omnium contractuum; censentur enim non adiectæ; dummodo tamen contractibus.

Conditiones impossibilis irritant contractum, si sint cognitæ ut tales, quia consensus pendet ab eo, quod esse non potest. Idem dicendum, si conditiones sint de re illicita facienda, quia nemo obligari potest ad patrandum peccatum. Excipitur tamen matrimonium, in quo ex statuto Gregorii IX. (*b*) conditiones impossibilis, & turpes dummodo non sint contra substantiam matrimonii, habentur pro non adiectis. Verum hæc juris dispositio communiter intelligitur juxta præsumptionem fori externi, in quo præsumitur, tales conditiones serio adiectas non fuisse. In foro autem interno matrimonium esset irritum ob defectum consensus, si conditiones impossibilis revera ex animo adjicerentur. Ita vero non censentur adiectæ, si contrahentes habeant intentionem ineundi verum, & legitimum matrimonium. De conditionibus turpibus contra bona matrimonii, vide quæ diximus in Tract. de Sacram. Matrim.

Excipiuntur etiam ultimæ voluntates, hoc est, testamenta, legata, donationes mortis causa, & fidei-

(*a*) L. 9. ff. de novat.

(*b*) C. si conditiones, ext. de condit. &c.

deicommissa (*a*), in quibus conditiones impossibilis, & turpes habentur pro non adjectis, ex dispositione juris, idque etiam in foro interno, saltem ubi non constat de contraria intentione disponentis; quippe nemo censetur serio voluisse apponere suæ ultimæ voluntati illas conditiones, quæ actum suum redderet irritum.

Jam vero ad turpes conditiones quod attinet; advertendum est, turpes censi non solum illas conditiones, quæ continent peccatum, sed etiam illas, quæ nihil continent boni, & aliquod bonum impediunt, itemque illas, quæ licet præferant speciem boni, nihilominus in jure rejiciuntur tamquam turpes. In ultimis voluntatibus hæc conditio, *si non nubas*, habetur ut turpis, & tamquam non adjecta pro primis nuptiis tantum; in secundis autem nuptiis vim habet (*b*). Rejicitur etiam velut turpis hæc conditio, *si Religionem non ingrediari*s, quia excludit statum perfectiorem (*c*).

Denique conditiones de re futura contingentи honesta contractum suspendunt, donec ipsæ verificentur, quia eosque suspenditur consensus: requiritur tamen, ut ejusmodi conditiones additæ sint, vel ante contractum, vel in ipsa conventione, alias non suspendunt, nisi mutuo partium consensu, quoties contractus potest dissolvi. Contrahentes ergo tenentur expectare eventum conditionis, nec ante resilire possunt a contractu, nisi mutuo consensu: conditione vero purificata tenentur præstare, quod conventum est.

An autem purificata conditione requiratur novus consensus, ut contractus transeat de conditionato

(*a*) L. 1. 4. 5. 8. 9. ff. de condit. institutionum.

(*b*) Auth. cui relictum, C. de Indicta viduit.

(*c*) Auth. coll. 9. t. 6. novell. 123. de Sanct. Episc. &c. c. 37.

in absolutum? Resp. id non requiri, si prior consensus non fuerit retractatus, juxta illud (*a*): *Cum semel conditio exstitit, perinde habetur, ac si illo tempore, quo stipulatio interposita est, sine conditione facta esset.*

§. II.

De contractibus sub modo, & ad causam.

Q. I. **Q**uis sit contractus sub modo; & quomodo obliget?

R. Contractus sub modo dicitur ille, cui adjicitur aliquod onus implendum ab altero contrahente. Modus solet exprimi particulis *pro, ut, ne, &c.* ut si quis dicat: do tibi mille aureos pro restauranda domo. Contractus proprie modalis statim obligat, nec revocatur, si non servetur modus, nisi apposita sit clausula irritans, & tunc resolvitur in conditionatum. Ratio est, quia modus accedit contractui, ipsumque supponit jam perfectum: prius autem non dependet a posteriori. Verum qui acceptavit contractum sub modo, tenetur stricto jure modum servare, alioquin restituere debet, quanti interest, modum non servari, & potest cogi a Judice ad servandum modum, ac re accepta privari. Si quis vero dubitet, an contractus sit proprie modalis, debet expendere circumstantias: & si nihilominus dubium perseveret, contractus censendus est conditionatus.

Ex quibus sequitur, revocari non posse donationem factam Ecclesiæ sub modo, si modus non servetur: unde dicitur (*b*): *Cum alicui Ecclesiæ possessio*

(*a*) *I. potior. 11. ff. qui potiores. Q. Videamus.*

(*b*) *C. verum, ext. de condit. apposit.*

ſeffio quælibet, interpoſita conditione, donatur, a donatore donum poſtea revocari non poteſt, niſi forte taliſ conditione collatum, quod, ea ceſſante, debeat revocari.

Q. 2. Quis sit contractus ad causam; & quam obligationem pariat?

R. Contractus ſub cauſa dicitur ille, quo impoſtatur cauſa inducens ad contrahendum. Hæc duplex eſt, primaria, ſeu finalis, & ſecundaria, ſeu impellens. Si prior non ſuſiſtat, contractus eſt nullus, quia excluditur conſensus; ſi posterior deficiat, contractus eſt validus, quia habetur conſensus. In dubio autem cauſa præſumitur impellens, niſi colligatur oppoſitum ex circumſtantiis.

§. III.

*De Contractibus ad demonstrationem, ad diem,
et sub diſjunctione.*

Q. 1. **Q**uis sit contractus ad demonstrationem? & quæ ejus obligatio?

R. Demonstratio in contractu peculiariter fit ad indicandam rem, de qua diſponitur, aut personam, cui fit aliqua diſpositio. Contractus eſt validus, etiamſi error contingat in demonstratione, modo error verſetur dumtaxat circa accidentia, nec attingat ſubſtantiam rei, contractus, vel personæ. Hinc ſi quis dicat: dono tibi mille aureos, quos Titius mihi debet, donatio eſt nulla, ſi Titius nihil debeat. Si autem dicat, dono tibi equum, quem emi Romæ, valet donatio, etiamſi equus alio in loco emptus fuerit.

Q. 2. Quis sit contractus ad diem? & quomodo liget?

R. Contractus ad diem ille eſt; cujus impletioni præfigitur dies. Si præfiniſio ſit ad certam diem,

con-

contractus obligat statim, sed debitor non tenetur solvere ante diem designatum, quia adjectio temporis est in ejus favorem (a). Si præfinitio non sit ad certum diem, sed ad tempus incerto futurum, ut si quis dicat, dabo tibi centum aureos, quando consequar Beneficium, contractus resolvitur in conditionalem: unde ejus obligatio suspenditur usque ad eventum (b). Si tamen dies incertus adjiciatur promissione in favorem solius promissarii, ut si promittas alicui centum aureos, quando nubet, ne illos dissipet, si antea dones; promissio obligat statim; ejusque actio transit ad hæredes promissarii. Tandem in omnibus obligationibus, in quibus dies non ponitur, præsenti die debetur (c); hoc est, contractus obligat statim: unde debitor tenetur solvere statim ac commode potest, arbitrio viri prudentis. Si vero dies nude præfigitur, v. g. dies Paschatis, intelligi debet proxime futurus.

Q. 3. Quis sit contractus sub disjunctione, seu alternativus? & quæ ejus obligatio?

R. Contractus alternativus dicitur ille, in quo pactum initur sub particula disjunctiva, ut si quis dicat, salvam post annum, vel post biennium. Si res, de quibus alternativa datur, sint diversæ speciei, electoris est electio, & sufficit, alterum adimpleri (d), hoc est utraque manet obligata, sed disjunctive arbitrio promissoris: si tamen una pereat, altera debet dari, nec potest substitui pretium rei peremptæ, nisi res perierit culpa creditoris. Si autem disjunctione sit de rebus ejusdem speciei, v. g. si ita stipulatus fuero: decem, aut quidecim dabis; decem debentur. Item si ita: post annum, aut biennium dabis;
post

(a) L. eum, qui calendis, &c. quoties, ff. de verb. obligat.

(b) L. stipulatio ista, &c. inter incertam, ff. de verb. oblig.

(c) Reg. 14. ff. (d) Reg. 70. jur. in 6.

post biennium debentur. Quia in stipulationibus id servatur: ut quod minus esset, quodque longius, esse videatur in obligationem deductum (a). Si autem disjunctio spectet personas, ut si quis promittat decem Titio, vel Cajo, utriusque tenetur dare quinque (b).

C A P U T IV.

De personis, quæ possunt inire contractus.

Q. I. **Q**uinam possint valide contrahere?

R. Generalis esto regula. Nemo carens libera, & absoluta administratione suorum bonorum, habilis est ad contrahendum, quia administratio præcipue consistit in celebratione contractum: cæteri contrahere possunt, nisi prohibeantur speciali jure. Hinc Religiosi profissi non possunt jure naturali celebrare contractus, absque licentia sui Prælati, quia carent quocumque dominio. Similiter amentes, & furiosi, quia sunt incapaces administrationis. Item prodigi per sententiam declarati, seu quibus constituantur Curatores, sunt jure positivo inhabiles ad contrahendum, quia jus auserit ab ipsis omnem administrationem, eosque comparat furiosis (c). Præterea servi adstringi non possunt civiliter, tamen obligari possunt naturaliter, modo nullum præjudicium dominis creetur: possunt etiam contrahere cum dominis, & cum iis naturaliter se obligare. Idem esto judicium de Principe respectu subditorum, quamvis non possit civiliter cogi. Tutores, & Curatores prohibentur contrahere cum pupillis, aut minoribus, durante tutela, vel cura (d). Exequatores testamentorum non possunt ullo contractu accipere bona defuncti, nisi

Judi-

(a) L. rog. ft. de verb. oblig. (b) L. 4. C. de verb. & rer. signif.

(c) L. his, qui, §. 2. ft. de tut. & curat.

(d) L. non licet, §. de contrah. empt.

Judicis auctoritate , vel coequitorum consensu . Advocati , durante lite , prohibentur rem emere a suis clientibus , a iove contractu accipere (a) . Idem de Medico respectu infirmi , durante ægritudine (b) . Potissima autem difficultas est de filiisfamilias , de pupillis , de minoribus , & de uxoribus , de quibus modo dicemus .

Q. 2. An filiisfamilias , pupilli , & minores possint valide contrahere ?

R. Præmittendum est 1. infantem esse illum , qui nondum complevit septimum ætatis annum , sive sit mas , sive fœmina . Si vir nondum compleverit 14. ætatis annum , & fœmina 12. dicuntur impuberes . Vir completo 10. ætatis anno cum dimidio , dicitur pubertati proximus ; & similiter fœmina dicitur pubertati proxima , completo nono ætatis anno cum dimidio . Mas ab anno 14. completo , & fœmina ab anno 12. item completo usque ad 25. compleatum , dicuntur puberes , & minores ; post annum 25. ætatis suæ dicuntur majores .

Præmittendum est 2. filiumfamilias aliquem dici , quamdiu manet sub potestate patris , aut avi paterni , etiamsi compleverit annum 25. ætatis . Liberatur autem a patria potestate , 1. per mortem naturalem patris . 2. per mortem ejus civilem , puta per exilium ob delictum (c) . 3. si pater in hæresim incidat (d) . 4. si filius eligatur ad patriciam potestatem (e) , vel ad dignitatem Episcopalem , aut Cardinalitiam (f) . 5. per emancipationem filii factam coram Judice ; sed in hoc casu ex bonis maternis relinquitur patri medietas fructuum (g) . 6. si filius ,

vel

(a) L. quisquis , C. de postul. §. 2. (b) L. si Medicus , ff. extraord. cognit. (c) Inst. quibus modis jus patriæ potest. §. cum autem is. (d) C. quicumque , de hæreticis in 6. §. fin. (e) §. filius familias , Inst. cit. (f) Auth. Presbyteros , C. de Episc. & Cler. (g) L. si viva , C. de bonis maternis .

vel filia conjugio copuletur, ubi tamen consuetudine receptum est, ut per conjugium initum filii liberentur a patria potestate.

Præmittendum est 3. infantem, vel puberem, si definat esse sub patria potestate, ob emancipationem, vel deficiente patre, aut avo paterno, dici pupillum. Pupillo autem etiam invito (*a*) constituitur tutor, primario quidem pro regenda ejus persona, secundario pro administrandis ejus bonis. Minor i litem (*b*), & quidem primario propter administrationem bonorum, secundario ob regimen personæ.

His prænotatis, certum in primis est, infantem, & infantiae proximum, sive sit pupillus, sive filiusfamilias, non posse inire contractus; quia *infans*, & qui *infantiae proximus est*, non multum a furioso distant (*c*). Verum in proximis infantiae propter utilitatem eorum benignior juris interpretatio facta est, ut idem juris habeant, quod pubertati proximi (*d*). Unde hi videntur posse contrahere in sui commodum, cum id concedatur pupilli pubertati proximi (*e*), ut mox dicemus.

Filiifamilias puberes, aut pubertati proximi possunt contrahere de bonis castrenisbus, & quasi castrenisbus, & obligari naturaliter, & civiliter, etiam absque consensu patris; quia liberam administrationem habent hujusmodi bonorum. De profectitiis, & adventitiis nullo modo possunt obligari sine consensu patris, cum eorum bonorum administratio pertineat ad patrem. Si tamen sint impuberes, nec pubertati proximi, civiliter non obligantur etiam de bonis castrenisbus, & patre consentiente (*f*).

P.
-

(*a*) L. 2. ff. de tutelis. (*b*) Inst. de curat. 6. item invitī.

(*c*) &. sed quod, Inst. de inutile stipulat. (*d*) Ibid.

(*e*) & pupillus, ibid. (*f*) &. sed quod cit.

Pupillus pubertati proximus , & minor nec civi-
liter , nec naturaliter obligantur , etiam cum con-
fensu tutoris , vel curatoris , quoad distrahenda bona
immobilia , vel mobilia pretiosa , quæ servando ser-
vari possunt , hoc est , custodiri integra ultra trien-
nium (a) , nisi accedat Judicis decretum . Quoad
mobilia non pretiosa , seu quæ servando servari non
possunt ultra triennium , minor curatore carens ob-
ligatur naturaliter , & civiliter , quamquam , si læ-
datur , uti possit beneficio restitutionis in integrum
juxta infra difra dicenda (b) . Idem dicendum , si
pupillus pubertati proximus , & minor contrahant
de iisdem bonis mobilibus non pretiosis cum auto-
ritate tutoris , vel curatoris (c) . Excipe , si pupillus
contrahat cum tute , sic enim non obligatur , nisi
in quantum factus est locupletior (d) .

An vero pupillus pubertati proximus , & minor
habens curatorem , contrahentes de bonis mobili-
bus , quæ servando servari non possunt , absque tu-
toris , vel curatoris consensu , naturaliter obligen-
tur ; Auctores discrepant . Quidam affirmant , eo
quod in l. 21. ff. ad legem Falcidiam statuatur : si
pupillus , cui sine tute auctore decem matua data sunt ,
legatum a creditore meruerit sub hac conditione , si de-
cem , quæ acceperit , heredi reddiderit : una numeratio-
ne & implet conditionem , & liberatur naturali obliga-
tione . Igitur pupillus sine consensu tutoris naturaliter
obligabatur . Alii contra opponunt §. fin. Inst.
quibus alienare licet , ubi dicitur : Neque pupillum ,
neque pupillam , rem ullam sine tutoris auctoritate alie-
nare posse nec solvere sine auctoritate tutoris posse :
quia id , quod solvunt , non fit accipientis : cum scilicet
nul-

(a) L. lex 22. C. de administ. tutor.

(b) L. si curatorem , C. l. a. t. 22.

(c) L. impuberis , ff. de aucto. & consensu tutorum .

(d) L. pupillus ibidem .

nullius rei alienatio sine tutoris auctoritate concessa sit.
 Quod tamen prioris sententiae patroni intelligunt
 de obligatione civili, & efficaci; nam tutor, & cu-
 rator possunt contractum rescindere.

Ut ut sit, in primis certum est ex communi sen-
 tentia, obligationem naturalem, si quæ juxta prior-
 em sententiam, a pupillo, minoreve contrahatur,
 firmam non esse (nisi contractum juramento firma-
 verit) quia tolli potest beneficio restitutionis in in-
 tegrum; itaut pupillus, & minor possint opponere
 exceptionem ex beneficio juris civilis ipsos non
 compellentur ad solutionem, eisque tribuentis jus
 repetendi solutum; quo sane casu creditor teneretur
 restituere. Vide infra de restitutione in integrum.

Secundo certum est, pupillum puberem, aut pu-
 bertati proximum, & minorem, qui habet curato-
 rem, contrahere posse in sui commodum absque
 consensu tutoris, vel curatoris, itaut ipsi civiliter
 non obligentur; contra vero obligent contrahentes
 ætate majorem, ut stet contractui (a): unde pupil-
 lus, qui pannum emit, potest cogere mercatorem,
 ut pannum tradat pretio constituto, sed civiliter
 non potest cogi, ut solvat premium constitutum.

Tertio certum est, eosdem pupillum, & mino-
 rem contrahentes absque consensu tutoris, vel cu-
 ratoris, obligari naturaliter, 1. si ex contractu facti
 sint ditiores; sic enim tenentur solvere id, in quo
 facti sunt ditiores. 2. si res periit ipsorum dolo.
 3. si minor Religionem profiteatur, potest omnia
 sua bona donare absque auctoritate curatoris, atque
 etiam sine beneficio restitutionis in integrum, quia
 civiliter moritur. 4. si pupillus, vel minor contra-
 heterunt mala fide, quia fraus, & dolus nemini pa-
 tre-

(a) L. obligari, ff. de consensu, & auctor. tutor.

trocinantur : censemur autem mala fide contraxisse , si ille , cum quo contractum inierunt , ab ipsis petat , ut obtineant consensum tutoris , vel curatoris , ipsis vero recusent : unde mercator v. g. potest recusare impletionem contractus , donec illi consensum obtineant . 5. certum videtur , eosdem naturaliter obligari , si alter contrahens bona fide in ipso-rum commodum contraxit ; nam juris privilegium ipsis conceditur non in pœnam creditorum , si bona fide egerint , sed in favorem ætatis , ne aliquod damnum patiatur .

Q. 3. An filiisfamilias , pupillis , & minoribus obligatio aliqua ex mutuo contrahatur (*a*)?

R. Ex Senatusconsulto *Macedoniano l. 1. ff. l. 14. t. 6.* decernitur , ne ulla ex mutuo filiisfamilias (idem ad pupilos , & minores extenditur , si pecuniam mutuo accipient sine consensu tutoris , vel cu-
ratoris . *L. pupillus 59. ff. de act. & obligat. l. 44. t. 7.*) obligatio contraheretur , si pecuniam mutuo acciperent sine consensu patris . Quia in specie nulla creditori actio permittitur , nisi filiusfamilias castrrense peculium habeat ; tunc enim usque ad quantita-tem castrensis peculii obligatur ex mutuo accepto .

Sunt tamen aliqui casus , in quibus tale jus fi-
liisfamilias nec civiliter , nec naturaliter suffragatur .
1. si patris mandato , aut permissu creditor filio mutuam pecuniam dedit (*b*) . 2. si mutuum illi da-
tum fuerit exercenti mercaturam nomine patris ,
vel suo , si pater illum commercio suo proposuit ,
aut peculiare commercium exercere passus est . (*c*) 3. si
acceptam pecuniam in rem patris verterit , et si non
eo fine a principio acceperit (*d*) . 4. si ex mutuo
fa-

(*a*) Vide Natalem epist. 59.

(*b*) *L. si permittente, C. ad Senatusconf. Maced.*

(*c*) Ibid.

(*d*) Coll. ex *l. item si filiusfamil. ff. ad Senatusconf. Maced.*

factus sit ditior, vel mutuum in ejus utilitatem expensum sit. 5. exceptio juris est tantum in mutuo pecuniario, non in aliis rebus, nisi *fraus Senatus-consulto adhibita sit a creditore*, puta frumento, vel vino, vel oleo mutuo dato, ut *bis distractis fructibus*, uteretur pecunia (a). 6. si filio præsertim longe agenti a patre, & in necessitate constituto datum est mutuo, quod pater subministrare solebat, vel tenebatur (b). 7. si filius familias communiter pater familias credebatur (c). 8. si qui juvari poterant juris privilegio, sponte solverint, sive filius, sive pater, sive fidejussor, non possunt solutum repetere (d). 9. si filius familias post emancipationem debitum quoquo modo agnoverit (e). 10. si filius familias sit miles, licet minor, quia *ex præsumptione omnis miles non creditur in aliud quicquam pecuniam accipere*, & *expendere*, nisi *in causas castrenses* (f). 11. si bona fide mutuum dederit creditor, quia obligatio jure naturali contracta est: secus, si bona fides defuerit, quia lex in *pœnam* creditorum nullam inde obligationem contrahi voluit, ut parentibus, familiis, communique bono consuleret.

Q. 4. An uxor contrahere possit absque mariti consensu?

R. De bonis dotalibus, & communibus uxor contrahere non potest, viro inconsulta, & rationabiliter invito, quia illorum bonorum administratio est penes virum. Excipe, si vir sit absens, vel mentecaptus, aut si tacite, vel expresse approbet contractus uxoris. De bonis autem paraphernalibus, vel quasi paraphernalibus uxor potest libere con-

Tom. III.

Cc

tra-

(a) L. ead. q. 3. mutui donat. (b) q. 13. quod dicitur, ibid.

(c) L. si quis 3. ibid. (d) L. sed si paterfam. 9. ibid.

(e) L. Zenodorus, C. ad Senatusconf. Maced.

(f) L. 6 filiusfam. ibid.

trahere, etiam inconsulto viro, quia eorum administratio est penes ipsam.

Q. 3. An mulier, quæ pro marito, vel alio fidejussit, solvere teneatur (*a*)?

R. Ex Senatusconsulto Vellejano (*b*) mulieres pro aliis fidejubere prohibentur; quia sicut moribus civilia officia adempta sunt fæminis, & pleraque ipso jure non valent: ita multo magis adimendum eis fuit id officium, in quo non sola opera, nudumque ministerium earum versaretur, sed etiam periculum rei familiaris. Excipiuntur tamen aliqui casus, in quibus mulier fidejubens obligata manet. 1. in favorem dotis non solum propriæ aliæ, sed etiam extraneæ personæ (*c*). 2. si privilegio Vellejano mulier sciens prudens renunciaverit (*d*). 3. si acceperit pretium ad fidejubendum (*e*). 4. si decipiendi animo, vel cum sciret, se non teneri, mulier pro aliquo intercesserit (*f*). Hinc si vir sciente, & connivente uxore, rem ejus creditori suo quasi propriam obligaverit, uxor solvere tenetur; si tamen creditor ab initio noverat, rem esse uxorius, petitione summoveri poterit a muliere juris privilegio (*g*). 5. si post biennium ab intercessione, vel cautione, mulier pro eadem causa secundo fidejubeat, vel novo pignore, aut novo sponsionis, sive obligationis instrumento tradito, censemur obligata (*b*). 6. si fidejussio in ejus utilitatem vertatur (*i*). 7. si mater, cum filiorum suorum patrimonium gereret, tutoribus eorum securitatem promiserit, & fidejussorem præstiterit, vel pignora dederit (*k*). 8. si mulier pro creditore suo alii se obligaverit, vel ab eo se, aut debitorem suum delegari passa est (*l*). 9. si

(*a*) Vide Nat. Epist. 58. (*b*) L. Vellejano, & l. & primo, ff. ad Senatuscons. Vellej. (*c*) L. si dotare, C. cod. t. (*d*) L. si mulier 32. §. 4. ff. cod. t. (*e*) L. antiquæ, C. cod. t.

(*f*) L. si decipiendi, ff. cod. t. (*g*) L. si sine, C. cod. t.

(*h*) L. si mulier, ibid. (*i*) L. si mater, C. cod. t.

(*j*) Ibid. (*l*) L. frustra, ibid.

9. si pro alio , cum non teneretur , pecuniam sol-
venit , eam repetere non potest (a). Gallicano jure
mulier obligatur , si pro liberando e carcere marito
fidejussicerit . Cætera vide apud Jurisconsultos .

C A P U T V.

De restitutione in integrum .

Q. **U**id sit restitu*i* in integrum? & qui hoc
privilegio fruantur?

R. Restitutio in integrum definitur : prioris juris
redintegratio , & in pristinum statum repositio Judicis
auctoritate facta . Hoc privilegium non conceditur
nisi a Principe , vel a Judice , & causa cognita , &
probata lœsione ; ideoque nemo potest ipso uti pro-
pria auctoritate .

Idem privilegium proprie institutum est in favo-
rem minorum , si ante 25. ætatis annum comple-
tum , notabiliter lœsi fuerint per contractum validum ,
spectata juris forma ; sive etiam per senten-
tiam , aut per præscriptionem (b) . Locum vero non
obtinet , 1. si lœsio non sit notabilis : nam leve da-
mnum pro nihilo reputatur . 2. si contractus ab ini-
tio fuerit nullus ; tunc enim damnum reparatur so-
la conditione indebiti ; quia remedium extraordi-
narium , cuiusmodi est restitutio in integrum , tunc
solum adhibetur , cum damnum reparari non potest
communi auxilio (c) . 3. si minor non fuerit lœsus
vi contractus , quia prudenter ipsum celebravit , et si
postea damnum passus sit , modo tamen circumven-
tus non fuerit ab altero contrahente . 4. si contra-
ctus juramento firmatus fuerit (d) . 5. si minor ma-

C c 2 jor

(a) L. mulieribus , ibid. (b) L. minoribus , ff. de minoribus .

(c) L. in causâ 16. ff. de minor.

(d) Auth. sacramenta , C. ff. adversus vendit .

for factus contractum habuerit ratum (a). 6. si auctoritate Judicis sit dispensatus in ætate, & tamquam major habeatur (b). 7. si contractus celebratus sit juxta formam juris, & æquitatis regulas, ut si minor mercem, quam potest distrahere, vendat justo pretio.

Jam vero minores uti possunt beneficio restitutio-nis in integrum, 1. si fuerint notabiliter læsi ex venditione, vel quia rem vendiderunt, quam alienare non poterant, vel quia minoris vendiderunt, etiam infra dimidium justi pretii; & agere possunt contra quemlibet possessorem ad eam recuperandam, 2. si læsi fuerint in mutuo accepto, juxta ea, quæ paulo ante diximus. 3. si debitor pecuniam minori solvat, non interveniente auctoritate curatoris, solutione est civiliter nulla, & debitor adstringi potest a Judice ad novam solutionem, modo prior solutio conversa non fuerit in utilitatem minoris. 4. si minor læsus fuerit ex quasi contractu, puta, quia, etiam ex consensu curatoris repudiavit hæreditatem lucrosam, vel acceptavit damnosam, aut deteriorem partem elegit; re tamen integra manente: nam si hæreditas damnsa acceptata fuerit ab alio quopiam, atque ab ipso melior facta, vel si hæreditas lucrosa deterior facta fuerit ob casus incidentes, non remanet locus restitutioni in integrum. 5. si minores ex contractu gratuito, puta, donatione facta absque rationabili causa, fuerint notabiliter læsi. 6. minoribus conceditur jus restitutio-nis in integrum adversus præscriptionem a die præscriptio-nis completæ, & iisdem minoribus cognitæ: quo beneficio majores minime gaudent, nisi probent, per ipsos non stetisse, quominus præscriptio inter-rumperetur litis contestatione.

Hoc

(a) L. 3. si major factus.

(b) L. 7. C. de his, qui veniam atat,

Hoc idem privilegium restitutionis in integrum extenditur in jure ad Ecclesias, Loca pia, Republicas, Communitates, Universitates studiorum, & Principes quoad alienanda bona Principatus: & nonnumquam conceditur etiam rudibus, qui jura ignorant.

Porro idem privilegium durat pro majoribus quadriennio post completum annum 25. suæ ætatis (a); pro Ecclesiis vero quatuor annis integris post contractum celebratum (b). Quandoque extenditur ultra quadriennium, scilicet pro minoribus, si militiam exerceant, vel absint Reipublicæ causa, vel fuerint legitime impediti. Pro aliis, si læsio fuerit enormous, aut aliud impedimentum legitime obstaverit, ne restitutio peteretur intra quadriennium. Speciedæ sunt tamen leges municipales Regorum.

S E C T I O VI.

De Contractibus in specie.

C A P U T I.

De Contractibus gratuitis.

A R T I C U L U S I.

De Promissione.

Q. I. **Q**uid sit promissio?

R. Promissio definitur, liberalis, delibera-ta, & spontanea fidei datio exterius facta, & acceptata, de re possibili, & licita. Dicitur liberalis, ut secernatur a promissione onerosa, quæ in cæteris contractibus reperiri potest: hic autem loquimur

Cc 3

de

(a) L. ult. C. de temp. in integ. restit.

(b) C. i. de restit. in integrum, in 6.

de promissione gratuita, quæ nihil habet oneris ex parte promissarii. Dicitur *deliberata*, & *spontanea*, quia promissio indeliberata, vel fraude, aut metu extorta, gratuita non est, ideoque obligationem non parit saltem irrevocabiliter, & firmiter, nisi sit jurata (a). Dicitur *fidei datio*, ut discriminetur a simplici proposito, quod alteri non obligat, & a donatione, quæ est *datio rei*. Dicitur *exterius facta*; quia, ut docet S. Thomas (b), *promissio, quæ ab homine fit homini, non potest fieri, nisi per verba, vel quæcumque exteriora signa: Deo autem potest fieri promissio per solam interiorem cogitationem*. Dicitur *ab altero acceptata*; quia, cum sit contractus, perfici non potest, nisi duorum consensu. Dicitur tandem, *de re possibile, & licita*; quia ad impossibile, aut illicitum nulla est obligatio.

Hinc sequitur, promissioni vim nullam ex justitia inesse, 1. si quis promittat, non intendens fidem dare, sed indicare solum animi sui propositum. 2. si quis coacte promittat: nam promissio debet esse spontanea, & aliunde *ille, qui vim intulit, hoc meretur, ut ei promissum non servetur* (c). 3. si promissio neque expresse, neque tacite sit acceptata a promissario, aut ab alio ejus vices legitime gerente, ut est pater respectu filii, tutor respectu pupilli &c. Promissiones tamen, quæ fiunt Civitati, vel Ecclesiæ, vel ad pias causas, acceptantur a Republica, vel Ecclesia, unde non possunt pro libito revocari (d). Idem dic, si promissio fiat alicui ob honorem Dei, quia in ipsa includitur votum, quo statim obligat, & tunc ne quidem necesse est, ut promissio exterius significetur.

Tandem licite promissio illicita ex parte objecti, nulla

(a) C. debitores, ext. de jurejur. (b) 2. 2. q. 88. 2. 1.

(c) Ibid. q. 89. 2. 7. ad 3.

(d) L. ut inter, C. de sacrosanct. Eccles.

nulla sit ; si tamen promissio sit illicita quoad modum , sed de re licita , valida est : unde si filius promittat matrimonium , inconsultis parentibus , valide , quamvis illicite promittit .

Q. 2. An promissio gravem obligationem inducat ?

R. Vera promissio in re gravi , & a promissario acceptata , gravem certe obligationem inducit , quam qui violat , jus naturæ , ac gentium violat frangendo fidem , quæ humanæ societatis fundamentum , ac vinculum est , & adversus iustitiam peccat . Hinc **C. qualiter , ext. de pactis** dicitur : *Studiose agendum est , ut ea , quæ promittuntur , opere compleantur . Excepte aliquos casus , quos vide supra in Tract. de vi-*

tiis capital. c. 2. a. 2. §. 2. q. 2.

Q. 3. An simplex promissum , seu pactum nudum (ut vocant) actionem pariat ?

R. Etsi hujusmodi pactum non pariat actionem secundum leges civiles ; nec aliquis in jus vocari possit , quando non intervenit stipulatio , nec contraclusus aliquis actualis nominatus , nec chirographum , aut litterarum solemnitas , quæ pactum vestitum efficiunt : tamen ex nudo pacto , & promisso actionem etiam oriri , secundum Canones , communis est , & verior juris Canonici Peritorum opinio (a) . Ut ut est , non servans pactum legitimum in re gravi , peccati lethalis reus est , quia potest excommunicari (b) .

A R T I C U L U S II.

De Donatione .

Q. 1. **U**id sit donatio ? & quotuplex ?

R. Donatio , quæ inter contractus gratuitos primatum tenet , est spontanea , & deliberata doni

Cc 4

gra-

(a) Vide Fagnan. in C. Antigonus , ext. de pactis .

(b) Cit. cap.

gratuiti collatio, seu *datio liberalis*. Donum autem dici solet *gratuum*, vel *fride*, cum nempe nullum debitum, ne *gratitudinis* quidem, in donante *præsupponit*; vel *late*, quia licet excludat debitum *justitiæ*, non tamen excludit debitum *gratitudinis*. Hoc donum dicitur *antidorale*, seu *remuneratorium*.

Hinc *donatio* dividitur 1. in *pure gratuitam*, & *antidoralem*. 2. autem dividitur in *realem*, quam scilicet comitatur *traditio rei*: atque haec confert *ius in re*; & in *verbalem*, seu quam *traditio rei* non comitatur, quæque propterea solum confert *ius ad rem*, *strictius* quidem, quam *nuda promissio*. 3. dividitur in *absolutam*, & *conditionatam*. 4. in *donationem inter vivos*, & in *donationem causa mortis*.

Q. 2. Quis possit donare?

R. Jure communi is solum donare potest, qui liberum dominium, liberamque administrationem suorum bonorum habet. Hinc irrita est *donatio*, si quæ fiat ab infantibus, amentibus &c. Pupilli etiam ac minores absque tutoris, vel *curatoris consensu*; *uxor*, *inſcio marito*; *filiifamilias*, *invitis parentibus*, donare non valent, nisi ex iis bonis, quorum liberam administrationem habent. Religiosi professi; quia omni dominio carent, nihil donare possunt, absque rationabili *Prælati licentia*, de rebus sibi ad usum concessis, vel quoquo titulo obvenientibus: *Prælatus* vero nec donandi licentiam subditis dare, nec *donationes facere* ipse potest, nisi ad *præscripta legum sui Ordinis*, in primisque servatis *Constitutionibus Clementis VIII. & Urbani VIII.* quas intra fuse expendemus, ubi de voto paupertatis Religiosorum sermo erit.

Quidam recensentur casus, in quibus aliquando jure civili interdicta est *donatio iis etiam*, qui aliiunde dominium, & administrationem habent suum

rum honorum. Ac 1. quidem Personæ Ecclesiasticae donare non possunt bona Ecclesiæ immobilia, vel mobilia prætiosa, quæ servando servari possunt, nisi obtenta prius legitima licentia (a). 2. Inhibetur Novitiis, ne bona sua Monasterio, aut alteri cuiquam donent donatione inter vivos, nisi intra duos menses ante professionem (b). 3. Prohibetur fideicommissarius quidquam de fideicommisso donare. 4. Irritatur donatio inter vivos a marito facta uxori, vel marito ab uxore (c), modo tamen sit pure liberalis, & simplex: nam si remuneratoria sit, aut juramento firmata, non est irrita; quemadmodum neque irrita est, si donator ex donatione non fiat pauperior, nec donatarius ditior; vel si uxor donet marito, ut aliquam dignitatem assequatur; vel si donatio mutua est inter conjuges, qui sibi invicem donant, ut superstes donatione fruatur (d). 5. A jure irritatur donatio, si quam pater faciat filio non emancipato (e): si autem donatio patris sit remuneratoria, aut juramentum accedit, vel fiat filio proficiscenti ad bellum, vel ratione studii, vel non revocetur ante mortem patris, aut ante filii emancipationem, valida est.

Ipsa autem jure naturæ nulla est donatio, si ejus causa inferatur alteri damnum, puta si donatio fiat in fraudem creditorum; quo casu donatarius rem sibi, aut pecuniam donatam tenetur statim restituere ante sententiam Judicis, quia nemo potest cum alterius damno, vel injuria ditescere.

Q. 3:

(a) Const. Ambitiosa. (b) Conc. Trid. Sess. 25. de Regul. c. 16.

(c) L. 1. 2. & 3. ff. de donation. inter virum, & uxorem;

(d) L. quod autem; 9. si vir, ibid.

(e) L. cum de bonis, C. de donati.

Q. 3. Quantum quis donare valeat?

R. Si quis donaret omnia sua bona præsentia, & futura donatione inter vivos, donatio esset irrita, nisi fieret in causas pias (*a*), aut juramento firmaretur. Si tamen ille reservaret sibi fructus bonorum, ut de iis testari posset, donatio valeret.

Nulla quoque est donatio (idem dicendum de remissione debiti liquidi) excedens quingentos solidos aureos, nisi insinuetur Judici loci, in quo fit, id est, nisi in publicas tabulas instrumentum donationis referatur. Est tamen invalida quoad excessum dumtaxat, nisi insinuetur (*b*). Verum quoad quantitatem rei donatæ, & solemnitatem insinuationis, consulendæ sunt leges, & consuetudines peculiares locorum.

Q. 4. An donatio revocari possit?

R. Donatio causa mortis, de qua inferius, est revocabilis ad nutum donantis (*c*). At donatio inter vivos, si est absoluta, revocari non potest (*d*), nisi tantum in aliquibus casibus: ac 1. ex ingratitudine donatarii, videlicet, si in donantem impias manus injecerit, vel ei atroces irrogaverit injurias; si grave damnum ipsi in rebus, aut vitæ periculum attulerit; si donationis conditiones non impleat. In his tamen casibus donatarius non tenetur ante sententiam Judicis restituere donum; & nonnisi post Judicis sententiam revocanda est donatio (*e*). 2. revocari potest donatio inter vivos, si proles insperato nascatur, post donatam magnam bonorum partem (*f*). 3. revocabilis est donatio inofficiose, hoc est facta contra officium pietatis debitæ filiis a parentibus, vel parentibus a filiis, veluti si filii ob dona-

(*a*) L. sancimus, C. de donat. (*b*) L. si quis ibid.

(*c*) L. 16. ff. de mort. causa donat. (*d*) L. ult. C. de revoc. donat.

(*e*) Ibid. (*f*) L. si umquam, C. de revocandis donat.

donationem legitima privarentur (*a*). Hæc donatio revocari omnino potest, si facta sit in fraudem extraneo : si autem facta sit ad pias causas , aut a liis, filiis, & descendantibus, potest rescindi quoad partem qua filii fraudantur ; post mortem tamen donatoris, quia filii nonnisi post mortem patris acquirunt jus ad legitimam.

ARTICULUS III.

De ultimis voluntatibus.

§. I.

*De Testamentis (*b*).*

Q. I. **Q**uid sit testamentum?

R. Testamentum definitur: *Voluntatis nostræ justa sententia de eo, quod quis vult post mortem suam fieri, cum hæreditis institutione.* Porro hæres alius est universalis, alius particularis; alius necessarius, alius non necessarius ; alius ex testamento, alius ab intestato .

Hæres universalis, qui dicitur etiam *ex aße*, est, qui instituitur ad succedendum in omnibus bonis , ac juribus defuncti , unde subdit universa ejus onera, & debita realia. Hæres vero particularis est ille , qui instituitur ad succedendum alicui parti indeterminatae hæreditatis, isque tenetur subire onera defuncti pro rata partis: si autem pars sit determinata, puta domus, non censemur hæres, sed legatarius.

Hæres necessarius ille est, quem testator institueret tenetur in portione legitima , cujusmodi sunt ascendentibus, & descendentes legitimi , nisi sint juste exhæredati . Legitima autem portio ascendentium , si de-

(*a*) L. i. C. de inofficio donat.

(*b*) De testamentis agit Auctor in Tract. de Extr. Und. c. 6.

si desint descendentes, est semper tertia pars hæreditatis: quoad descendentes vero, si proles non sint plus quam quatuor, est tertia pars hæreditatis, quæ uni obveniret ab intestato: si autem proles sint plus quam quatuor, est medietas portionis hæreditariæ (a). Hæres non necessarius est, quem testator non tenetur instituere ex justitia, etiam in portione legitima; cujusmodi sunt omnes collaterales, ipsi etiam fratres, & sorores.

Hæres ab intestato dicitur ille, qui succedit in bona defuncti, a quo nulla dispositio facta fuit, vel facta fuit invalide. Hic autem ordo statuitur inter hæredes ab intestato. 1. sunt filii, & filiæ legitimæ pro æquali portione: iisque defunctis, succedunt nepotes, non pro æquali portione, sed pro ea tantum parte, quam alteruter eorum parens haberet, si in vivis degeret (b). 2. Si desint descendentes, succedunt ascendentibus, pater, & mater, & eorum loco avus, & avia, cum fratribus, & sororibus defuncti ex utroque parente ipsi conjunctis (c). 3. Succedunt collaterales, scilicet fratres, & sorores ex utroque parente conjuncti, qui succedunt pro æquali portione; nec non eorum filii, qui succedunt pro illa tantum parte, quæ obtigisset alterutri eorum parenti (d). Horum loco succedunt fratres, & sorores defuncti ex alterutro solum parente ipsi conjuncti, eorumque filii, qui præferuntur patruis defuncti: succedunt autem in bonis provenientibus ex patre, si sint conjuncti ex patre; in bonis vero provenientibus ex matre, si sint conjuncti ex matre: in cæteris æqualiter omnes (e). Deinde succedunt in æqualibus portionibus propinquiores collaterales usque

(a) Auth. novissima, de inoffic. testam.

(b) Novell. 118. coll. 9. c. 1. (c) Ibid. c. 2. (d) Ibid. c. 3.

(e) Glos. in Auth. itaque, C. Communia, de success.

que decimum gradum civilem , hoc est , usque ad quintum gradum canonicum , modo sint in æquali gradu (a) : qua in re vide quæ diximus in tract. de Matrim. agentes de cognatione . His omnibus defientibus venit vir ad successionem uxoris , & uxor ad successionem viri (b) Postremo succedit Fiscus (c) . Et hæc quidem de jure communi .

Q. 2. Quotuplex fit testamentum?

R. Testamentum duplex est , solemne , & privilegiatum . Solemne dicitur illud , quod vestitur omnibus solemnitatibus a jure præscriptis . Et rursus duplex est , scriptum , seu clausum , & apertum , seu nuncupativum . Testamentum clausum est , quod exhibetur obseratum testibus a jure præscriptis simul præsentibus , testatorem videntibus , & audiensibus ipsum asserentem , illud esse suum testamentum , & singulis subscriptione , & sigillo suo , vel alterius , successive , eodem tempore testamentum munientibus (d) . Testamentum nuncupativum est , quod sit coram testibus requisitis a jure , videntibus testatorem , ejusque ultimam voluntatem audientibus . Ad hujus autem testamenti substantiam scriptio non requiritur , saltem ex jure communi .

Testamentum privilegiatum non pendet quoad sui valorem ab omnibus solemnitatibus a jure statutis . Hujusmodi est 1. testamentum militis . 2. testamentum Principi exhibitum . 3. testamentum rusticorum . 4. testamentum , quod fit tempore pestis . 5. testamentum favore filiorum . 6. testamentum ad pias causas .

Q. 3. Quæ solemnitates requirantur ad testamenti valorem ,

R. Ex

(a) Auth. post fratres , C. de legitimis hered.

(b) L. unica C. unde vir , & uxor .

(c) L. 1. C. de bonis vacantib.

(d) L. Hac consultissima , C. de testam.

R. Ex jure communi requiritur 1. ut instituatur directe hæres (a). 2. ut non prætermittantur filii etiam posthumi, modo non sint juste exhäuserati (b). 3. ut testamento adsint simul septem testes, qui sint masculi, puberes, liberi, ad id vocati, & qui non sint ad id inepti, vel suspecti (c). Quamobrem excluduntur fœminæ, impuberis, surdi, muti, cæci, amentes, prodigi, jure infames; qui sunt sub potestate testatoris; hæres, & qui sunt in ejus potestate; pater testatoris, & pater hæredis, qui eorum potestati subsunt: legatarius autem jure communi non excluditur. Illi autem testes debent, pro diversitate testamenti scripti, vel nuncupativi, ea præstare, quæ descripsimus in præcedenti quæsito. Requiritur etiam, si testamentum sit clausum, ut testator ipsum deforis inscribat, vel si non possit, pro eo id faciat octavus testis coram aliis septem, qui postea subscribant (d).

Quoad institutionem hæredis, alicubi valet testamentum, etiamsi hæres in ipso minime instituatur. In testamento clauso, si testator illud alteri scribendum commiserit, isque se hæredem, vel legarium instituerit, testamentum non valet quoad id, quod ejus interest, nisi hanc esse suam voluntatem testator declareret; validum tamen esset testamentum in foro conscientiæ, si quis id faceret bona fide ex voluntate testatoris.

Ad testamenta privilegiata quod spectat: in primis valet testamentum militum in aciem prodeuntium, si voluntatem suam quovis modo scripto, vel voce declarant, idque probari possit per duos testes, etiam non rogatos, five viros, five fœminas. At testamentum non valet nisi per annum integrum, post-

(a) L. 14. Ibid.

(b) L. maximum, C. de liberis præteritis, vel exhäuseratis.

(c) L. Hac consułtiss. cit. (d) Ibid.

postquam e prælio redierint (a) : imo si ejiciantur ob aliquod delictum, illico testamentum fit irritum (b). 2. Testamentum exhibitum Principi valet, etiam nullo teste adhibito (c). 3. Ad testamentum rusticorum ruri consecutum sufficiunt quinque testes, si plures inveniri non possint (d). 4. Valet absque solemnitate juris testamentum parentum in favorem filiorum, ad quod sufficiunt duo testes etiam non rotati, & non masculi, si sit nuncupativum; si autem sit clausum, valet etiam nullo adhibito teste, dummodo testator subscriperit, aut ejus filii, si testamentum non sit scriptum ab ipso testatore: si vero testator ipse testamentum scriperit, valet, dummodo expresserit tempus conditi testamenti, nomina filiorum, & eorum portiones, non per notas numerales, sed per extensum (e). Præterea si testamentum sit scriptum, valet quoad legata, & fideicommissa extraneis relictæ; secus, si sit nuncupativum (f).

Denique pro testamentis ad causas pias, non illis quidem, in quibus piū aliquod legatum relinquitur, sed quibus ad pia opera hæreditas destinatur, necessariæ non sunt solemnitates a jure præscriptæ (g); immo pro foro conscientiæ, si hæredi constet, testatorem reliquisse hæreditatem, aut aliquod legatum ad pias causas, tenetur præstare quod relictum est, tametsi nullus adfuerit testis. Hinc testamentum alias invalidum, valet quoad legata pia in ipso contenta; & econtra legata, quæ non sunt ad causas pias, valent quoties validum est testamentum ad pias causas; nam legata sunt quid accessorium (h).

Hactenus dicta de solemnitatibus ad testamenta requiri-

(a) Inst. de milit. testam. (b) L. 26. ff. de testam. milit.

(c) L. omnium, C. de testam. (d) L. ult. ib.

(e) Auth. quod sine, C. de testam. (f) Ibid.

(g) C. relatum, ext. de testam.

(h) Vide Cyvarru, in C. cit.

requisitis, sunt de jure communi. Cæterum servari quoque debent leges, & consuetudines municipales locorum, itaut peccet lethaliter, qui contra illas testamentum condit: nam ut dicitur Rom. 13. *Qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit.*

Q. 4. An testamentum ad causas profanas solemnitatibus destitutum, valeat in foro conscientiæ?

R. Licet S. Antonini (*a*), Silvestri (*b*), aliorumque opinio sit, testamentum solemnitatibus destitutum valere in foro conscientiæ; si tamen hæres hanc opinionem sequi nolit, a conscientiæ moderatore saltem obligari debet, ut de testamenti valore juris Peritissimos consulat, idque omnino faciat, quod æquus Judex fieri decerneret, cognita causa: manente autem dubio, cum illo, cuius interest, amice componat, ne periculo injustitiæ se exponat, & mala fide possideat alienum. Certe si Romanis legibus agatur, hæres ad solvendum obligabitur (*c*). Quia tamen ubique juxta ipsas jus non dicitur, tutus in conscientia erit, qui non exequitur testamentum Regni legibus, vel municipalibus, aut Judicis sententia irritum, & quod bona fide irritum credit.

Q. 5. Qui possint condere testamenta?

R. Quisquis usu rationis potitur, de bonis, quæ possidet, testari valet, nisi lege prohibetur (*d*). Hinc infantes, furiosi, amentes testari non possunt, nisi dum lucida habent intervalla (*e*).

Prohibentur autem testari, 1. impuberis (*f*). 2. surdi, & muti a nativitate (*g*). 3. usurarius manfestus, nisi ipso facto usuras restituerit, vel præsterit

(*a*) 2. P. t. 10. cap. 3. (*b*) In Sum. v. legatum.

(*c*) L. quætionem, C. de fideicom. (*d*) L. s. C. de sacrofanc. Eccl.

(*e*) Inst. quibus non est permisum facere testam. q. præterea.

(*f*) L. si frater, C. qui testam. facere poss.

(*g*) L. discretis ibid.

terit cautionem pignoracitiam, aut fidejussoriam de restituendis usuris (a). 4. prodigi, quibus inhibita est administratio bonorum (b). 5. mancipia (c). 6. capitis damnati (d). 7. plura alia sunt crimina, quæ facultatem testandi auferunt: requiritur tamen sententia Judicis declaratoria criminis. 8. filiifamilias nequeunt testari de bonis adventitiis, etiam a cedente consensu patris (e), nisi tantum ad causas pias, patre consentiente (f) vel nisi sint Clerici (g). De castrenisbus, & quasi castrenisbus libere testari possunt (h). Denique Religiosi professi testari prohibentur.

Q. 6. An liceat Clericis bona ex proventibus Ecclesiasticis parta, testamento relinquere?

R. Etsi modo receptum sit, ut Clerici hujusmodi bona testamento relinquant, quibus voluerint, illisque ab intestato succedant eorum consanguinei; nihilominus peccant gravissime, si de talibus bonis ad causas profanas disponant, vel ipsa relinquant consanguineis divitibus, aut eos ab intestato succedere finant. Nam Clerici bona Ecclesiastica cum hoc onere possident, ut quæ præter victum, & honestum vestitum ex eis supersunt, pauperibus erogent, seu ad pias causas dispensent. Clerici ergo de bonis, quæ compararunt ex Ecclesiæ facultatibus, nullum de jure possunt facere testamentum (i), nisi tantum ad causas pias, eoque dumtaxat nomine aliquid consanguineis suis donare, seu testamento relinquere possunt, quod isti pauperes sint (k). Ne vero quis dicat, priscam Ecclesiæ disciplinam modo non obli-

Tom. III.

Dd

gare,

(a) C. quamquam, de Usur. in 6. (b) Inst. cit. §. item prodigus.

(c) L. si filius tam. ff. qui testam. facere possint.

(d) L. ejus ibid. (e) L. qui in potestate ibid.

(f) C. licet, de sepult. in 6. (g) L. Sacrosanctæ, C. de Epis. & Cler. (h) L. ult. C. qui testamenta, fac. poss.

(i) C. quia nos, ext. de testam. (k) C. ad huc, ibid.

gare, more inque receptum, ut Clerici residuos Beneficiorum fructus consanguineis suis relinquant, improbatum non esse ab Ecclesia. Nam Concilium Tridentinum (*a*) etiam nunc damnat Clericos, qui ex redditibus Ecclesiae consanguineos suos augent, mosque ille ab Ecclesia toleratur quidem, non approbatur.

Q. 7. Qui possint hæredes institui?

R. Nemo excluditur, nisi sit lege prohibitus: prohibetur autem, ne hæredes instituantur Urbes hostium, Communitates Judæorum, apostatæ, hæretici, & eorum fautores, nisi infra annum resipiscant: uno verbo si omnes qui hæredes institui non possunt ex interdicto legis.

Si autem testator habeat ascendentes, vel descendentes legitimos, justitia exigit, ut illos hæredes instituat saltem in portione legitima, prius quam de aliis cogitet, etiam de causis piis. Unde S. Augustinus (*b*) ait: *Quicumque vult ex hæredato filio, hæredem facere Ecclesiam, querat alterum, qui suscipiat, non Augustinum: immo Deo propitio neminem invenerat.*

Verum sunt nonnullæ causæ legitimæ, ob quas filius a patre ex hæredari potest. 1. si manus violenter in parentes injecerit. 2. si gravi eos injuria afficerit. 3. si de crimen accusaverit, modo non sit crimen læse majestatis, vel hæresis. 4. si versetur cum maleficiis. 5. si mortem patri, vel matri molitus fuerit; etiam effectu non sequuto. 6. si thoracum paternum maculaverit. 7. si pro patre noluerit fidetur, cum posset. 8. si testamentum patris impediat. 9. si bona parentum dilapidaverit. 10. si filia innupta luxuriosè vivat. 11. si filii annis 30. filiae annis 25. minores matrimonium contraxerint, invitatis parentibus. In plerisque tamen casibus curare debet.

(*a*) Sess. 25. de reform. cap. 1.

(*b*) Serm. 355. al. 49. de diversis, c. 4.

debent Parochi, & Confessarii, ut patres filiis iuste iratos reconcilient, nec approbare, ut iis exhaeredatis, scribatur hæres & ipsa Ecclesia.

Quod si testator filios non habeat, sed consanguineos collaterales inopes, istis prius, quam alienis subvenire debet, vel ad pias causas testari. Ipsi autem filiis, & cognatis præponi debet restitutio bonorum male partorum, quia nemini licet aliena iuste detinere, ut suorum inopiam levet.

Q. 8. An filii illegitimi possint a parentibus hæredes institui?

R. Filii illegitimi alii sunt naturales, alii spurii. Naturales dicuntur, qui progeniti sunt ex non conjugatis, qui tempore conceptionis nullum inter se habebant impedimentum dirimens; vel si hoc modo impediabantur, nihilominus impedimentum ab ipsis amoveri poterat, ut v. g. error, metus, &c. vel si impedimentum non poterat ab ipsis tolli, ignorabatur tamen saltem ab una parte. Dicitur autem proles spuria, quæ nascitur ex parentibus, inter quos tempore conceptionis erat impedimentum dirimens ab ipsis inauferibile, quod tamen ipsis notum erat.

Itaque proles naturalis non legitimata etsi non excludatur a successione in bona materna, etiam ab intestato, ubi jure scripto judicatur, non succedit tamen patri ab intestato. Ut autem possit succedere matri ab intestato in universa ejus bona, fierique hæres ex asse, requiritur, ut mater legitimis liberis careat: matri autem intestatæ legitimos filios habenti, succedit proles naturalis æquo jure cum illis (a). Poteat autem institui hæres ex testamento etiam universalis, nedum a matre, sed & a patre, si nulli sint filii legitimi (b). Observandæ autem sunt peculiares Locorum leges.

(a) L. si qua illustris. C. ad Senatusconf. Officianum.

(b) Auch. liger, Cr. de natura iibus liberis.

Proles spuria non legitimata, hæres institui non potest neque a patre, neque a matre, nec ipsis succedit ab intestato, nec ab ipsis aliquid accipere potest (a): Et si legimi hæredes non existant, id omne vendicandum est Fisco (b).

Verum et si spurios etiam ab alimentorum petitione leges olim submoverint (c), istis tamen derogatum est (d): nam parentes tenentur lege naturali ministrare illis alimenta. Spurii autem quidquid ultra victui, & vestiti necessaria ipsis relictum est, legitimis hæredibus restituere tenentur, & si retineant, rem alienam retinent.

Ex quibus infertur, lethaliter peccare illos, qui universalem instituant hæreditem ea conditione, ut filiis suis spuriis hæreditatem, aut ejus portionem tradat: sic enim legibus illuditur. Quare fiduciarius hæres tradere illis non potest, quod ipsis relatum est, sed hoc idem restituere tenetur legitimis hæredibus. Idem dicendum est de simili conditione præscripta hæredi fiduciario a marito respectu uxoris, vel ab uxore respectu mariti contra legem prohibentem donationes inter conjuges. Itemque de aliis personis, quas leges ab adeunda hæreditate repellunt.

Q. 9. Quid de filiis ex secundo thoro susceptis (e)?

R. Juris Civilis præscripto nec pater, nec mater, qui, vel quæ liberos habens ex priore conjugio, ad secundas nuptias convolaverit, ullo modo in gratiam filiorum ex secundo thoro susceptorum, quidquam amplius elargiri, sive per donationem, aut aliam inter vivos dispositionem; sive testamento, codicillo, aut alia quavis ultimæ voluntatis dispositione

(a) Auth. cit. (b) L. Senator C. de naturalib. liber.

(c) Auth. ex complexa C. de incestis.

(d) L. cum haberet, ext. de eo, qui duxit, &c.

(e) Vide Nat. Epist. 93.

tione amplius dare , vel relinquere , quam datum , vel relictum ab illo fuerit uni ex prioris conjugii liberis , cui quam minimum præ reliquis fratribus datum fuerit , aut relictum (a) . Hæc tamen lex cum hac exceptione intelligenda est , modo jura legitimarum integra serventur posterioris conjugii liberis , si forte minimum anterioris matrimonii filio relictum debitam secundi thori filio legitimam non adæquaret . Parentibus enim libertas de bonis suis inter liberos dividendis eatenus servatur , dum legitima singulis integra relinquatur (b) .

Q. 10. Ad quem spectet exequutio testamenti ?

R. Si testator exequutorem testamenti nominaverit , is debet testamentum exequi : alioquin exequutio pertinet ad hæredes (c) . Si autem hæres , vel exequutor intra annum testamentum exequutus non fuerit , exequutio devolvitur ad Episcopum saltem quoad legata pia (d) . Institui possunt etiam fœminæ . Religiosi etiam nominari possunt exequutores testamentorum (e) , exceptis tamen Fratribus Minoribus de observantia (f) : verum id onus suscipere nequeunt absque Superioris licentia (g) . Si tamen testator ea clausula testamentum conficiat , ut ex hæreditate Religiosus exequutor certam summant accipiat , conferatque in usus , quos ipsi secreto testator significaverit , expedit , ut Superior ab onere exequutoris suscipiendo ipsum prohibeat : adeo enim

D d 3 tam

(a) L. hac edicitali , C. de secundis nuptiis .

(b) Parentes testamentum conscientes non possunt licite uni filiorum plus relinquere , quam alicet , nisi adsit justa causa , vel nisi consuetudo ferat , ut primogenitus præferatur aliis , & masculi fœminis ; alioquin parentes injuriam filiis irrogant , quos natura fecit æquales , eisque præ-

stant rixarum , & odii scandolum .

(c) Coll. ex C. nos quidem ext. de testam.

(d) Ibid.

(e) Clem. Religiosis , de Testam.

(f) Clem. exivi , de verb. signif.

(g) Clem. Religiosis cit.

gam vehemens suspicio, quod Religiosus velit sum-
mam illam retinere, ut Judices moveat ad interdi-
cendum ipsum officio exequitoris. Religiosi etiam
exequutionem cujuscumque ultimæ voluntatis susci-
pientes, locorum Ordinariis debitam reddere, ipsi-
que Ordinario ab iisdem de susceptæ exequutionis
officio tenentur exigere rationem, illosque punire,
si deliquisse repererint (*a*). Tenentur etiam iidem
Religiosi affirmationem suam juramento confirma-
re, si Episcopus jubeat: alioqui exequitorum offi-
cio jure interdicentur, ut respondit Sacra Congre-
gatio (*b*).

Q. 11. Quomodo exequutioni mandari debeat ul-
tima testatoris voluntas, præsertim quoad legata
pia?

R. Si ultima defuncti voluntas absque peccato im-
pleri possit, commutari non potest ab hærede,
vel exequitore in aliud opus, quamquam sit me-
lius (*c*).

Hinc sequitur *i.* exequutores testamentorum non
posse pro suo arbitrio distribuire bona pauperibus
deputata, sed teneri ad illa eroganda servatis justi-
tiæ, & prudentiæ regulis, & charitatis ordine.
Quare eleemosynas erogare in primis debent con-
sanguineis, & affinibus defuncti, si pauperes sint,
deinde iis, qui gravius egent (*d*): nec possunt uni-
dare totam pecuniæ summam, quam testator pau-
peribus distribui jussit. Pari modo legatum factum
pauperibus ad januam testatoris concurrentibus, non
potest Xenodochio conferri. Nec legatum captivis
reliquit in aliud impendi potest, quam in ipsos re-
dimendos (*e*).

Se-

(*a*) Clem. Religiosis cit. (*b*) Apud Fagnanum in C. tua nobis,
Ext. de testam. (*c*) Clem. quia contingit, de Relig. domibus.

(*d*) L. si quis ad declinandum, C. de Episc. & Cler. §. 6.

(*e*) Ibid. §. 2.

Sequitur 2. legatum relictum virginibus matrimonio collocandis, non posse ab exequatore testamenti erogari Virginibus se Monasterio devoventibus: oportet enim sequi voluntatem testatoris. Si autem legatum relictum est certae personæ, ut matrimonium contrahat, potest ipso erogari, ut Monasterio se devoveat (*a*).

Q. 12. An exequitor testamenti, qui ad certa bona pauperibus distribuenda deputatus est, ea sibi adscribere possit, si pauper sit?

R. Auctores non convenient. Opinio negans videtur tenenda, tum quia voluntas testatoris alios ab exequatore pauperes respexit; tum quia alias exequitor in suspicionem malæ fidei facile veniret, viaque pateret ad pauperes fraudandos. Si tamen summa esset exequotoris paupertas, Episcopi auctoritate, & Confessarii judicio sibi adscribere posset quod pauperibus incertis relictum est. Certe tamen potest exequitor pauperes sibi conjunctos eligere, si nulli sint ex consanguineis, vel affinibus testatoris.

Q. 13. An Religiosus exequitor possit suo Monasterio pauperi conferre, quod relictum est pauperibus?

R. Id posse censet Barbosa (*b*), aliquie apud ipsum. Sed oppositum videtur tenendum, ut vitetur avaritiæ suspicio, & fidelius impleatur testatoris voluntas, quæ pauperes magis indigentes, magisque destitutos spectasse præsumitur.

Q. 14. Quandonam testamenti exequitor exequi debeat voluntatem testatoris?

R. Dubitandum non est, quin exequutores testatorum, qui sine justa causa, statim moraliter non exequuntur extremas defunctorum voluntates,

Dd 4 lethæ

(*a*) Auth. de SS. Episc. coll. 9. c. 37.

(*b*) P. 3. de offic. & potest. Episc. ali. §3. q. 25.

lethaliter peccant, nedum contra legatarios, sed & contra ipsos defunctos, qui licet ex dilatione nullum quoad meritum patientur detrimentum, maxime si curam adhibuerunt, ut eleemosynæ cito darentur; detrimentum tamen patiuntur ex eo, quod dilatis suffragiis, remedium ipsis non adhibetur (a). Ut autem docet S. Thomas (b), in mora modici temporis non videtur esse magnum periculum. Unde si exequitor per modicum tempus eleemosynam dare differat, ut rebus defuncti melius venditis, ampliores eleemosynas dare possit, laudabiliter hoc facit. Si vero econverso per multum tempus differat eleemosynas distribuere, ut non multo ampliores eleemosynas faciat, non videtur esse absque culpa: quia forte defunctus a Purgatorio liberaretur, in quo existenti remedium suffragiorum maxime necessarium erat. Hoc autem requirit prudenter exequitoris examen, ut scilicet consideratis dilatione temporis, & conditione personæ, que creditur citius, vel tardius liberanda, & etiam quantitate augmenti eleemosynarum, faciat, quod videbitur expedire defuncto.

Certe si hæres, vel exequitor testamenti tempore a jure, vel consuetudine præscripto, piis defuncti dispositiones non exequuntur, Episcopus potest ipsos cogere ad illas exequendas, etiamsi id foret a testatore interdictum (c). Nam Episcopi etiam tamquam Sedis Apostolicae delegati, in casibus a iure concessis, omnium piarum dispositionum, tam in ultima voluntate, quam inter vivos sunt exequutores (d).

Q. 15. Quomodo Parochi, & Confessarii gerere se debeant circa testamenta ab aliis confiencia?

R. Hortari in primis debent infirmos ad testamenti factionem, dum integra sunt mente, si morbus

gra-

(a) S. Thom. Quomolib. q. 8. art. 1.

(b) Ibid. ar. 2. (c) C. tua, ext. de testam.

(d) Conc. Trid. sess. 22. de refor. cap. 8.

gravior, & cum periculo fuerit. Significare etiam, quanti intersit religiosos homines doctrina, & pietatis usu præstantes adesse, de quorum consilio testamentariæ dispositiones fiant. Præterea monere, ut testamentum fiat initio morbi, & in statu gratiæ. Suadere etiam testaturo, ut si commode possit, eleemosynas potius eroget pauperibus, dum vivit, quam post mortem relinquat, juxta illud Eccl. 14. *Ante mortem benefac amico tuo, & secundum vires tuas exporrigens da pauperi.* Ad hæc: alieni esse debent ab omni specie auncupandi hæreditates; quia non satis utiliter in populo avaritia redarguitur, si ab iis, qui in Clero constituti videntur, & præcipue qui contempto seculo, Religiosorum nomen profitentur, & regulam, modis omnibus non cavetur (a).

§. II.

De reliquis ultimis voluntatibus.

PRæter testamentum recensentur etiam inter ultimas voluntates Codicillus, legatum, fideicommissum, & donatio causa mortis.

De Codicillo:

Q. 1. Quid sit Codicillus? & quæ ad ipsum requirantur?

R. Codicillus est *scriptura quedam continens ultimam aliquam voluntatem sine hæredis institutione.* Ad ejus valorem sufficiunt quinque testes etiam non rogati, sive masculi, sive fœminæ (b). Et plures Codicilli ab eodem confici possunt, qui omnes valent, dummodo non opponantur: cum tamen plura testamenta fieri non possint, sed posterius a priori re

(a) Concil. Turon. sub Alex. III. can. 6.

(b) L. ult. C. de codicillis §. 3.

re infirmetur. Codicillus, sicut & quævis alia ultima voluntas, revocari potest ad nutum testatoris (a).

De Legato.

Q. 2. Quid sit legatum? quæque ejus appendices?

R. Legatum est dispositio quædam alicujus rei a defuncto relictæ, que ab ejus hærede sive per testamen-
tum, sive ab intestato, dari debet alteri, ex eo, quod foret hæreditis.

Cum res aliqua legato relinquitur, censentur etiam legata, quæ rem naturaliter sequuntur, eique accedunt, v. gr. legato orologio, censetur legata pixis ipsum includens, etsi gemmis sit ornata: & legato usufructu alicujus prædii, censentur legata omnia instrumenta ad ipsum excolendum.

Cum testator ex duabus ejusdem nominis rebus, diversique pretii, unam confuse legat, optio pertinet ad hæredem, cui potius, quam legatario testatorem voluisse favere præsumitur (b). Idem esto judicium, si legatum sit alternativum, v. gr. si quis dicat, relinquo Titio vel annulum, vel vestem: quia in alternativa summarum, vel temporum inspiciatur, illud, quod minus est in obligatione (c).

Si in fundo relicto legati titulo, ædificetur domus, plantetur vinea, aliæque fiant accessiones, omnia ad legatarium spectant. Fructus etiam fundi legati, si e radicibus pendent, seu fundo adhærent, cum legatum solvitur, ad legatarium pertinent, quasi fundi accessio: si vero a fundo disjuncti, sive percepti fuerint ante mortem testatoris, spectant ad hæredem (d).

Le-

(a) L. 4. ff. de adimendis, vel transfer. legat.

(b) ff. de legatis. 1. L. cum servus 39. 5. 6.

(c) ff. cit. L. legato generaliter 37.

(d) L. Lucio 23. ff. de legatis 2.

Legata ususfructus , & legata pensionis alimentariæ , aut vitalitiæ , ad hæredem legatarii non transiunt , nisi testator contra præscriperit : sunt enim alligata soli personæ legatarii .

Legatum ad piam causam , si appellari nequeat causæ a testatore destinatae , impendi debet in aliam similem causam Episcopi judicio : quia id censetur defunctus voluisse . Si vero legatum sit ad causam profanam , & nequeat impendi in opus a testatore relictum , redit ad hæredem .

Jam vero quæ causæ indignum hæreditate hominem reddunt , eæ legati etiam efficiunt incapacem . Similiter qui testandi jus non habent , destituti quoque sunt jure legendi (a) .

Quoad legati durationem , ea pendet ex voluntate testatoris . Quare manet quousque testator , vel expresse revocaverit legatum , vel rem legatam alteri vendiderit , aut donaverit , vel per aliam dispositionem rem eamdem alteri legaverit , vel si legatarius deceserit ante mortem testatoris , vel denique si mutata fuerit rei legatæ natura . Post mortem tamen testatoris legatum durat , donec re ipsa impleatur . Unde Alexander VII. hanc propositionem damnavit : *Annum legatum pro anima relictum , non durat plus quam per decem annos .*

De Fideicommisso .

Q. 3. Quid sit fideicommisum ?

R. Fideicommisum dicitur , cum hæreditas , vel legatum ita hæredi , vel legatario committitur , ut relinquiri , vel alienari non possit aliter , ac testator præscripsit . Hinc duplex est fideicommisum , generale , cum tota hæreditas restitui debet ; & particulare , cum restitutio fieri debet de certis peculariis

(a) Vide ff. lib. 34. t. 9. de his , quæ ut indignis auferuntur .

ribus bonis; quod quidem posterius fideicommissum, nonnisi penes verba distinguitur a legato, quia in legato verba diriguntur ad legatarium in ejus favorem, at vero in fideicommisso diriguntur ad hæredem, vel ad legatarium in favorem alterius.

In fideicommisso igitur intervenit substitutio indirecta hæredis, vel legatarii. Est autem duplex substitutio, directa, cum nempe hæreditas, vel legatum uni relinquitur sub expressa conditione, ut si ipse nolit, vel non possit acceptare, alius substitutatur loco ejus; & indirecta, cum hæreditas, vel legatum ad aliud transmittitur, sed ministerio hæredis, aut legatarii. De substitutione directa, ejusque speciebus plura videri possunt apud juris civilis Peritos, qui etiam conferendi sunt quoad reliqua spectantia ad fideicommissum.

De Donatione causa mortis.

Q. 4. Quid sit donatio causa mortis? &c quomodo differat ab aliis ultimis voluntatibus?

R. Donatio causa mortis, est quæ fit intuitu mortis, & sub mortis conditione, ita ut donator nolit, rem donatam esse alterius, nisi post suam mortem. Differt a testamento, quia non habet adnexam institutionem hæredis. Differt a codicillo, quia non supponit testamentum antea effectum, nec hæredem ab intestato, cui aliquid præstandum commendetur. Differt a legato, & fideicommisso, quia haec pendent a testamento, secus illa. Nihilominus donatio causa mortis convenit quodammodo cum aliis ultimis voluntatibus. Nam ad ipsam requiruntur quinque testes (*a*): item revocabilis est usque ad mortem donatoris (*b*): nec transit ad hæredes dona-

(*a*) L. ult. C. de codicillis §. 3.

(*b*) L. 16. ff. de mortis causa donat.

donatarii præmortui (a). Quamobrem , si quis vel donaret irrevocabiliter , vel ita , ut donatio transfeat ad hæredes , donatio esset inter vivos , quamquam res donata non foret tradenda , nisi post mortem donantis .

C A P U T II.

De Contractibus onerosis.

ARTICULUS I.

De Venditione , & Emptione (b).

§. I.

De Venditione , & Emptione secundum se.

Q. 1. **Q**uid sit venditio? quid emptio?

R. Venditio definitur , *pactio mercis pro pretio*. Emptio , *pactio pretii pro merce*. Est contractus onerosus , quia utrumque obligationem parit . Completur traditione mercis , ante quam traditionem emptor habet solum jus ad rem . Nomine mercis venit quæcumque res pretio æstimabilis . Pro merce debet dari pretium , alioquin erit permutatio : & similiter permutatio erit , si pro merce empta detur partim pecunia , & partim alia merx , quæ excedat in valore pecuniam : si autem pecunia excedat mercem aliam traditam , erit venditio . Denique pretium debet esse determinatum sive ab emptore , sive ab aliquo alio : unde si quis pretio indeterminato vendat , nulla est venditio (c) .

Q. 2. An liceat rem vendere pluris justo pretio , vel minoris justo pretio emere ?

R. Ne-

(a) L. 1. ff. de condit. & demonstrat.

(b) De his agit Author lib. 3. Tract. 1. c. 6. ar. 5.

(c) L. 35. §. 1. fl. de contrah. cmpt.

R. Negative : nam si vel pretium excedat quantitatem valoris rei , vel econverso res excedat pretium , tollitur justitiae & qualitas (a) . Hinc si venditor , aut emptor laesus fuerit infra , vel supra justum pretium , tenetur quod justo deest pretio , supplere (b) . Id autem verum habet non in iis tantum rebus , quae necessariæ sunt ad humanos usus , sed & in illis , quae ad curiositatem , splendorem , aut voluptatem conducunt , quales sunt gemmæ , flores , aves , canes , picturæ antiquæ , vetera numismata , & manuscripti codices ; harum quippe rerum valor peritorum judicio æstimari debet , nec pro arbitrio , & cupiditate vendoris augeri potest .

Q. 3. Quod sit justum rerum pretium ?

R. Justum pretium illud est , quod Principis , aut Magistratus auctoritate sancitum est , & dicitur *pretium legitimum* ; vel determinatum est communi hominum peritorum æstimatione , & dicitur *pretium naturale* , & *vulgare* . Primum consistit in indivisibili , & qui illud prætergreditur , non solum mortaliiter peccat , sed quod ultra ipsum accepit , restituere tenetur . Alterum non consistit , in indivisibili , sed pro circumstantiarum varietate mutatur ; scilicet pro mercium inopia , & emptorum multitudine augetur : pro mercium copia , & eamentum paucitatem minuitur . Unde tres justi pretii gradus distingui solent : summum , medium , & infimum ; v. g. si ulna panni ad summum æstimetur sex libellis , ut minimum vero quinque , justum pretium erit quinque libellarum , & quod excurrit ad summam usque sex libellarum inclusive . Mercator ergo si non excedat pretium sex libellarum , rem vendet justo pretio : Emptor justo pretio comparabit , si infra quinque libellas non descendet (c) .

Q. 4.

(a) S. Thom. 2. 2. quæst. 77. ar. 1.

(b) C. cum dilecti , exc. de empt. & vendit.

(c) S. Thom. ar. cit. ad 1.

Q. 4. An sit aliquis titulus, quo possit res vendi carius, quam valeat?

R. Si adsit damnum emergens, & lucrum ccessans, potest res vendi, & emi supra, & infra pretium commune, modo absint fraus, & dolus, ac vera sit, efficax, propinqua, non simulata damni emergentis, lucrique cessantis causa. Quamobrem cum quis rem alterius admodum sibi necessariam vult emere, qua si alter careat, damnum patietur, pluris, quam valeat, venundari potest. Nam licet tunc res vendatur *plus*, quam valeat secundum se, non *tamen plus*, quam valeat habenti (*a*). Si tamen venditor non rogante, & urgente emptore, sed sua necessitate compulsus rem vendat, non potest ob damnum, quod patitur, pretium augere (*b*). Quod si venditor rem distrahendo nullum patitur damnum, non potest ejus pretium augere ob necessitatem emptoris, vel ob commoda, quae inde percipiet. Nam utilitas, quae alteri accrescit, non est ex vendente, sed ex conditione ementis (*c*).

Q. 5. An liceat merces vendere pretio majori, quam tunc valeant, cum distrahuntur?

R. Si quis id faciat, quia non intendebat tunc merces vendere, sed eas servare usque ad tempus, quo probabiliter erant pluris valituras; nunc autem vendat rogante, & urgente emptore, ut ejus commodis serviat; id facere potest. At iustitiæ reus est, si merces quantocius vendere statuerat, aut verisimile non sit, eo tempore, quo eas distrahere decreverat, tanti valituras, quanti nunc vendit; quare eas nunc vendere non potest ultra vulgare pretium, quia nullam habet rationem consulendi indemnitatì suæ, cum nullum damnum probabiliter sit passurus (*d*).

Idem

(*a*) S. Thom. ar. cit.

(*b*) Idem q. 13. de malo ar. 4. ad 14.

(*c*) Idem 2. 2. q. 77. ar. 3.

(*d*) C. in civitate, ext. de usuris.

Idem esto de emptore judicium: si enim ipse numerata pecunia solvit pretium mercium ante tempus, quo eas recepturus est, & minoris emit, quam tunc valeant solutionis tempore, quia probabile est, minoris valituras, cum eas est recepturus, aut saltem dubium est, utrum pluris, an minoris tunc valituras sint; v. gr. si mense Martio emit sextarium frumenti tunc sex libellis aestimatum, quem Julio mense est recepturus, quo tempore probabile est quinque dumtaxat libellis vendendum, vel dubium est, an minoris tunc pretii futurus sit; emptio non est injusta. Bona igitur fides requiritur, ut venditio, & emptio in hujusmodi casu justa sit. Quia tamen saepe cupiditas dubitare se fingit, ubi nulla est dubitandi ratio; in dubio, an pluris, vel minus valituras sint merces, quo tempore eas mercator vendere proposuerat, tutius est, ab augendo pretio abstinere, ut monet Alexander III. (a).

Q. 6. An venditio reddatur illicita ob defectum rei venditæ?

R. Qui rem aliquam notabiliter deficientem, sive in substantia, seu specie, sive in quantitate, sive in qualitate, sciens vendit, mortaliter peccat, & est restitutioni obnoxius. Si autem absque sua culpa notabilem defectum rei venditæ ignorans, ipsam bona fide quasi integrum vendidit, excusatur quidem ab injustitia; cognito tamen defectu, tenetur damnum recompensare emptori; tunc enim definit esse bonæ fidei possessor (b). Idem dicendum de emptore: contingit enim quandoque, venditorem credere, rem suam esse minus pretiosam quantum ad speciem, scut si aliquis vendat aurum loco aurichalchi, emptor si id cognoscat, injuste emit, & ad restitutionem tene-

(a) C. cit. (b) S. Thom. 2. 2. q. 77. ar. 2.

tenetur : & eadem est ratio de defectu qualitatis, & quantitatis (a).

Q. 7. An liceat occultare vitium rei venalis?

R. Qui occultum rei venalis vitium, & emptori noxiū, vel periculōsum, ipsi ante non aperit, ut si quis vendat equum claudicantem pro veloci, oves morbidas pro sanis, cibum noxiū pro salubri; est injustitiae reus. In his autem, & similibus casibus tenetur vendor non modo tantum detrahere de pretio, quantum ad rem vitiatam non pluris quam valeat; emendam, detrahere opportuerit; sed etiam obligatur ad resarcendum omnia damna ex hujusmodi venditione sequuta (b). Nam qui occasionem damni dat, damnum dedisse videtur (c). Tenetur etiam rescindere contractum pro emptoris voluntate: siquidem hujusmodi contractus doli actione vacuatur (d).

Quod si vero vitium sit manifestum, puta, cum equus est monoculus, vel cum usus rei, et si non competit venditori, potest tamen esse conveniens aliis; & ipse propter hujusmodi vitium subtrahat quantum oportet de pretio, non tenetur ad manifestandum vitium rei: quia forte propter hujusmodi vitium emptor vellet plus subtrahi de pretio, quam esset subtrahendum. Unde potest licite vendor indemnitatī suae consulere, vitium rei reticendo (e). Si tamen subdit aliqua fraus, v. g. si vitium rei venalis, et si manifestum, non ita facile ab emptore deprehendi possit; vel si emptor rem vitiatam se emere nolle sit contestatus, aut vendor interrogatus de rei venalis vitio, ipsum vel tacuerit, vel negaverit, vel eam quasi vitio caren-tem, etiam non interrogatus laudaverit, aut etiam inter res omnis vitii expertes venalem exposuerit:

Tom. III.

E e

tene-

(a) Ibid. (b) Ibid. art. 3.

(c) C. si culpa, ext. de injuriis, & damno dato.

(d) Vide S. Ambros. I. 3. de offic. c. 10.

(e) S. Thom. art. 3. cit.

tenetur ad emptoris arbitrium contractum rescindere, si res vendita tunc temporis integra maneat.

Q. 8. An liceat mercatori, qui frumentorum, aliarumve rerum ad humanos usus necessiarum copiam brevi advehendam certo scit, id emptoribus celare, & sua frumenta, resve alias vendere correnti pretio?

R. Talis mercator non videtur esse reus iniustiae. Nam, ut docet S. Thomas (*a*): „Venditor, qui vendit rem secundum pretium, quod invenit, non videtur contra justitiam facere, si quod futurum est, non exponat. Si tamen exponeret, vel de pretio subrahheret, abundantioris esset virtutis, quamvis ad hoc non videatur teneri ex justitia debito.“

Q. 9. An proxeneta, cui aliquid vendendum commissum est, possit sibi retinere id, quod accedit lucri, si pluris vendat?

R. Proxeneta, vel factor, aut alius quispiam, cui aliquid certo pretio vendendum commissum est, si pluris vendat, non potest id, quod accedit lucri, absque injustitia retinere, si laboris sui mercedem acceperit, vel accepturus sit: cum enim ei laboris, vel industriæ constituta sit merces, & res vendita ejus non sit, nullus legitimus adest titulus, quo poscit sibi retinere id, quod accedit lucri. Idem dicendum de eo, qui rem alterius vendendam gratis suscepit: *contrarium enim est officio merces* (*b*). Quod vero dominus pretium præfixerit, id fecit, ne res minori venderetur, non autem, ut non venderetur pluris, si tanti valebat; aut quod accederet lucri, venditori cederet. At si dominus rem vendendam proxenetæ commiserit certo pretio, nulla ei assignata laboris mercede, sed cum pacto,

ut

(*a*) S. Thom. 2. 2. q. 77. ar. 3. ad 4.

(*b*) L. obligatio, ff. mandari.

ut ipsi cedat , si quid lucri proveniat amplioris : proxeneta illud legitimo titulo retinebit.

Q. 10. An famuli , vel artifices in aliqua officina emere soliti , licite retinere sibi possint , quod in eorum gratiam detrahere mercator videtur de majori pretio , quo res similis in alia officina venditur?

R. Negative : nam ipsi fideliter procurare debent dominorum commoda , & horum voluntas est , ut quo poterunt minori pretio res ipsis commissas comparent ; maxime cum facile credi non debeat , quod mercatores in gratiam hujusmodi hominum aliquid de pretio condonent , sed ipsis blandiantur saepius , ac mentiantur .

Q. 11. Quid de iis , qui pondera , vel mensuras adulterant?

R. Pondera , & mensuras publica auctoritate , vel consuetudine institutas adulterare , imo praeterire absque fraude non licet ; & qui contra fecerit , restitutionis lego tenetur (*a*). Tenentur autem Principes , & Magistratus invigilare sub reatu peccati mortalis , ne pondera , aut mensuræ adulterentur , vel praetereantur .

Idipsum dicendum est de iis , qui merces , aut monetam quovis modo adulterant : quod potest contingere tribus modis , 1. quoad substantiam , ut cum substituitur , aut permiscetur unum metallum pro alio . 2. quoad pondus , quando minus pro majori ponitur . 3. quoad formam , cum quis bonam monetam cudit , iustique ponderis , sed sine auctoritate faciendi ; aut imprimendo characterem , vel formam alienam absque ejus consensu , cuius erat .

Similiter dicendum de illis , qui adulterinam monetam , aut inæqualis ponderis scientes volentes tra-

Ee 2 dunt

(*a*) S. Thom. 2. 2. q. 77. art. 2. ad 2.

dunt pro sincera, quamvis ipsi prius decepti fuerint,
& velut sinceram receperint. Hoc enim, non secus
ac monetæ adulteratio, evidens furtum est, adeo-
que ad restitutionem obligat.

§. II.

*De pactis, quæ adjici solent contractui emptionis,
& venditionis.*

Quartuor præcipue numerantur ejusmodi pacta,
scilicet pactum retrovendendi, aut redimendi
in posterum; contractus, qui dicitur *Mohatra*; pa-
ctum legis commissoriæ; & pactum adjectionis in
diem. Igitur

Q. 1. An licitus sit contractus venditionis cum pa-
sto retrovendendi (*a*)?

R. Etsi vera, & justa venditio cum pacto retro-
vendendi licita sit, reique sic venditæ dominium
transferatur in emptorem, qui proinde fructus ejus
jure percipit, donec redemptio facta sit a vendito-
re: si tamen simulata sit hujusmodi venditio, mo-
dicumque sit venditionis pretium, nec rei cum ista
redimendi facultate valori respondeat; aut pactum
sit de re majori pretio redimenda, quam empta sit;
vel ut res periculo venditoris, non emptoris pe-
reat; contractus est revera pignoratitius, & usura-
rius: simulatur enim venditio, & emptio, ut mu-
tuo virtuali emptor aliquid ultra sortem accipiat,
nimirum fructus interim sorti accedentes. Idem dic
de contractu, ubi venditor redimere cogitur, vel
quo onus ei imponitur non redimendi, nisi post
certum tempus.

Q. 2. An contractus *Mohatra* sit licitus (*b*)?

R. Contractus *Mohatra* est, quando quis egens pec-
cunia, emit a mercatore, pecunia credita, merces
sum-

(a) Conf. Nat. l. 3. c. 1. c. 7. ar. 5. reg. 12.

(b) Ibid. reg. 14.

summo pretio, & statim ei pecunia numerata, re-vendit pretio infimo; v.g. quis indigens 50. aureis, pannos emit a mercatore pretio 60. aureorum post annum solvendorum: & mox eidem numerata pecunia aureis 50. revendit. Hic contractus damnatus fuit ab Innocentio XI. in hac propositione: *Contractus Mohatra licitus est, etiam respectu ejusdem personae, & cum contractu retrovenditionis præviae inito, cum intentione lucri.* Et sane in eo delitescit mutuum virtuale, ex quo aliquid ultra sortem pretio æstimabile exigitur, & percipitur.

Q. 3. Quid de pacto legis commissoriæ, & de pacto adjectionis in diem?

R. Pactum legis commissoriæ quo res ita venditur, ut si intra constitutum tempus pretium ab emptore non solvatur, res censeatur inempta adjici potest, quia nihil habet iniusti (a). Si venditio sit absoluta quoad translationem dominii, licet rescindibilis, si pretium non solvatur tempore constituto, fructus intermedii pertinent ad emptorem. Si autem fuit conditionata, itaut non soluto pretio tempore definito, contractus sit nullus ab initio, dominium, & fructus rei manent suspensi, donec re ipsa pretium sit solutum. De alio pacto legis commissoriæ, cum creditor pignus accipit pro mutuo, dicemus infra.

Si res vendatur addito pacto, ut si quis intra spatiū certi temporis plus offerat, censeatur inempta, dicitur pactum adjectionis in diem (b). Videatur esse licitum, dummodo minuatur aliquid de pretio. Quoad fructus medio tempore perceptos, idem dicendum est, ac de pacto legis commissoriæ.

(a) Vide ff. & C. de lege commiss.

(b) Vide ff. de in diem addictione.

§. III.

De Monopoliis,

Q. Uid sit Monopolium? & an fieri licite possit (*a*)?

R. Monopolium est clandestina machinatio mercatorum ex compacto inter se conspirantium, ut ipsi soli certo, quod ipsi constituerint pretio, merces emant, aut vendant: quod ut facilius assequantur, servant illas in tempus inopiae; aut vi, vel fraude impediunt, ne merces aliunde advehantur; vel falsis rationibus expositis impetrant a Principe, ut ipsi soli merces hujusmodi vendant, legitimo pretio ab ipso Principe, vel Magistratu minime constituto. Si tamen ob graviores impensas, vel probabilitia damni pericula, vel cum onere solvendi certam pecuniae summam, qua Princeps ad Regnū necessitates utatur, hoc privilegium Princeps ipse concedat, rei non sunt monopolii, qui privilegium illud obtinent, modo res ultra justum pretium non vendant.

Monopolium quoque mercatores exercent, cum pretium annonæ, aliarumve rerum ad humanos usus necessiarum imminutum iiii præsidentes, quia naves hujusmodi mercibus onustæ ad portum sunt appellendæ, supposititas litteras, aut falsum rumorem in vulgus spargunt, naves illas perisse, aut ab hostibus fuisse captas, ut tali commento merrium pretium augeatur.

Exercetur etiam monopolium ab artificibus, cum inter se convenient, & conspirant, ut si quis aliquod opus inchoaverit, nemo illud perficiat.

Monopolium repugnat publicæ fidei, jurique gentium, cum vergat in grave Reipublicæ, & privatorum

(*a*) Vide Nat. l. 3. t. 1. c. 6. ar. 5. reg. 7.

torum damnum , & ad communem invehendam inopiam exerceatur: unde ejus auctores , & participes restitutionis lege tenentur . Jure civili statuitur (*a*) , ut monopolium exercens , bonis propriis ex-spoliatus , perpetuitate damnetur exilii .

Jam vero si monopolæ ingruente caritate nondum vendidere merces , quas monopolio coacevarunt , tenentur eas illo ipso pretio vendere , quo probabili-iter erant valituræ , si eas majoris lucri causa non congregassent .

ARTICULUS II.

De Mutuo , & Usura (b) .

Q. 1. **Q**uid sit mutuum?

R. Mutuum definitur : *Contractus re ini-
tus , quo res , quæ pondere , numero , & mensura con-
stant , ea lege alteri dantur ad abusum , ut non eadem
quidem numero , sed eadem specie reddantur , servata
pari quantitate , ac simili qualitate .* Hinc mutuum
consistit in rebus , quæ unico usu consumuntur , ut
sunt vinum , oleum , frumentum , pecunia , &c. quæ
ideo dicuntur dari ad abusum , non pravum , sed
Jurisconsultorum sensu , idest ad usum , quos res ,
quibus utimur , consumimus . Hinc mutuum differt
ab aliis contractibus , quia in ipso tantum res con-
sumptibiles dantur ad abusum , ideoque reddendæ
non sunt eadem numero , sed specie , servata tamen
quantitate , & bonitate . Hinc denique mutuum
transfert dominium rei in mutuarium ; quamob-
rem qui non est dominus rei , vel rem alienare non
potest , mutuum dare prohibetur .

Q. 2. Quid sit usura?

R. Usura est lucrum ex mutuo exactum , aut spera-
Ee 4 tum

(a) L. subemus C. de monopol.

(b) De his agit Auctor l. 3. t. 1. c. 7. ar. 5.

tum ratione mutui. Lucri nomine intelligitur quævis accessio, sive pecuniæ, sive alterius rei pretio æstimabilis, ad sortem principalem. Sors dicitur summa capitali mutuo data. Si lucrum sit exactum ratione mutui, usura est realis, in qua intervenit pactum sive expressum, sive tacitum reddendi aliquid ultra sortem, & opere externo completur. Si lucrum sit speratum vi mutui, usura est mentalis, in qua nullum intervenit pactum, vi cuius lucrum a mutuante percipiatur, sed spe lucri mutuum præstatur. Si autem mutuans recipiat quidpiam, ut munus omnino gratuitum, nec speratum, non committit usuram! Nam ut docet S.Thomas (a), etiam antequam pecuniam mutuasset, licite poterat aliquod donum gratis accipere; nec pejoris conditionis efficitur per hoc, quod mutuavit. Recompensationem vero eorum, quæ pecunia non mensurantur, licet pro mutuo exigere, puta, benevolentiam, & amorem ejus, cui mutuatur, vel aliquid hujusmodi.

Q. 3. Num omnis usura prohibita sit? & quo jure?

R. Usura omnis a quovis exigatur, & quantumvis moderata, est per se turpis, & injusta, ac lege naturali, divina, ecclesiastica, & civili prohibetur. Nam usurarius exigit pretium pro re non sua, cum per mutuum transferatur dominium rei in mutuatarium. Christus etiam ait Lucæ 6. *Mutuum date, nihil inde sperantes.* Jure canonico non solum omnis damnatur usura, sed statim etiam pœnae in usurarios. Denique jus civile etiæ olim permiserit moderatam usuram, numquam tamen illam probavit (b). Hinc Alexander VII. hanc propositionem damnavit: *Licitum est mutuanti aliquid ultra sortem exigere, si se obliget ad non repetendam sortem usque*

ad certum

(a) 2. 2. q. 78. ar. 2. (b) Idem ibid. ar. 1. ad 2.

ad certum tempus. Et Innocentius XI. hanc aliam proscriptis : *Usura non est, dum ultra sortem aliquid exigitur tamquam ex benevolentia, & gratitudine debitum; sed solum, si exigatur tamquam ex justitia debitum* (a).

Q. 4. An liceat aliquando mutuum fœneratitium accipere?

R. Id licet ad sublevandam suam, vel alterius necessitatem (b), modo tamen mutuum fœneratitium ab eo accipiatur, qui est paratus facere, & usuras exercet; nec placeat usurarum acceptio, sed mutatio, quæ bona est. Necessitas tamen debet esse gravis, alioquin non excusat eos, qui mutuum accipiunt sub usura.

Q. 5. Qui sint justi tituli, ut aliquid ultra sortem absque usura exigatur?

*R. Duo tantum a Theologis recensentur, *damnum emergens, & lucrum cessans.* Nam horum compensationem mutuans exigit, non ad captandum lucrum ratione mutui, sed ad vitandum damnum; ideoque non venditur pecunia, sed *damnum vitatur* (c).*

Ne

(a) De usura extat Constitutio Benedicti XIV. quæ incipit, *Vix pervenit, in qua tria declarantur.* „ Primo, omne lucrum ex mutuo ratione mutui, usura- rium, & illicitum esse. Secundo, ad usuræ labem purgandam, nullum arcenari posse subsidium, vel ex eo, quod id lucrum non excessivum, & nimium, sed moderatum, non magnum, sed exiguum sit; vel ex eo quod is, a quo id lucrum solius causa mutui depositur, non pauper, sed dives existat, nec datum sibi mutuo summan relicturus otiosum, sed ad fortunas suas amplifi-

„ candas . . . fit impensurus: Tertio . . . falso, ac temere affirmari, ejusmodi titulos (nempe mutuo extrinsecos, & justos exigendi ex mutuo aliquid ultra sortem), semper reperi, & ubique præsto esse, ita ut illorum ratione, quotiescumque pecunia, frumentum, aliudve id generis, alteri cui cumque creditur, toties semper liceat austarium moderatum ultra sortem integrum, salvamque recipere. Vide eundem l. 10. de Synodo Diœc. cap. 4.

(b) S. Thom. q. cit. ar. 4.

(c) Ibid. ar. 2. ad 1.

Ne autem specie damni emergentis usura pallietur, plures conditiones concurrent necesse est, ut ratione ipsius aliquid ultra sortem exigi possit. Itaque requiritur 1. ut damnum emergens sit verum, reale, certum (a). 2. Ut profiscatur ex mutuo, idque proxime, & immediate, alioquin damnum non obveniet propter mutuum datum, sed aliunde. 3. Ut damnum proponatur debitori, & in pactum conferatur, cum mutuatarius mutuum accipit, ne invitus subeat illud onus. 4. Ut damnum æquet compensationem, quæ exigitur, ne mutuatarius de incerti damni compensatione transfigere cogatur. 5. Ut pactio, & stipulatio de futuro damno compensando in casum moræ damnificativæ mutuantis referatur, nisi de imminente damno certissime constet. 6. ut damni compensatio non ante exigatur, quam damnum acceptum sit, alioquin commodum perciperetur ex mutuo: nam qui præmature petit, plus petere videtur (b). 7. ut in compensatione ex damno emergente ferventur leges Principum, quæ servari debent etiam propter conscientiam (c): idque ametsi damnum ex mutuo emergens excedat modum iisdem legibus præscriptum.

Eadem pene conditiones concurrere debent, ut lucri cessantis titulo aliquid ultra sortem exigatur absque usura, videlicet 1. ut lucrum illud vere, aut verisimiliter perceptum fuisset a mutuante, nisi mutuum dedidisset. 2. Ut propter mutuum, non ex aliis causis extraneis lucrum intercipiatur. 3. Ut mutuans mutuatarium de lucro cessante moneat. 4. Ut de ipso lucro paciscatur secundum æstimationem spei, non secundum æqualitatem rei: et si enim damnum, quod quis patitur per ablationem ejus, quod

(a) L. unic. de sent. quæ pro eo &c.

(b) L. 4. Instit. t. 5. q. 33.

(c) Rom. 13.

quod actu habet, sit recompensandum ex æquo, non tamen damnum, quod patitur, qui est in via adipiscendi, & ab adeptione impeditur: hoc enim compensandum est secundum conditionem personarum, & negotiorum (*a*). 5. Requiritur, ut pactum illud referatur in casum moræ. 6. Ut lucrum cessans non ante resarcitur, quam ex ipsa negotiatione intercepta, deductis periculis, laboribus, impensis, percipiendum fuisset. 7. Ut serventur constitutiones Principum, & consuetudines locorum legitimæ.

Quoniam vero regula juris fundata in ipsa æquitate naturali, docet (*b*), magis habendam esse rationem damni accepti, quam lucri cessantis; idcirco singulares quædam conditions præterea requiruntur, ut abique usura aliquid ultra sortem exigi possit ritulo lucri cessantis. Igitur requiritur 1. ut res mutuo data, negotiationi sit exposita, aut proxime ad negotiationem, vel emptionem alicujus rei frugiferæ parata sit destinatione quadam animi vera, sincera, & efficaci: indeque ad debitoris preces, non ad arbitrium creditoris avertatur, ac inutuo detur: nec sufficit, ut pecunia negotiationi potuerit expopi, aut ad rem frugiferam emendam conferri: nam illa potentia remota est. 2. Ut nullam aliam pecuniam otiosam habeat mutuans, quæ in locum mutuatæ substitui possit ad negotiationem, aut emptionem rei frugiferæ, cujus adestit opportunitas, ac sincera voluntas, faciendam. Otiosa autem non censemur pecunia seposita ad alimenta, ad provisionem familiæ, ad filiarum dotem, ad casus morbi, litis emergentis, &c. 3. Ut nihil exigatur, aut percipiatur a mutuatario ad lucrum cassans compensandum, ante tempus, quo mutuans lucrum percepit.

(*a*) S. Thom. 2. 2. q. 67. ar. 4.

(*b*) L. ult. C. de codicillis.

cepisset ex re illa, ad quam pecunia destinata erat.
 4. Ut pericula, damna, labores, impensæ deducantur, antequam lucri cessantis compensatio exigatur, ac percipiatur (a). 5. Ut mutuans non ex lucri cupiditate, aut commodi cuiuspiam percipiendi spe ad mutuum dandum impellatur.

Ex dictis infertur 1. creditorem subrogatum in locum ejus, qui damni emergentis, aut lucri cessantis interesse patiebatur, non posse easdem usuras exigere, quas prior ille creditor licite exigebat, nisi & ipse similiter patiatur damnum, & lucrum amittat. Cum enim jus prioris creditoris fuerit extinctum, transmitti non potest in subrogatum creditorem (b).

Interfertur 2. usurarium esse exigere a mutuatariis obligationes promissorias accessionis, aut lucri alicujus ultra sortem, sive schedulas, & chirographa, quibus fateantur, se plus accepisse, quam revera mutuo acceperint; idque etiam si in platea, vel nundinis pecunia mutuo detur, & numeretur a mercatoribus. Nullum enim ibi damnum acceptum, aut lucrum cessans occurrit ex mutuo profectum, quia mercatores in platea, & nundinis, ubi adest opportunitas conferendi pecuniam ad negotiationem, tunc solum dant illam mutuo, cum otiosaam ipsam habent: unde lucrum captant ex mutuo.

Infertur 3. nullam compensationem damni accepti, aut lucri cessantis accipi posse ex mutuatarioratione moræ, nisi ipse sua culpa sit in mora solvendi: alioquin fieri censeretur scenus in fraudem legis (c). Porro tripliciter mora fieri potest, 1. ex persona, cum creditor convenienti loco, & tempore debitorem interpellat, admonetque, ut solvat. 2. ex die adjecta solutioni. 3. ex ipsa re, cum lex debi-

(a) L. 30. ff. pro Socio.

(b) Reg. 79. iur. in 6.

(c) L. 60. ff. pro Socio.

debitorem in mora constituit (*a*). Harum interpellationum quævis a creditore facta , sufficit, ut debitor in mora censeatur sua culpa; nisi forte aliter moribus sit receptum .

Infertur 4. Constitutionem Regiam , sententiamque Judicis non esse per se legitimos titulos aliquid exigendi ultra sortem ex mutuo: nam illæ fundantur in sola præsumptione damni accepti , & lucri amissi ; quorum si neutrum intercedat , nihil exigi potest ultra sortem .

Infertur 5. si quis oblatas re ipsa loco , & tempore pecunias, etiam dotales , sibi debitæ, accipere recusaverit, nihil præter sortem , etiam ratione damni emergentis , vel lucri cessantis accipere posse absque usura; quia in hoc casu damnum acceptum , & lucrum interceptum non est propter mutuum .

Infertur 6. usuram esse , si quis cum altero ita contrahat, ut is , totam pecuniæ summam solvat , cum tamen ille partim pecunia dederit, partim non minibus , quæ difficile exigi possunt , vel in rebus pluris quam valeant æstimatis : est enim mutuum virtuale , cum de lucro ultra sortem pactum fiat .

Infertur 7. usurarium esse contractum , quo aliqui frumenti sextarii mutuo dantur , v. g. mense Novembri , ea conditione, ut summo, quo per annum valebunt pretio , solvantur (*b*) .

Infertur 8. non licere usuras legitimas nondum persolutas, in sortem convertere, novasque ex illis usuras exigere (*c*) .

Denique infertur , usuras exigi posse , cum fundus fructuosus emitur eo pacto , ut post tot annos dumtaxat, emptor solvere teneatur pretium , de quo conventum est , & interim venditor usuras summæ capi-

(*a*) L. 23. ff. de obligat. & act. & L. 3. C. In quibus causis in integr. restit. (*b*) C. in civitate, ext. de usur.

(*c*) L. ut nullo modo , C. de usur.

capitulis percipiat, donec ipsa soluta sit. Nam cum re emptor fruatur, æquissimum est, eum usuras pretii pendere (a).

Q. 6. An ratione periculi in mutuo aliquid exigi possit ultra sortem?

R. Duplex periculum potest a creditore suscipi. Unum dicitur periculum facti, intrinsecum mutuo, quia res exponitur quidem dubiis rerum casibus, at mutuatarius non liberatur onere solvendi, etiamsi res pereat absque sua culpa. Aliud est periculum juris mutuo extrinsecum, cum creditor periculum fortis in se suscipit pacto quodam mutuo adjuncto, debitorem obligatione solvendi liberat.

Itaque usura est, aliquid exigere ultra sortem ob periculum facti; nam cum mutuatarius teneatur quo-cumque casu solvere integrum sortem: quod exigitur ultra ipsam, exigitur ratione mutui (b). At vero propter periculum juris creditor exigere potest aliquid sine usura ultra sortem, quia suscipit onus pretio æstimandum, ipsumque mutuarium omni periculo, & obligatione liberat, si res mutuo data casu pereat, cum tamen periculum ipsius sequatur debitorem. Periculum autem non debet esse vanum, & illusorium, atque in fraudem legis excogitatum: nec debitor cogi potest a creditore ad pactum illud mutuo adjiciendum, sed potius debet illud postulare, cum mutuum accipit, tamquam rebus suis opportunum; alioquin pactum illud esset usurarium (c).

Q. 7. An sit usurarium commercium maritimum institutum in Cameris Assecurationum?

R. Commercium istud in Cameris Assecurationum institutum, in quibus minori, vel majori pretio merces navibus vectæ emuntur pro minori, vel majori

(a) L. Julianus, §. 20. ff. de ast. empti & venditi.

(b) Vide C. Naviganti, ext. de usuris.

(c) S. Antonini, p. 1. t. 1. c. 7. q. 22.

jori periculo, cui naves illæ sunt expositæ, licitum est; nihil enim habet, quod justitiæ repugnet, cum merces illæ justo pretio secundum communem æstimationem, spectatis periculis, emantur; & minus lucrum, idque certum assecurari possit pro majori, sed incerto. Ad rem est casus, quem proponit Sanctus Antoninus (*a*) de eo, qui dubitans, vel timens, ne navis suas merces valoris v. g. mille florenorum deferens, submergatur, vel capiatur a piratis, dat, vel offert alteri quinque, vel decem pro centenario, plus, minusve pro ratione periculi, quod timetur, ut fiat securitas super illis mercibus: tunc enim is qui sumpfit in se periculum dictorum mille florenorum, potest sibi retinere lucrum quinque, vel decem pro centenario, si merces salvæ conducantur: at si perirent, teneretur de mille florenis pro data securitate.

Q. 8. An liceat pœnam conventione partium mutuo adjicere?

R. Hæc pœna adjectio usuraria censi debet, nisi debitibus conditionibus conventio purgetur ab usuræ labe, & suspicione: quidquid enim mutuo adjicitur, nisi ad compensandum damnum emergens, & lucrum cessans revocetur, usurarium censemur. Cum ergo pœna eo nomine adjicitur mutuo, ut si debitor fuerit negligens in solvendo præstituta die, aliquid solvere cogatur ultra fortem, sententia Judicis ad pœnam damnatus ob solutionis dilationem; hæc conditiones requiruntur, quarum defecitu conventio esset usuraria: scilicet 1. ut pœna illa non sit adjecta eo animo, ut creditor ex mutuo lucretur, sed solum, ut debitum præstituta die recipiat propter verum, aut verisimile dampnum. 2. ut adjiciatur pro æstimatione veri, aut verisimilis dampni

emer-

(*a*) 3. p. t. 8. c. 3.

emergentis , vel lucri cessantis juxta Regias Constitutiones . 3. ut creditor probabiliter non judicet , debitorem imparem futurum ad solvendum debitum præfinito tempore : tunc enim pœna usurario animo adjici censeretur . 4. ut pœnæ nomine nihil ultra sortem exigatur , si nulla interveniat culpa debitoris ; siquidem pœna supponit culpam . Hinc qui pene invito debitore , pœnam conventionalem imposuit , vel mutuum ea conditione dedit , ut aliquot post dies debitor se sistat coram Judice , seque ad damnum emergens , & lucrum cessans compensandum condemnari consentiat , non censetur eam pœnam mutuo adjecisse absque fraude , ideoque conventionio est usuraria .

Q. 9. An liceat pro securitate mutui pignus accipere ?

R. Si mutuans pignus pro mutuo accipiat ea conditione , ut mutuatario non solvente tempore præfinito , pignus fiat mutuantis , sive venditione , sive in feudum , sive in solutum datione ; manifeste aliquid exigitur ultra sortem , quod est usurarium . Hinc pactum Legis Comissoriæ in pignoribus ab utroque jure (a) improbatur .

Si vero pactum ita apponatur in traditione pignoris , ut si intra constitutum tempus pecunia debita , non fuerit soluta , mutuans possideat rem jure emptionis , tunc æstimandam justo pretio , pactum non est usurarium ; quia videtur esse quodammodo conditionalis venditio (b) .

Q. 10. An mutuans possit percipere absque usura fructus provenientes ex pignore frugifero , quod in securitatem mutui accepit ?

R. Negative : hoc enim idem est , ac si pecuniam

(a) C. significante , ext. de pignor. & L. 3. C. de paſtis pignorum &c. (b) L. si fundus §. 9. ff. de pign. & hypoth.

reciperet pro mutuo , quod est usurarium (a). Hujusmodi ergo fructus etiam modici restituendi sunt mutuatario , sive sint percepti , sive potuerint percipi adhibita diligentia , quæ adhiberi solet a viris prudentibus in rebus gerendis ; vel computari debent in extenuationem fortis principalis : qua computatione facta , si iidem fructus sortem adæquant , mutuans tenetur pignus reddere mutuatario , nec potest absque usura summam capitalem repetere . Deducenda tamen sunt expensæ necessariæ , & utiles , non autem voluptariæ , quæ speciem dumtaxat exornant , non etiam fructum augent (b) .

Nihilominus usuram non committit , qui pro mutui securitate feudum suum accipit a Vassallo suo , ejusque feudi percipit fructus , nec illos in sortem computat ; quia cum habeat directum dominium rei oppignoratae , fructus percipit , non tamquam ex pignore , sed tamquam ex re propria ; ideoque dominium utile cum directo consolidatur . Debet tamen mutuans Vassallum suum debitorem interim absolvere a servitio debito ratione possessionis feudi ; alioquin fructus in sortem non computando , acciperet vi mutui aliquid ultra sortem , adeoque esset usurarius (c) .

Pari modo licite potest gener percipere fructus possessionum sibi in pignus traditarum , donec dotem in pecunia ficer numeraverit : nam ibi nullum intervenit mutuum , sed pactum juxta leges licitum ad compensandum damnum emergens ex eo , quod gener ferat onera matrimonii dote non soluta (d) . Si tamen hujusmodi onera gener non sustinet , tenetur fructus in sortem computare , alioquin usuram

(a) S. Thom. 2. 2. q. 78. a. 2. ad 6.

(b) L. impensæ , 79. ff. de verbō. signific.

(c) C. insinuatione , ext. de feudis .

(d) C. salubriter , ext. de usuris .

committit. Hinc fructus rei dotalis ante matrimonium percepti , aut post sine onerum susceptione , dotem augent , sicutque uxor , non mariti . Hinc haeres mariti possidens pignus datum pro dote , fructus in sortem computare debet , quia non sustinet onera , aut saltem potest se liberare ab onere alieni viduam , restituendo ei pignus . Et si post mortem mariti res in pignus viduae detur ab haeredibus pro restitutione dotis , illa debet computare fructus , quos percepit , in solutionem dotis , quia non sustinet onera matrimonii , eo soluto . Sibi itaque prospiciat , curetque , ut res oppignorata vendatur , vel detur sibi in solutum pro dote (a) . Si tamen ob dotem non solutam passus sit aliquod damnum , vel lucrum amiserit , potest accessionem aliquam exigere , & percipere pro compensatione . Denique si socero ex conventione cum genero data sit dilatio solvendi dotem intra certum tempus ; fructus ex pignore dotis interim percepti , computandi sunt in sortem , quia socer nondum est in mora solvendi . Nec refert , quod gener onera matrimonii ferat , quia etiamsi duxisset uxorem indutam , nihilominus ad illa teneretur (b) .

Q. 11. An sit usura , rem aliquam ob dilatam solutionem carius vendere justo pretio ; vel ob anticipatam solutionem minoris emere justo pretio ?

R. Affirmative quoad utramque partem . Et quidem prima pars constat , quia hujusmodi expectatio pretii solvendi habet rationem mutui . Unde quidquid ultra justum premium pro hujusmodi expectatione exigitur , est quasi premium mutui , quod pertinet ad rationem usuræ (c) . Potest tamen venditor ob dilatam solutionem rem vendere pretio summo infra limites

(a) Panormitanus ad dictum Cap.

(b) S. Antonin. 2. P. t. 1. c. 7. q. 27. seqq.

(c) S. Thom. 2. 2. q. 78. ar. 2. ad 7.

tes justi pretii, etiamsi venderet infimo pretio, si emptor statim solveret; quia sic ob dilatam solutionem nihil recipit ultra justum pretium. Similiter, si nunc urgente emptore vendit res suas, v. g. triticum, vinum, &c. quos sincere servaturus erat in tempus illud, quo verisimiliter pluris, quam nunc erant valituras, potest eas carius vendere, dilata solutione; modo tamen probabiliter existimet, res illas eo tempore, in quod earum venditionem differebat, tantum, & non plus valituras, quanti nunc vendit. Cæterum mercatores non excusat, quod debitores frequenter non solvant tempore constituto, unde ad debita exigenda magnæ interdum expensæ fieri debeant; aut quod aliqui numquam solvant. Nam si in termino debitores non solvant, possunt mercatores exigere compensationem damni. Si vero ii. numquam solvant, eis vendere nemo cogit. Certe Innocentius XI. hanc propositionem damnavit: *Cum numerata pecunia pretiosior sit numeranda, & nullus sit, qui non majoris faciat pecuniam præsentem, quam futuram, potest creditor aliquid ultra sortem a mutuatario exigere, & eo titulo ab usura excusari.*

Altera pars est etiam respicua: nam ista anticipatio solutionis pecuniae habet rationem mutui, cuius quoddam pretium est, quod diminuitur de justo pretio rei emptæ. Si vero aliquis de justo pretio velit diminuere, ut pecuniam prius habeat, non peccat peccato usuræ (a). Nec etiam committit usuram emptor, si ob anticipatam solutionem merces emit pretio minori, quam tunc valent, cum emit, quia quo tempore eas recepturus est, verisimiliter existimatur, quod minus debeant valere, vel saltem dubium est, an plus, minusve sint valituras; quandoquidem

Ff 2 illas

(a) S. Thom. ibid.

illas emit justo pretio ; committeret vero usuram , si verisimiliter existimaret , minori pretio non posse valere merces emptas , quam sit illud , quod dat , sed majori (a).

Præterea ille , qui ad certum tempus dare debet , si ante terminum solvat , ut ei aliquid de debito remittatur , usuram committere videtur , quia manifeste tempus solutionis pecuniae vendit (b).

Q. 12. An creditor absque usuræ vitio possit debitori imponere aliquam obligationem propter mutuum?

R. Negative. Hinc 1. usura est dare mutuum alteri cum obligatione , ut ipse mutuum det alia vice , quia talis obligatio pecunia æstimari potest . 2. Usuram committit , qui mutuum dat eo pacto , ut mutuatarius vadat ad suum molendinum , vel apothecam ad emendum , etiam si ipsi vendat merces eodem pretio , ac aliis (d). 3. Usurarius est , qui dat alteri mutuum , ut a justa lite contra se intentatam abstineat , ut ita sumptus declinet . 4. qui dat mutuum , ut debitor , vel alius pro ipso fidejubeat in aliquo negotio . 5. qui mutuum dat eo fine , vel pacto , ut debitor ipsi , aut ejus filii Beneficium , dignitatem , officium conferat , vel procuraret . 6. qui dat mutuum cum pacto , ut debitor totum mutuum , vel ejus partem exigat a debitoribus creditoris , qui sunt difficilis solutionis . 7. qui mutuum dat cum pacto , ut debitor totum mutuum accipiat , vel ejus partem in mercibus , quamvis justo pretio vendendis . Uno verbo usura est aliquid pretio æstimabile ex mutuo pascici , percipere , sperare ultra sortem pacto tacito , vel expresso , sive illud sit pecunia , aut munus aliud , sive opera , sive offici-

(a) S. Antonin. loc. cit. c. 8. (b) Ibid. §. 4.

(c) S. Thom. 2. 2. q. 78. a. 2. ad 4.

(d) S. Antonin. P. 2. t. 1. c. 7. q. 5. & 3.

officia, preces, commendationes, ad obtinendum quodvis emolumentum temporale (a).

Q. 13. Ad quid usurarii teneantur?

R. Ex S. Thoma (b), Res quædam sunt, quærum usus est ipsarum rerum consumptio, quæ non habent usumfructum secundum jura: & ideo si talia fuerint per usuram extorta, puta denarii, triticum, vinum, aut aliquid hujusmodi, non tenetur homo ad restituendum, nisi id, quod accepit . . . nisi forte per detentionem talis rei alter sit damnificatus amittendo aliquid de bonis suis; tunc enim tenetur ad compensationem noctumenti. Quædam vero res sunt, quarum usus non est earum consumptio, & talia habent usumfructum, sicut domus, & ager, & alia hujusmodi. Et ideo si quis domum alterius, vel agrum per usuram extorsisset, non solum tenetur restituere domum, vel agrum, sed etiam fructus inde perceptos, quia sunt fructus rerum, quarum alter est dominus, & ideo ei debentur. (c)

Q. 14. An restituere teneantur ii, qui usuris cooperati sunt (c)?

R. Qui usurarum exactioni cooperati sunt, restituere tenentur in subsidium usurariorum, si isti non restituerint; sunt enim damni causa. Quare Notarii, & Tabelliones, qui instrumenta conficiunt ad palliandas usuras; Advocati, & Procuratores, qui contractus sceneratios defendunt; Principes, & Magistratus, si usuras approbent, & usurariis præstent auctoritatem eas exigendi, & non restituendi, earumque repetitionem prohibeant; Confessarii, qui manifestum usurarium ad Confessionem receperint, & absolverint contra formam Cap. Quamquam

(a) S. Thom. a. cit. ad 3. (b) Ibid. a. 3.

(c) Vide Natal. l. 4. c. 9. a. 4. reg. 36.

de Usuris in 6. Doctores , qui de casibus usurarum quæstiti , respondent , usurarios non esse contractus , qui secundum probabiliorem sententiam usurati censentur : hi omnes in subsidium usurariorum restituere tenentur , maxime si isti non possint ob inopiam restituere . Idem dicendum de fidejusoribus usurariorum , qui pro ipsis in usurarum restitutio- nem fidejusserunt . Et quidem si antequam usurarii cedernt bonis , pro ipsis fidejusserunt , censentur se obligasse in omnem eventum , unde tenentur solvere , etiamsi usurarius cedat bonis . Si autem non simpliciter pro ipsis fidejusserunt , sed pro restituendis usuris mortui , qui sine illa cautione sepeliri non poterat , tenentur solum restituere , in quantum vires hæreditatis usurarii tempore fidejussionis valebant .

Proxenetæ etiam , seu mediatores usurarum acceptarum tenentur ad restitutionem , si pro mutuante operas præbuerint , ut quærerent , cui mutuum cum usuris daret ; sunt enim sceleris participes , & fautores . Secus si mediatores sint tantum ex parte mutuatarii ad inveniendum creditorem , qui det mutuum , tametsi ad eum ducant , qui solet cum usuris mutuum dare , modo nullam habeant cum usurario societatem , nullumque munus , aut lucrum ab eo percipient , ut ducant ad ipsum illos , qui mutuo indigent .

Idem esto iudicium de iis , qui usurariorum negotia gerunt , qui pro eo dant mutuum ad usuram , eamque recipiunt ; aut contractus usurarios ejus nomine ineunt ; aut ei serviunt ad usuras exigendas ; vel præsunt mensæ fœnebri , vel mutuum ferunt , quod ad usuram dari sciunt , vel pignora accipiunt in gratiam fœnectorum ; quique domos publicis usurariis locant . Hi omnes usurarum exactioni cooperari censentur . Idem dic de tutoribus , & curatoribus , qui usuras exigunt , & recipiunt nomine pupillorum .

Q. 15. An Montes Pietatis in Italia, & in Belgio instituti, foeneratitii sint?

R. Mons Pietatis est summa quædam pecuniaæ, aut aliarum rerum usu consummendarnm, ex publico ærario, vel altunde conflata, ut ex ea mutuum detur pauperibus ea lege, ut modicum quid ultra fortem solvant pro Montis indemnitate, nisi aliter illi indemnitatî prospectum fuerit. His Montibus certæ conditiones sunt præstitutæ. 1. ut mutuum detur ad certam summam, determinatumque tempus, v. g. ad medium, aut integrum annum, ne, si ad longus tempus daretur, pauperibus omnibus mutuum petentibus subveniri non posset. 2. ut mutuum non detur sine pignore, quia periculum foret, ne plures debitum non redderent, siveque Montem exhaustirent. 3. ut elapso solutionis termino, vendantur non repetita pignora, & si pretium illorum superaverit id, quod Monti debetur ab iis, quorum erant, residuum ipsis restituatur. 4. ut ab iis, qui mutuum accipiunt, modicum aliquid recipiantur ultra fortem. Sic institutos Montes approbavit Concil. Trid. sess. 22. de Reform. c. 8. & 9. Quod enim in iis exigitur ultra fortem, non exigitur, & percipitur ratione mutui, sed pro solis ministrorum impensis, & aliarum rerum ad illorum conservationem pertinentium, & pro eorum Montium indemnitate, absque eorumdem lucro, ut Leo X. declaravit. Mutuum ergo illud minime est usurariorum.

ARTICULUS III.

De ceteris Contractibus.

§. I.

De Censibus (a).

Q. 1. **A**N sit licitus contractus celebrari solitus in constituendis annuis censibus?

R. Affirmative. Nam constitutio anni census mutuum non est, sed verus venditionis, & emptio-
nis contractus, quo magna pecuniae summa semel numerata, & soluta, jus emitur percipiendæ an-
nuæ pensionis, seu anni redditus. Porro in mutuo
fors repeti potest, cum creditor illius dominium in
debitorem transferat ea lege, ut sibi reddatur. At
qui censem emit (five super re frugifera, five su-
per persona (b), five super re simul, & persona
constituatur, itaut re pereunte, nihilominus perso-
na obligata maneat ad censem solvendum), qui,
inquam, hunc censem emit, sortem in perpetuum
alie-

(a) Vide Nat. I. 3. t. 1. c. 7.
art. 4. Definitur autem census,
*Jus percipiendi annuam pen-
sionem ex re frugifera alterius.*
Qui solvit pensionem dicitur cen-
susarius; qui jus habet illam e-
xigendi, dicitur *censualista*;
pensio ipsa dicitur *canon*. Di-
viditur census in reservativum, &
consignativum. *Reservativus* est
*jus percipiendi annuam pen-
sionem*, quod quis sibi reservat in
re frugifera, quam vel alteri
donat, vel vili pretio vendit;
ideoque cum translatione domi-

nii utilis, & directi. *Consigna-
tivus* est jus, quod quis soluto
pretio acquirit percipiendi an-
nuam pensionem ex re alterius,
qui illud jus cimenti *consignat*.

(b) Natalis probare videatur cen-
sus personales, eo fortasse nixus
fundamento, quod Constitutio-
n. Pii V. qua hujusmodi census
interdicuntur veluti usura vehe-
menter suspecti, non sit recepta
Gallicanis moribus. At quemad-
modum dubitari non potest, quin
census personales illiciti sint,
ubi viget Piana Constitutio; ita
,, vehe-

alienat, eamque sic in alterum transfert, ut ipsi non liceat illam repetere, neque compellere possit venditorem ad eam refundendam, sed solum ad solvendum annuas pensiones, ad quas emptor jus acquisivit numerato pretio. Nulla igitur est usuræ labes in constitutione census, si tamen debitæ conditiones eam comitentur. Qua de re videri possunt Constitutiones Martini V. & Callixti III. inter Extravagantes communes C. Regimini I. & 2. de Empt. & Vendit.

Q. 2. Quænam sit hujusmodi conditiones?

R. Requiritur 1. ut pretium sit justum, quale censetur illud, quod legibus constitutum est. 2. ut vendor rem unam, aut plures designare possit, super quibus census constituatur, quæ sint fructiferæ, tantique valoris, ut ad censem hujusmodi quotannis solvendum sufficient; nec aliis censibus, aut oneribus sint impeditæ, alias venderetur id, quod non est, aut vendi non potest, unde factus esset emptionis contractus, & usura palliata. 3. ut res, super qua census constituitur, sit in libera dispositione constituentis; quia nemo potest plus juris in alium transferre, quam sibi competere dignoscatur (a); ideoque non potest maritus constituere censem in fundo dotali. 4. ut si res, super qua census constitutus est, pereat, aut sterilis evadat sine culpa censuarii, sive in totum, sive pro parte, cesset vel in totum, vel pro rata parte obligatio census. 5. ut vendor census possit eum redimere, & extingue-

„ vehementer suspicamur “ in-
quit Benedict. XIV. I. 10. de Sy-
nodo cap. 5. „ in censi mere
„ personali, præsertim utrumque
„ redimibili, eas desiderari con-
„ ditiones, quas non solum Pon-

„ tisicia Constitutio, verum e-
„ tiam ipsum jus naturale, &
„ divinum exposcent, ne sit lar-
„ vatus contractus mutui, &
„ propterea coram Deo usura-
„ riis. “

guere, cum ipsi libuerit, sed ab emptore cogi non possit ad redimentum (a), seu ad refundendam summam capitalem, singulis pensionibus in sortem non computatis. Nam pacto isto intercedente, factus es-
set emptionis, verus mutui contractus; & qui em-
ptoris nomen sibi sumeret, de recipienda sorte, &
annuis insuper pensionibus securus, lucrum ex mu-
tuo revera perciperet. 6. ut solutiones anticipatae
pensionum ex pacto non fiant, vel exigantur, id-
est, ne pensio, sive sensus exigatur, nisi ratione
temporis elapsi. Si enim emptor dum pretium nu-
merat, detraheret ex eo pensionem primi anni, quæ
non debetur, nisi anno expleto, usuram committe-
ret. Hæ conditiones necessariae sunt jure naturæ.
Alias addunt Martinus V. Callixtus III. & San-
ctus Pius V. (b) non eodem jure necessarias. Ser-
vandæ sunt etiam conditiones præscriptæ Princi-
pum legibus, vel municipalibus consuetudinibus,
alioquin contractus irriti erunt. Easdem condi-
tio-

(a) Inter census utrinque re-
dimibiles, ideoque usurarios re-
cenfetur contractus, qui dicitur
Anticriseos, italice, *a godere*,
qui alter concedit usum domus,
prædii &c. alter usum pecunie
respondentis valori domus, vel
prædii. Id fieri absque usura
non potest, quia prior usus æsti-
mari quidem valet seorsim a do-
mo, vel prædio, secus poste-
rior, qui alias non est, quam
ipsa pecunia distractio.

(b) Conditiones a S. Pio V.
præscriptæ, aliae jus naturale,
& divinum declarant, quales vi-
dentur esse; quæ præscribunt,
ut census constitui non possit,
nisi in re immobili, & quæ pro
immobili habeatur, & sui natu-

ra frugifera sit. Aliæ fraudis,
& usuræ pericula præavent, ut
sunt, quæ tribuunt censuario fa-
cultatem alienandi rem censiui
subjectam, & redimenti censem
eodem, quo vendidit pretio:
quæ jubent, ut pretium solva-
tur numerata pecunia, ac ve-
tant conventiones obligantes ad
usus fortuitos; & ne census ex
pensionibus non solutis augeat-
tur. Aliæ præscribunt æquio-
rem, & honestorem modum ce-
lebrandi census: ut quæ præla-
tionem adjudicant censuario in
emptione rei censiui subjecta;
quæque obligant censuarium, ut
cum velit censem redimere, an-
te bimestre id censuista denun-
ciet.

tiones postulat emptio census temporalis, & vitalitii.

§. II.

De Cambiis (a).

Q. 1. Quid, & quotuplex sit cambium?

R. Cambium est *permutatio negotiatoria pecuniae pro pecunia*. Duplex est: aliud verum, & reale, estque vera, & legitima pecuniarum permutatio; sive sit permutatio pecuniarum diversæ rationis de manu ad manum, ut aureæ cum argentea, majoris cum minutiori, vetitæ cum legitima, antiquæ cum nova, exteræ cum vernacula: quod cambium *minutum*, seu *manuale* vocant; sive sit permutatio pecuniae præsentis cum absente: quod cambium *locale*, seu per litteras appellatur. Aliud cambium est *simulatum*, quod *siccum* dicitur.

Q. 2. Utrum in cambio aliqua committatur usura?

R. In cambio reali nulla est usura, quia merces, quam tradens pecuniam permutandam, vel transmittendam, campsori solvit, non est propter ipsam pecuniam traditam, sed ob onera, quæ campsori incumbunt: nam campsor debet habere semper paratas varias pecuniae species, collybisticas litteras scribere, curam, laborem, periculum fuscipere transmittendi pecuniam, assecurandique campsario ubi opus habet; solvere etiam mercedem ministris, quibus indiget: quæ omnia sunt pretio æstimanda.

At contra cambium *siccum* est verum *mutuum*, *cambi realis* velamine obtectum; quo scilicet campsor alicui hic pecuniis indigenti, dat summani pecuniae confictis litteris ad locum distantem, ad quem tamen non mittuntur, cum certum habeat, nullum ibi campsoris agentem residere, nec pecuniam illic

nu-

(a) De his agit. Nat. loc. cit.

numerandam postulet, sed hic mutuata numeretur. Hoc falsi nominis cambium usurarium est, cum in eo detur summa quædam pecuniae, ut postmodum tota recipiatur cum lucro, cuius exigendi, aut recipiendi nullum titulum habet campor, qui ob solam temporis moram aliquid exigit ultra sotem; illudque S. Pius V. Constit. quæ incipit, *In eam, damnat (a).*

(a) S. Pius V. nedum damnavit cambia sicca, sed in ipsis etiam cambiis realibus quasdam conditiones servandas praescripsit. Ac 1. ut nihil pro dilatatione solutionis ultra terminum præstitutum exigatur. Ut nemo audeat pacisci certum, ac determinatum interesse, casu, quo fors tempore, & loco præfixo non solvatur. 3. Ut cambium non instituatur, nisi ad proximas nundinas, vel ad proximos terminos, casu, quo nundina non celebrentur. 4. Ut termini ad solvendum non instituantur longiores, quam postulet distantia locorum. Vide Constitutionem citatam.

Ex quibus infertur 1. usurarium esse cambium ad certas nundinas, vel ad constitutum terminum cum lucro eo majori, quo longiori tempore vel nundina, vel termini distant: sic enim lucrum exigitur ob dilatam solutionem, quod Piana Constitution declarat usurarium. Titulus lucri cessantis, & damni emergentis vix umquam excusat; quia vix umquam mercatores cambium instituant dilata solutione, nisi cum eis deest occasio faciendi cambium ad certum lucrum. Sp-

let autem cambium descriptum appellari *Francofurtense*.

Infertur 2. usurarium esse cambium cum recambio, quod Itali vocant *cambio colla ricorsa*, ut si v. gr. campor det Romæ campario pecuniam restituendam, seu cambiam Parisis; sed cum sciat, camparium Parisis nec pecuniam habere, nec corresponsentem, a quo pecunia solvatur, exhibet proprium corresponsentem, a quo novas litteras accipiat cum recambio Rome eidem Romano Campori solvendo. Cambium istud Piana Constitutioni adversatur; ipso namque pecunia ibi demum cum duplice lucro reposcitur, ubi contractus fuerat celebratus.

Inferrur 3. usurarium esse cambium, quod dicitur obliquum, quo Titius v. g. indigens mille aureis, mutuo eos petit a Cajo, & onus sibi assumit negotiandi cambiis tantam pecuniae summam, quantum mutuo accepit a Cajo, in commodum tamen ejusdem Caji, cui quotannis solvit quantum lucratur, vel posset lucrari ex cambiis, donec ei mutuum restituat. Vide Benedictum XIV. lib. 10. de Synodo cap. 5.

§. III.

De Contractu Societatis (a).

Q. I. **Q**uid sit contractus societatis? & an licite iniri possit?

R. Societas est quodam *jus fraternitatis* (b), & definitur: *Contractus solo consensu initus, quo duo, pluresve inter se conjunguntur, ut aliquid in commune conferentes, uberioris utilitatis, & quæstus, aut certe commodioris usus participes sint.* Hæ præcipue requiruntur conditions ad societatis contractum licite ineundum. 1. ut qui confert pecuniam, aliamve rem aptam ad faciendum lucrum, illius dominium in socios non transferat: unde si capitale pereat, ipsi uni perit, modo pereat absque dolo, culpaque socrorum, qui tantam diligentiam communibus rebus adhibere tenentur, quantam suis adhibere solent (c). 2. ut damnum rerum, & operarum, quæ in societatem conferuntur, pro rata pertinere debat ad conferentes; ut v. g. si alter socius centum, alter biscentum in societatem contulit, ex iisque pecuniis cumulus unus factus sit, periculum, expensæ, & damnum pro tertia parte ad unum socrorum pertineat, pro duabus reliquis ad alterum: & similiter si æquales operas socii in commune contulerint, damnum operarum ad utrumque spectet pro rata parte. 3: ut lucrum commune sit, itaut conferantur pecuniæ pecuniis, operæ operis, lucrum lucro, & tandem unicuique fructus pro rata parte pecuniæ, industriæ, operarum, aliarumve rerum in societatem collatarum, ex æquo, & bono dividantur in socios.

His prælibatis, sequitur 1: usuram commiti ab eo, qui

(a) Vide Nat. l. 3. t. 1. c. 7. a. 5. reg. 23. & 25.

(b) L. verum, ff. pro socio. (c) l. 3. Instit. t. 16.

qui pecuniam in societatem confert, cum pacto, ut fors illi salva sit, fructus vero communiter dividantur: vel ea conditione, ut damnum commune non sit, lucrum vero inaequaliter dividatur: vel ut aliquid ultra quotas recipiat, sive pecunia sit, sive aliud pretio aestimabile. Cum enim sic non serventur jura societatis, societas in mutuum degenerat, ex quo lucrum captatur (a).

Sequitur 2. licite non posse participare lucrum ex societate proveniens illos, qui negotiatoribus, vel artificibus pecunias conferunt, in damni aequa, ac lucri communionem venire volentes, sed nihilominus ad securitatem suam exigunt a mercatore, vel artifice schedulam de pecunia data, non sub nomine societatis, sed mutui, vel depositi. Hi, inquam, non possunt licite participare lucrum societatis: tum quod possent pro arbitrio suo mutare intentionem, & totum capitale petere tamquam mutuatum, ut ostendit schedula, casu, quo mercator jacluram faceret: tum quod possent eorum haeredes, si forte illi intestati morerentur, debitum exigere, prout schedula praefert: tum quod id vergat in proximi scandalum putantis, ipsos ex mutuo fructum percipere. Quare contractus rescindi debet (b).

Potest tamen quis ob securitatem pignus accipere, modo nullam utilitatem inde percipiat. Item pacisci, ut mercator sufficienter ostendat damnum incuruisse, ad providendum sibi de capitali contra fraudes mercatorum. Præterea pactum inire potest, ut pecunia in quibusdam locis, & mercibus exerceatur, & non in aliis, & si secus faciat mercator, & damnum patiatur, ei totum sit adscribendum (c).

Q. 2.

(a) S. Thom. 2. 2. q. 78. a. 2. ad 5.

(b) S. Antonin. p. 2. t. 1. c. 7. q. 39.

(c) Idem ibid.

Q. 2. An liceat animalia in societatem tradere eo pacto, ut fors, sive caput semper salvum sit, nec tradenti pereat, sed accipienti, quamvis fortuito, absque socii accipientis dolo, culpaque pereat: vel ea conditione, ut aliquid praeter sortem ex fructibus animalium quotannis solvatur (*a*)?

R. Hic contractus usurarius est, cum societatis iura violentur. Et ob eamdem rationem usuram committit, qui alicui dat certa animalia pascenda sub certa mercede, vel sub certa participatione provenitus, imputato tamen conductori periculo, etiamsi damnum non procedat ex negligentia custodiæ. Si autem periculum sit penes dominum, est contractus locationis, &c de se licitus. Usuram quoque committit, qui dat animalia veluti per modum mutui, ut scilicet idem sit numerus, & pretium eorum in omnem eventum, sed exigit partem lucri, salvo capitali: lucrum enim percipitur ratione mutui. Licitus autem esset contractus, si totum lucrum, & damnum foret illis, cui animalia traduntur; esset enim idem ac mutuum (*b*).

Usura pariter est, si animalia eo pacto locentur, vel concedantur ad usumfructum pro certo pretio exsolvendo, ut si deteriora fiant etiam absque culpa conductoris, id sit ipsius conductoris damnò; & similiter usura est, si quid salva forte tunc a locatori percipiatur, cum animalia dantur æstimata. Cæterum in societate animalium eadem conditio-nes, quæ in aliis societatibus, reperi debent.

(*a*) Nat. loc. cit. reg. 36.

(*b*) Vide S. Antonin. p. 2, t. 1, c. 7, §. 40. seqq.

§. IV.

De Contractu trino (a).

Q. **A**N sit licitus hujusmodi contractus?
 R. Contractus hic triplici contractu constat. Primus dicitur *societatis*, in quem unus pecuniam, alter operam, & industriam confert, ita ut ambo lucri, damnique communionem ineant. Secundus dicitur *assecurationis fortis*, seu *capitalis*, quis, qui pecuniam confert, eum socio paciscitur de securitate *capitalis*, ne pereat, & pro tali securitate dat ei aliquod pretium, vel tantudem ex lucro remittit. Tertius dicitur *venditionis lucri majoris*, quod speratur, pro lucro minori, sed certo; quis, qui pecuniam contulit, ac de *capitalis* sui securitate pactus est, rursus cum socio paciscitur de certo lucro probabili pro incerto lucro sperato; atque ita socium ab onere rationum reddendarum, tam quoad lucrum, quam quoad damnum eximit. V. g. Titius confert Sempronio mercatori mille aureos in *societatem*, spem lucrandi 130. Ex summa ista lucri sperati Titius illi remittit 60. aureos, ut de securitate *capitalis*, nempe 1000. aureorum ipsi caveat, qualiscumque sit *negotiationis exitus*: rursus eidem socio remittit 20. alios aureos, ut sine ullo prorsus periculo damni, quod posset fortuito contingere 50. aureos residuos lucretur. Hinc Titio obstringitur Sempronius reddere intra certum tempus sortem integrum, idest 1000. aureos, & insuper lucrum 50. aureorum.

Horum trium contractuum conjunctio in mutuum fœneratitium degenerat: cum enim totum damnum, si fortuito contingat, in sociorum alterum refundatur, evertitur *societatis lex*, qua *damna*, & lu-

(a) Vide Nat. loc. cit. reg. 24. &c Epist. 95.

& luçra debent esse communia , & æqualia ideoque tradens mercatori mille aureos , eique pro illorum securitate veluti numerans 60. rursumque de lucro 50. paciscens , quid aliud facit , quam mutuodare 1060. ut quinquaginta supra sortem lucretur ? Quocirca cum trium contractuum quæstio a Navarro ad Sextum V. fuisse delata , is ea diligenter examinata , trium contractuum artem velut fœneratiam damnavit Constitutione , quæ incipit *Detestabilis* ; illosque contractus temere contrahere præsumentes , aut illorum prætextu ad exactionem fortis , postquam illa in toto , vel in parte fortuito perierit , vel amissa fuerit , aut certæ summæ , vel quantitatis annuæ , aut menstruæ sibi promissæ , procedere audentes ; in pœnas contra fœneratores a Sacris Canonibus latas eo ipso incurrere declarat . Constitutionem hanc nonnulli vanis subtilitatibus eludere frustra conantur . Fatentur tamen & ipsi laxiores Casuistæ , qui opinionem trium contractuum ut probabilem propugnant , eam periculi plenam esse , nec cuiquam suadendam . An eos ergo sequiturum est ?

§. V.

De Locatione, & Conduktione.

Q. 1. Quid sit locatio? quid conductio?

R. Locatio est *contractus onerosus* , quo usus , vel fructus rei , aut personæ traditur ad certum tempus pro pretio . Econtra conductio est *contractus* , quo usus rei , vel personæ emitur ad certum tempus pro pretio , seu pensione solvenda . In his contractibus non transfertur dominium rei , sed solum conceditur usus , vel ususfructus . Locatur autem non tantum usus rei , sed etiam personæ ; famuli enim , & artifices suas operas locant . Verum quæ res usu consumuntur , v. g. pecunia , locari , vel commodari non

possunt, quia in ipsis usus rei aestimari non potest seorsim ab eadem re.

Q. 2. Quæ conditions requirantur, ut locatio sit licita?

R. Ad locatorem quod spectat, requiritur 1. ut rei locatæ vitium declareret, remque tradat utilem ad usum, in quem locatur; alioquin lethaliter peccat, si inde sequutum est, vel sequi verisimiliter poterat notabile damnum conductori, quod proinde compensare tenetur (*a*). 2. ut præstet, vel compenset expensas pro congrua conservatione, vel convenienti usu rei locatæ; ideoque conductor impeditus ab usu, vel fructu rei locatæ, si impedimentum proveniat ex locatore, liber est ab onere solvendæ pensionis pro tempore, quo uti, vel frui re locata nequivit (*b*). Si vero impedimentum continget ex ipso conductore, pactam pensionem solvere tenetur; non enim debet referre commodum ex impedimento, quod ipse apposuit. 3. requiritur, ut pensionem conventam, illiusve partem locator conductori remittat ob casus fortuitos. 4. ut sine causa legitima rem locatam non repeatat ante præfixum tempus.

Ex parte conductoris requiritur 1. ut ne re conducta utatur, nisi ad eum usum, ad quem conductit. 2. ut solvat pensionem tempore condicto. 3. ut sine legitima causa ante tempus præfixum a locatione non recedat. 4. ut rem locatam domino restituat quallem accepit, itaut ejus culpa lata, vel levi deterior facta non sit.

Quod ad locationem famulorum pertinet, animadverte, dominum, qui utilitatem propriam ex famuli necessitate captans, stipendum justum, seu quod

(*a*) S. Antonin. 2. P. t. 1. c. 15. §. 6.

(*b*) L. 33. ff. locati conducti.

quod communiter præstari solet, ei non impedit, in iustitiæ reum esse, & teneri ad satisfaciendum de damno; quia, ut ait Justinianus (a), locatio, & conductio proximæ sunt emptioni, & venditioni, iisdemque consistunt legibus: vilius autem emere rem, quam valet, iustitia est; igitur & vilius emere servitutem. Si tamen famulus ultero se domino obtulisset, hic vero ex charitate solum, atque ad ejus preces ipsum conduxisset, servitus estimanda esset non ex sui valore, sed ex utilitate, quam dominus ex illa perciperet.

§. VI.

De Emphyteusi, Feudo, & Libello.

Q. I. **Q**uid sit Emphyteusis; & ad quid Emphyteuta teneatur?

R. Emphyteusis est contractus, quo res immobilis alicui fruenda traditur, vel in perpetuum, vel ad vitam ejus, vel ad tempus non minus decennio, sub obligatione pensionis reddendæ domino proprietatis in recognitionem dominii directi. Convenit cum usufructu, quia dominium utile transfert in emphyteutam. Differt ab usufructu, quia ususfructus constitui potest in rebus mobilibus, & finit more usufructuarii; emphyteusis vero solum constitui potest in rebus immobilibus, nec finit morte emphyteutæ. Denique emphyteusis potest in alium simpliciter transferri, secus ususfructus: debet tamen emphyteuta monere dominum directum, qui in emptione aliis præfertur; ipso tamen irquisito, potest emphyteuta rem locare emphyteuticam per decennium. Cum autem emphyteuta vendit, vel donat, aut permutat bona emphyteutica, is qui ea

Gg 2 ac-

(a) L. 3. Instit. tit. 25.

accipit, tenetur solvere *laudemium* domino directo pro investitura; quod sic dicitur a laudando, quia dominus proprietarius recognoscitur.

Porro emphyteuta si per triennium domino laico, & per biennum non solvit Ecclesiæ pensionem, quam *canonem* vocant, ipso facto incidit in pœnam commissi, itaut dominus directus possit re emphyteuti ipsum privare.

Q. 2. Quid sit Feudum? quid Libellus?

R. Feudum est concessio rei immobilis cum translatione dominii utilis, retento directo, sub onere fidelitatis, & obsequii personalis. Differt ab emphyteusi 1. quia in puro feudo non præstatur pensio realis, sed tantum obsequium personale. 2. quia emphyteusis, mortuo domino, absque novo onere continuatur; at feudum renovatur, mortuo domino, vel vassallo. Tenetur autem feudatarius 1. præstare domino juramentum fidelitatis. 2. statim temporibus requisitis debita exhibere obsequia. 3. rem feudalem nulla ratione distrahere, inconferto domino.

Libellus dicitur, cum emphyteuta, vel feudarius rem, quam in emphyteusim, aut feudum accepit, simili contractu alteri tradit, itaut sit quasi subemphyteusis, & subfeudum. Si in decennium fiat, requiritur domini consensus.

§. VII.

De Commodato, Precario, & Deposito,

Q. 1. Quid sit Commodatum? quid Precarium?

R. Commodatum est rei alicujus quoad usum solum gratuita concessio ad certum tempus (a). Precarium est rei alicujus quoad usum solum gratuita con-

(a) §. item, Instit. quibus modis.

concessio ad nutum concedentis revocabilis (a). In utroque dominium non transfertur, sed solum conceditur usus cum onere restituendi eamdem numero rem. Res commodata repeti non potest, nisi elapso praestituto tempore: at res precario data potest repeti ad nutum concedentis. Et si autem res commodata detur ad usum commodatarii, is tamen illa uti non potest, nisi ad usum sibi præfinitum a commodante (b); eamque restituere tenetur constituto tempore (c): ante non tenetur, nisi commodator aliqua necessitate inopinata urgeretur; non enim censetur casum inopinatum in concessione comprehendisse, qui rem suam gratuito commodavit. Tenetur etiam commodatarius rem commodatam ita diligenter custodire, quomodo res suas custodire solet (d). Peccat autem, & ad compensanda damna tenetur, si commodato utitur, vel ultra prefixum tempus, vel ad alium usum, ac ipsi commodata res fuit: æquum enim est, ut quisque re nostra utatur, quatenus ei tribuere velimus (e).

Q. 2. Quid sit Depositum? & quæ ejus leges?

R. Depositum est contractus, quo sola rei custodia alterius fidet committitur, ut integra restituatur. Leges depositi sunt 1. ut nequeat depositarius re deposita uti absque expresso, vel tacito deponentis consensu. Siquidem qui rem depositam, invito domino, sciens prudensque in usus suos converterit, etiam furti delicto succedit (f); ipsi enim commissa est custodia rei, non usus concessus. 2. ut rem depositam depositarius restituere teneatur, si pereat ejus culpa, juxta ea, quæ alibi diximus.

Ex quibus infertur, depositarium teneri ad solvendum pretium usus, si re, cuius usus pretio aesti-

(a) L. i. ff. de precario.

(b) L. si ut certo, ff. commodati, §. quin imo.

(c) L. de restituendis, C. de commod.

(d) L. si ut certo ff. commod. §. quod vero.

(e) L. & habet ff. de precario. (f) L. si depositi, C. depositi.

matur, v. g. ueste utatur absque domini consensu: nam usus, & fructus rei depositæ ad dominum pertinent (a). Nec præsumi facile debet domini consensus; quia usus hujusmodi rerum minuit earum valorem in domini damnum. Nullo autem modo talis consensus præsumi potest, si dominus saccumulum, vel argentum signatum deponat; ex ipso enim deponendi modo satis constat opposita domini voluntas; cui proinde merito a lege tribuitur adversus depositarium actio depositi, & furti (b).

Infertur etiam, depositum reddendum esse ad arbitrium deponentis, ne res aliena invito domino detineatur; nisi forte deponens in suam, vel aliorum perniciem illud deposcat, ut si furiosus, vel Reipublicæ hostis arma deposita petat (c).

§. VII.

De Tutela, & Cura.

Q. 1. **Q**uid veniat earum nomine?

R. Tutelæ nomine venit quasi contractus, quo tutor obligatur ad habendam curam, & procuranda bona pupilli perinde, ac si aliquo contractu eam obligationem suscepisset. Nomine curæ intelligitur quasi contractus, quo curator adstringitur ad conservanda, & administranda bona minoris, ejusque curam habendam perinde, ac si ex contractu ad hanc curam teneretur. Vocantur quasi contractus, quia vis contractus suppletur auctoritate legis, vel Principis. Differunt ab invicem, quia tutor principaliter ad curam, educationem, & institutionem personæ, secundario in curam bonorum datur; at curator econtra.

Tutor, & curator, aliis institutus est testamento

pa-

(a) L. videamus 2. ff. de usur. (b) L. si saccumulum, ff. depositi.

(c) S. Thom. 2. 2. q. 57. ar. 2. ad 1.

patris, & dicitur testamentarius ; alius a lege constituitur, si testamento constitutus non est, proximior nempe consanguineus, qui succederet ab intestato, & appellatur legitimus ; alius datur a Judice, cum neque testamento constitutus est, neque inter consanguineos pupilli inveniuntur persona idonea ad tutelam, & nuncupatur dativus.

Q. Qui possint in tutores, & curatores dari?

R. Fœminæ tutrices dari non possunt, quia id munus masculorum est (*a*). Avia tamen potest esse tutrix nepotum, & mater liberorum, si velit, ac promittat, se ad alias nuptias non transiitram, quin prius tutellam abdicet, ejusque rationem reddat (*b*). Si autem iterum nubat, nec liberis tutores dari curet, nec rationem reddat, aut debitum non complevit, vel ipsis salvum non præstitit, singulæ facultates secundi viri eis oppignorantur, tam de præterito, quam de futuro (*c*).

A tutela, & cura excusantur, qui 70. expleverunt ætatis annum : qui quinque filios superstites habent : minores etiam tutoris munere fungi non possunt. Clerici sacris iniciati ad tutelam, & curam non compelluntur ; possunt tamen, & quandoque tenentur orphanorum consanguineorum, miserabiliumque personarum tutelam suscipere.

Q. Quæ sint officia tutoris, & curatoris?

R. Tutor veluti pater debet curam gerere pupilli, ejus personam tueri, ipsum sancte instituere, studere, ut artes, vel scientias sibi convenientes addiscat, ejus denique bona fideliter, diligenterque administrare.

Curator etsi principaliter detur ad curanda bona minoris; nihilominus tenetur etiam personam curare, ejusque educationem, & institutionem.

(*a*) L. tutelam, C. quando mulier &c. (*b*) Auth. matri, ibid.

(*c*) L. si mulier, C. in quibus causis pignus &c.

Hinc tutor, & curator, antequam in rebus pupilli, vel minoris administrandis se immisceant, debent 1. jurare, se fideliter officio functuros, sequere fidejussores dare restituendi salva, & integra pupilli, minorisve bona. 2. Judicis auctoritate describere debent indicem bonorum omnium pupilli, vel minoris, ut sciant, quorum bonorum ipsis cura demandetur. 3. omnia eorum bona, jura, & actiones diligenter conservare; curare etiam, ut ex iis anni redditus percipiantur; vendere bona alias peritura, ex mobilibus praedia idonea comparare. 4. in annos singulos rationem reddere administrationis, in qua si negligentes, vel infideles extiterint, rei sunt injustitiae, & restituere tenentur non solum rem ablamat, vel amissam, sed totum lucrum cef-sans, & damnum emergens compensare: ipsorum autem bona omnia sunt tacite hypothecata pupillis, & minoribus, itaut ad quemcumque pervenerint, illi possint ea sibi vindicare.

§. IX.

De Assecratione, Fidejussione, & Transactione.

Q. 1. **Q**uid sit assecratio; & quæ conditiones, ut justa sit?

R. Assecratio est *contractus*, quo *aliquis pacto pre-tio, alienæ rei periculum suscipit, damnum sive in to-tum, sive in partem compensaturus*. Cum susceptio talis periculi sit pretio æstimabilis (*a*), exigere ali-quid ut pretium periculi, & oneris suscepti, usura vacat (*b*). Verum necesse est 1. ut pretium sit ju-stum, considerata ratione periculi, & æstimatione rei, quæ in securitatem asseritur. 2. ut pericula sint vera,

(*a*) *L. periculi ff. de nautico fœn.*

(*b*) *S. Antonin. 2. p. t. I. q. 7. §. 22.*

vera, & assessori simul, atque ei, cui fit assessoratio subesse judicentur, ita ut rei eventus utriusque æqualiter sit incertus. 3. ut assessor in bonis habeat tantumdem æquivalens merci, pro qua assecurationem præstat (a).

Q. 2. Quid sit Fidejusso; & quæ ejus leges?

R. Fidejusso est *contractus*, quo quis se obstringit ad alterius implendam obligationem, deficiente *principalī debitore*. Quocirca requiritur 1. ut *principalis* vere obligetur. 2. ut fidejusso non plus teneatur solvere, quam *principalis*; nam ejus obligatio est accessio *principalis obligationis* (b). 3. ut fidejusso conveniri non possit, nisi conuento *principalī*, seu post adhibitam a creditore diligentiam, ut a *principalī* solutio fieret; modo tamen fidejusso non consenserit, ut ipse primum conveniretur; vel nisi plane constet, debitorem *principalem* non esse solvendo; aut nisi fidejusso interpellatus negaverit se esse fidejussorem (c).

Fidejussores esse possunt quicumque liberam bonorum administrationem, & dominium habent. Onus autem fidejubendi ejusmodi est, ut ad ejus hæredes transeat; nam fidejussos locum obtinet debitoris *principalis*.

Q. 3. Quid sit Transactio; & quæ ejus vis?

R. Transactio est *contractus onerosus*, quo *jus dubium*, & *incertum* componitur inter partes. Habet eamdem auctoritatem, ac *Judicis sententia* (d). Quare semel facta transactione, non est locus restitutio-
ni in integrum, nisi accesserit læsio enormis.

§. X.

(a) Vid. S. Antonin. 3.p.t.3.c.3.§.2. (b) L. 3. Inst. de fidejus. §.5.

(c) L. si dubitet. ff. de fidejus. & mandat.

(d) L. non minorem C. de transact.

§. X.

De Ludo, & Sponfione (a).

Q. i. **U**id sit ludus? & an licitus?
R. Ludus alias est sine pacto, alias cum pacto. Primus definitur: *certamen duorum, vel plurimum ad animi oblationem*. Alter: *pactum oblationis animum, & in commune deponentium aliquid censorum victori*. Ut prior ludus sit licitus tria requiruntur, 1. ut delectatio non queratur in rebus, aut in verbis, quæ non licent. 2. ne per ludum gravitas animi omnino resolvatur. 3. ut ludus congruat loco, tempori, ac personæ.

Similiter ut ludus ex pacto licitus sit præter memoratas conditiones, requiritur 1. ut ludus non sit interdictus. 2. ut ludens liberam habeat administrationem, & dominium rei, quam ludo exponit. 3. ut absit coactio. 4. ut inter ludentes servetur æqualitas. 5. ut ludentes non utantur fraudibus contra leges ludi. 6. ut non intendatur principaliter lucrum. 7. observare oportet conditiones, si quæ sint statutæ a Principe, vel Magistratu; in ipsis enim ludis leges civiles obligare conscientiam, docet S. Thomas (b).

Est ergo lethalis fraudis reus, qui in quovis ludi genere summam notabilem fallendo, aut receptas ludi leges violando lucratur; furtum enim facit, ideoque tenetur restituere (c). Idem dicendum de illo, qui se victorem in ludo certo novit ob collusorum inæqualitatem. Idem de illis, qui in ollæ ludo, quem Lotteriam vocant, permутant, vel imminuunt præmia, vel schedulas alterant, quibus fit fortis.

(a) Vide Nat. l. 3. t. 1. c. 6. ar. 5. reg. 18. seq.

(b) 2. 2. q. 32. ar. 7. ad 2. (c) Ibid.

fortitio, vel præmia proponunt non extantia; vel distractis præmiis ludum prorogant.

Is autem ludus ut sit licitus, postulat, ut qui Lotteriam in privatum commodum instituit, non plus inde lucretur, quam si quovis alio contractu lictio suas merces distraheret. Si vero fiat in publicam utilitatem auctoritate Principis, aliquid amplius lucrari potest, prout arbitrio prudentum ad publicam necessitatem sublevandam, vel ad causam piam promovendam, visum fuerit decernere, quantum quisque fortientium inferre debeat.

Q. 2. Quid sit Sponsio? & quando licita?

R. Sponsio est contractus, quo duo, vel plures de veritate alicujus rei contendentes, ponunt præmium pro eo, qui veritatem fuerit assequutus. Sponsonis eadem fere sunt conditiones, ac ludi. Quare lethalis fraudis reus est, & restitutioni obnoxius, qui certus de aliquo eventu, spondet, nisi ante sponsonem professus sit, se esse de ea re certum. Nec enim posset absque fraude pretium sponsonis sibi vindicare, si alter diverso sensu accepisset id, de quo facta est sponsio. Sunt autem quædam sponsiones jure civili vetitæ; quædam jure naturæ, quia criminibus viam aperiant, aut spondentibus occasionem præbent aliquid agendi contra jus, & officium; ut si sponsio fiat cum eo, qui crimen meditatur, quod illud non audebit facere; inflammatur enim ad crimen perficiendum. Item si sponsio fiat de morte hominum, de victoria a Rege non obtainenda &c.

SECTIO VII.

De Virtutibus Justitiae adnexis.

Q. **U**ot eæ sint?

R. Novem numerantur virtutes Justitiae cognatae, Religio, Pietas, Observantia, Veritas, Gratia, Vendicatio, Liberalitas, Amicitia. Religio est virtus, qua Deo debitum cultum exhibemus. Ejus actus sunt Devotio, Oratio, Adoratio, Sacrificium, Oblatio, Votum, Juramentum. Eadem opponitur Supersticio, Tentatio Dei, Perjurium, Sacrilegium, Simonia, de qua jam actum est. De Religione infra tractabimus in primo Præcepto Decalogi.

Pietas est virtus, qua parentibus, consanguineis, patriæ, concivibus debitus cultus, officiumque tribuitur.

Observantia est virtus, qua homines in dignitate constitutos debito honore prosequimur; quamquam omnes homines mutuo se honore prævenire debeant, ut monet Apostolus Rom. 12. Honorem invicem prævenientes; nam in unoquoque est aliquid, ex quo potest alter eum se saceriore censere.

Obedientia est virtus, qua Superiorum præceptis expressis, vel tacitis morem gerimus. Voluntas enim Superioris quocumque modo innotescat, est quodam tacitum præceptum. Et tanto videtur obedientia promptior, quanto expressum præceptum obediendo prævenit, voluntate tamen Superioris intellecta (a). Majoris ut plurimum meriti est obedientia in rebus propriæ voluntati repugnantibus, quia tunc in opus præceptum non ex propria voluntate, sed ex præcepto tendimus.

Ve-

(a) S. Thomas 2. 2. q. 104. ar. 2.

Veritas, seu veracitas est virtus, qua homo, & vita, & sermone tamē se exhibet, qualis est. Id autem faciendum est, cum oportet, & secundum quod oportet. Nam *vitiosum est*, quod aliquis sine debita causa laudet seipsum etiam de *vero*. *Vitiosum est* etiam, quod aliquis peccatum suum publicet, quasi se de hoc laudando, vel qualitercumque inutiliter manifestando. (a). Veritati opponuntur hypocrisis, & jactantia, de quibus jam diximus; ac mendacium, de quo infra dicemus.

Gratia, sive gratitudo est virtus, quæ officiorum, & beneficiorum ab aliis acceptorum compensationem dirigit, ad eamque inclinat. Benefactoribus enim nostris gratias debemus, etiam si beneficia compensare nequeamus. Id facimus tum gratias agendo, tum honorem, & reverentiam exhibendo, tum beneficia recolendo, tum pro illis precando, tum gerendo animum promptum ad compensationem, & officia præstanda. Gratiae autem opponitur ingrati animi vitium. Porro *ingratus* dicitur aliquis dupliciter, uno modo per solam omissionem, puta, quia non recognoscit, vel non laudat, vel non retribuit vires pro beneficio accepto. Et hoc non semper est peccatum mortale, quia debitum gratitudinis est, ut homo etiam aliquid liberaliter tribuat, ad quod non tenetur; & ideo si illud pretermittit, non peccat mortaliter. Est tamen peccatum veniale, quia hoc provenit ex negligentia quadam, aut ex aliqua indispositione hominis ad virtutem. Potest tamen contingere, quod etiam talis ingratitude sit peccatum mortale, vel propter interiorem contemptum, vel etiam propter conditionem ejus, quod subtrahitur, quod ex necessitate debetur benefico, sive simpliciter, sive in aliquo necessitatis casu. Alio modo dicitur aliquis *ingratus*, quia non solum prætermittit im-

plerere

(a) Ibid. q. 109. ar. 1. ad 2.

plere gratitudinis debitum, sed etiam contrarium agit.
Et hoc etiam secundum conditionem ejus, quod agitur,
quandoque est peccatum mortale, quandoque veniale (a).
Subtractionem beneficii meretur ingratus: sed non
facile debet quis ingratus judicari; forte enim ipsi
facultas deest, aut opportunitas reddendi. Beneficus
autem eniti debet, ut ex ingrato gratum faciat,
beneficia addendo; si tamen hic ingratior fiat, a
beneficiis est cessandum.

Vindicatio est virtus, qua vis, vel injuria defendendo, aut juste puniendo propulsatur. Necesse est autem 1. ut publica, non privata auctoritate pena inferatur; 2. ut pena infictio non sit gravior, quam lege constituta est; 3. ut intentio feratur praecipue ad emendationem peccantis, vel ejus cohibitionem, & quietem aliorum, ac justitiae conservationem, non in malum illius, de quo vindicta sumitur, quod pertineret ad odium. Vindicationi opponitur per excessum crudelitas, seu fævitia; per defectum vero opponitur remissio in puniendo.

Liberalitas est virtus, qua bene utimur bonis externis. Qui vere liberalis est, ægre recipit, dat libentissime, cum oportet, & prout oportet; numquam petit. Liberalitas maxime exercenda est erga egenos. Reperitur secundum habitum in illis etiam, qui censu tenues sunt, si tamen sint pii; supplerunt enim officiis, & consiliis, quod pecunia non possunt. Vere autem in illis non est, qui gloriæ causa, non ob bonum virtutis sua largiuntur. Liberalitati opponitur avaritia per defectum, prodigalitas per excessum.

Affabilitas, seu amicitia virtus est, qua homo ad alios homines in communi convictu comiter se habet, dictaque sua, & facta ita moderatur, ut nemini-

(a) S. Thom. 2. 2. q. 107. ar. 3.

neminem offendat, & vicissim aliorum dicta, & facta sine offensione accipiat. Verum his qui proni sunt ad peccandum, non debemus hilarem vultum ostendere ad eos delectandum, ne videamur eorum peccato consentire, & quodammodo peccandi audaciam ministrare (a). Huic virtuti opponitur adulatio, & litigium, seu morositas, qua aliquis alios contristare non veretur, illorum facta, & dicta improbans, & fugillans. Vir morosus vultu severitatem demonstrat, alios gravate audit, dure excipit, ac tractat: quod ab Ecclesiasticis maxime viris, Pastoribusque animarum fugiendum est, cum impedit, ne sacrum ministerium fructuose impleant.

SECTIO VIII.

De Fortitudine.

Q. I. **Q**uid sit, quotplex, & quæ ejus officia?
R. Fortitudo est *virtus*, qua labores, mortisque pericula constanter suscipiuntur, & perforuntur, ne voluntas retrahatur a bono rationis propter timorem mali corporalis (b). Ipsa nimium timorem cohibet, & audaciæ impetum moderatur.

Alia est domestica, alia bellica. Prima est, qua firmitatem animi in adversis retinemus, ut sunt amissio patrimonii, honoris, &c. constantesque sumus adversus vitæ pericula pro justitia suscepta. Altera est, quæ adversus hostes præliando declaratur, sive prælium corporale sit, sive spirituale.

Duplex est actus fortitudinis, res arduas aggredi, & pericula adire; ac sustinere invicto animo res adversas. Fortitudo magis eluet in preferendo, quam in aggrediendo, quia difficilius est reprimere timorem, quam audaciam moderari; ideoque Martyrium

(a) S. Thom. 2. 2. q. 114. ar. 1. ad 3.

(b) Idem ibid. q. 123. ar. 4.

tyrium heroicæ fortitudinis est actus, quia Christianus fidem & justitiam non deserit ob mortis pericula. Consummatur Martyrium sola morte pro fide, vel justitia; martyrem enim non facit pena, sed causa. Cuivis Christiano necessaria est fortitudo adversus pravas cupiditates, mundi blanditias, & impugnations diaboli. De his egregie S. Ambrosius (*a*) agit.

Q. 2. Quæ virtutes fortitudini adjungantur?

R. Quatuor virtutes adjunguntur fortitudini, Magnanimitas, Magnificentia, Patientia, & Perseverantia. Magnanimitas est virtus, quæ magnorum honorum spem, & desideria moderatur; nam ita est circa honores, ut studeat facere ea, quæ sunt honore digna; non tamen sic, ut pro magno æstimet humanum honorem (*b*). Quapropter magnanimus non est, qui agit contra virtutis officium, ut ad honores perveniat, eosque immoderate expetit; sed qui intendit magna operari in qualibet virtute, in quantum scilicet tendit ad ea, quæ sunt digna magno honore (*c*): paratus honores suscipere, vel recusare, prout Dei gloriæ, suæ saluti, publicæque utilitati conducere judicabit. Magnanimitati per excessum opponuntur præsumptio, ambitio, inanis gloria, per defectum pusillanimitas.

Magnificentia virtus est, quæ ad magna opera in exteriori materia magnis sumptibus facienda secundum rationis, & divinæ legis regulam animum inclinat. Illa vel publica est, vel privata. Publica, cum ad publicos usus magni sumptus conferuntur, vel ad pios usus, ut sunt exstructio, & dotatio Templorum, Monasteriorum, &c. vel ad usus politicos, ut ædificatio fori, horreorum, portus &c. Privata, cum magnifica munera in privatum

(*a*) Lib. 1. de Offic. Minist. c. 36. 38. & 39.

(*b*) S. Thom. 2. 2. q. 129. a. 1. ad 3. (*c*) Ibid. 2. 4. ad 1.

vatum aliquem conferuntur ; vel magnifice fiunt , quæ pertinent ad usum proprium , quatenus ratio decoris postulat : quod præcipue locum habet in illis operibus , quæ diurna esse debent , aut quæ semel fiunt . Quia vero nullus finis humanorum operum est adeo magnus , sicut honor Dei , ideo magnificencia præcipue magnum opus facit in ordine ad honorem Dei (a) . Magnificentiae opponitur parvificantia , quæ vitium est , quo pecuniæ nimius amator deficit a recta proportione , quam ratio decoris postulat inter sumptus , & opus faciendum ; aut minus largitur , quam personæ , & dignitati ejus conveniat (b) . Plenrumque est peccatum veniale ; sed fieri potest mortale ex aliqua circumstantia , ut ratione voti , jumenti &c.

Patientia est virtus , qua mala a quo animo toleramus , ne animo iniquo bona deseramus (c) . Est aliarum virtutum quasi radix , & custos : unde Christus (d) ait : In patientia vestra possidebitis animas vestras . Christiana patientia est donum Dei , & charitatis fructus ; nam charitas patiens est (e) . Distinguitur autem a falsa patientia ex causa patiënti ; ideoque Christus beatos prædicat (f) non omnes , qui persecutionem patiëntuntur , sed qui persecutionem patiëntuntur propter justitiam .

Perseverantia est virtus , per quam homo firmum habet propositum persistendi in bono opere usque ad consummationem illius , & adversus molestias , & difficultates ex actus diurnitate provenientes roboratur . Hæc sola virtutibus coronam mereatur ; nam ait Christus (g) : Qui perseveraverit usque in finem , hic salvus erit . Perseverantiae opponitur mollities per defectum , & pertinacia per ex-

Tom. III.

Hh

ces-

(a) S. Th. 2. 2. q. 134. ar. 2. ad 3. (b) Id. ibid. q. 135. a. 2.

(c) S. Aug. 1. de Pat. c. 2. (d) Luc. 21. (e) 1. Cor. 13.

(f) Matth. 5. (g) Matth. 10.

cessum. Illa est vitium, quo quis ex amore vita
mollis labores bonorum operum sustinere refugit.
Hæc vitium est, quo quis contra regulam rationis
in propria sententia persistit, nulla habita ratione
difficultatum, quæ ipsum ab ejus prosequutione pro-
hibere deberent.

S E C T I O IX.

De Temperantia.

Q. I. **Q**uid sit? & quæ ipsi virtus opposita?

R. Temperantia est virtus voluptatum
carnis, quæ gustu, tactuque percipiuntur, modera-
trix. Ejus officia sunt, appetitum cohibere ab illis
rebus, quæ turpiter appetuntur, vitæque hujus ne-
cessitates sibi proponere ut regulam delectationum,
quibus utitur, ut scilicet tantum eis utatur, quantum
necessitas hujus vitæ requirit (a).

Vitia temperantiae opposita, sunt intemperantia,
& stupiditas sensuum. Intemperantia est vitium,
quo quis voluptates corporis, gustus præsertim, ac
venereorum immoderate appetit, excedens modum
a recta ratione, & a divina lege præscriptum. Stu-
piditas sensuum est vitium, quo quis omnes corpo-
ris delectationes etiam necessarias, & honestas af-
pernatur. Verum abstinentia a delectationibus cor-
poris, quas Deus naturalibus operationibus insper-
tit, quandoque laudabilis est, ac necessaria. Sic
plerique propter officii sui exequutionem a multis
delectationibus sibi temperant; multoque laudabilius
penitentes ad recuperandam animæ sanitatem, absti-
nentia delectabilem, quasi quadam diæta utuntur. Et
homines volentes contemplationi, & rebus divinis van-
care,

(a) Vide S. Aug. l. 1. de lib. arb. cap. 13. & l. de morib. Ecol. cap. 28.

care, oportet, ut se magis a carnalibus desideriis abstrabant (a).

Q. 2. Quæ sint partes temperantiæ?

R. Partes temperantiæ velut integrantes sunt verecundia, & honestas. Verecundia est timor turpidinis, & vituperii inhonestam actionem consequentis. Non solum in factis, sed in verbis tenenda verecundia est. Ipsa est cōmes pudicitiae, & castitatem custodit. Verecundiæ opponitur impudentia, quia quis turpidinis, vel nullum, vel obtusum sensum habet; tales sunt, qui verba turpia proferrunt, qui partes corporis vel alieni, vel sui, quas natura magistra verescundia tegere docet, detegunt, aut spectant absque necessitate.

Verecundiæ opponitur etiam malus pudor, cum eorum pudet, quorum pudere non oporteret. Sic malum est pudore suffundi ob opera virtutis, quia ludibrio sunt apud impios. Nam ait Christus (b): *Qui me erubuerit, & sermones meos, hunc Filius hominis erubescet.* Malus est pudor, quo aliquem pudet suæ, aut parentum paupertatis, ignobilis tatis, aliarumve calamitatum absque vitio suo contingentium; de his enim gloriari Christianus debet.

Honestas est virtus, quæ hominem avertit ab his, quæ sunt probrosa, scilicet ab intemperato amore cibi, potus, & venereorum. Honestate, ut ait (c) S. Ambrosius, *quærimus in omni actu, quid personis, quid temporibus conveniat, atque etatibus, quid etiam singulorum ingeniorum sit accommodum.* Sæpe enim quod alterum decet, alterum non decet. Aliud juveni aptum, aliud seni: aliud in periculis, aliud in rebus secundis.

Q. 3. Quæ sint virtutes temperantiæ cum subjectæ, tum adjunctæ?

R. Virtutes temperantiæ subjectæ, seu ejus species

(a) S. Thom. 2. 2. q. 142. art. 1. (b) Luc. 9.

(c) L. 1. de Offic. c. 43.

clies sunt abstinentia, sobrietas, castitas. Abstinentia est virtus, qua a cibo temperamus quantum decet, & oportet, habita ratione valetudinis, personæ propriæ, & aliorum, quibuscum vivimus. Ejus actus est jejuniū; ejus oppositum est gula. Sobrietas est virtus, quæ sumptionem potus inebriandi vim habentis, moderatur. Ipsi opponitur ebrietas. Castitas est virtus carnalium voluptatum moderatrix, & triplex est, conjugalis, vidualis, virginalis. Ei adversatur luxuria.

Virtutes adjunctæ temperantiae sunt continentia, clementia, mansuetudo, modestia, humilitas, taciturnitas, studiositas, erupapelia, sive jucunda urbanitas. Continentia strictim accepta, est virtus, qua prorsus abstinemus a delectationibus venereis, & idem est ac castitas virginalis, aut vidualis. Si latius accipiatur, est virtus, qua pravis concupiscentiæ motibus obfistimus. Ipsi opponitur incontinencia, qua quis pravis cupiditatibus cedit.

Clementia est virtus, qua Superior aliquid ex debita poena inferiori remittit, quatenus patitur justitiae ratio, spectatis circumstantiis, in quibus Judex interpretatur legem, quod in eo casu tam gravem poenam non requirat. Majori clementiæ datur locus, cum lex poenam, vel ejus gravitatem non constituit. Princeps potest interdum remittere totam poenam. Clementiæ opponitur crudelitas, ac nimia indulgentia. Sicut enim est aliquando misericordia puniens, ita & crudelitas parcens.

Mansuetudo est virtus iræ moderatrix, de qua Chrysostomus (*a*) Nihil ita conformem Deo facit, ac ista virtus. Ipsi opponitur ira.

Modestia virtus est moderatrix interiorum, & exteriorum hominis actionum, in quibus non adeo est

(a) Hom. 19. in Epist. ad Rom.

est difficile modum servare. Vir modestus nihil in gestu leve, in risu dissolutum, in actu inverecundum habet, sed quidquid in ipso est exterius, interioris hominis sanctitatem decet. Modestia Christianorum omnium virtus est, ajente Apostolo (a) : *Modestia vestra nota sit omnibus hominibus.* Ipsa corporis cultum, & ornatum moderatur, ut personae, statui, ac moribus eorum, cum quibus vivimus, congruat.

Taciturnitas est virtus sermonis moderatrix, de qua S. Ambrosius (b) ait : *Quamplures vidi loquendo in peccatum incidisse, vix quemquam tacendo.* Ipsi opponitur garrulitas, seu effrenis loquendi pruritus.

Studiositas est virtus, quæ appetitum cognitionis acquirendæ moderatur; nempe ut sciamus, quo ordine nosse oporteat; ut id prius, quod maturius ad salutem: quo studio; ut id ardentius, quod vehementius ad amorem: quo fine; ut non ad inanem gloriam, aut curiositatem, aut aliquid simile, sed tantum ad ædificationem tuam, vel proximi (c). Huic virtuti opponitur citrinositas, quæ vitium est, quo appetitus veritatis cognoscendæ deficit a debito ordine; ut si per studium minus utile retrahatur homo a studio, quod ipsi ex necessitate incumbit; si addiscere studeat ab eo, a quo non licet; si appetat cognoscere veritates, non referendo illas ad Deum; si studeat cognoscere veritates supra vires ingenii sui; si cognitio non ordinatur ad aliquid utile; si referatur ad aliquid noxium (d). Curiositatis remedium tradit S. Augustinus (e), ut *Divinarum Scripturarum, piorumque librorum consideratione, & tractatione passamus animum.*

Eutrapelia, sive jucunda urbanitas, est virtus lu-

Hh 3

do-

(a) Ad Phil. 4. (b) L. 1. de Offic. c. 24

(c) S. Bern. Ser. 36. in Can. (d) Vid. S. Th. 2. 24 q. 107. 2. 14

(e) L. de vera Relig. cap. 54.

dorum, & jocorum secundum rectam rationem moderatrix, in quorum usu tria præsertim cavenda sunt, 1. genus locorum illiberale, petulans, flagitiosum, obsecenum, 2. cavendum, ne gravitas animi omnino resolvatur, 3. attendendum, ut ludi, & joci congruant personæ, tempori, loco, aliisque circumstantiis; quæ rectæ rationi conueniant. Contra hanc virtutem peccatur per excessum, si superius dicta non caveantur. Peccatur vero per defecatum ab illis, qui & ipsi numquam jocant, & honeste jocantibus molesti sunt. Ludis tamen, ac jocis parce est utendum, præsertim Ecclesiasticis, & religiosis Viris; joca enim etiam honesta ab Ecclesiastica abhorrent regula; quoniam que in Scripturis Sanctis non reperimus, ea quemadmodum usurpare possumus (a)?

APPENDIX.

De Jejunio Ecclesiastico (b).

Q. Uid sit jejunium? & qui ejus finis, atque utilitas?

R. Jejunium Ecclesiasticum est abstinentia a certo ciborum genere, pluribusque refectionibus secundum modum ab Ecclesia institutum, & propter finem pietati congruentem. Abstinentia a carnibus pars est Ecclesiastici jejunii, ab Ecclesia ideo præcepta, quia conduceat ad carnem domandam, & ad Deum colendum. Abstinentia a lacticiniis, & ab ovis in Quadragesima universaliter præcipitur. Quare Alexander VII, hanc propositionem damnavit: Non est evidens, quod consuetudo non comedendi ova, & lacticinia in Quadragesima obliget. Sed circa ovorum, & lacticiniorum abstinentiam in aliis jejuniis diverse con-

sue-

(a) S. Ambr. I. 1. de offic. c. 23.

(b) De ipso agit Nat. in 3. Præcep. Decal.

suetudines existunt apud diversos, quas quisque observare debet secundum morem eorum, inter quos converatur. Ita S. Thomas (a). Idem dicendum de consuetudine alicubi vigente comedendi lacticinia in Quadragesima propter necessitatem. Quisque ergo suæ Ecclesiæ consuetudinem tuta conscientia sequi potest.

Finis jejunii est 1. carnis mortificatio, & concupiscentiæ compressio, ut corpus in servitutem redigatur. 2. mentis ad rerum divinarum contemplationem præparatio. 3. satisfactio pro peccatis. 4. beneficiorum divinorum impetratio. Jejunium Quadragesimale institutum fuit potissimum, ut qui Domini Crucifixi passionem jam propinquantem celebraturi sumus, reprimendarum carnalium voluptatum crucem nobis ipsi etiam faciamus (b).

Ex quibus patent jejunii utilitates. Ipsum ad tentationes vincendas aptissimum est docet S. Leo (c).

Q. 2. An violatio jejunii Ecclesiastici sit peccatum mortale?

R. Affirmative; nam Christiani obedire tenentur præceptis Ecclesiæ. Quare Alexander VII. hanc propositionem damnavit: *Frangens jejunium Ecclesiæ, ad quod tenetur, non peccat mortaliter, nisi ex contemptu, vel inobedientia hoc faciat, quia non vult se subjecere præcepto.*

Quoniam vero cooperari peccato alterius, peccatum est, ideo caupones, & alii, qui alicui ad jejunium obstricto cibos vetitos parant, offerunt, præbent, aut bene pransis cœnam exhibit, mortaliter peccant. Excipe, si grave nocumentum merito timeatur, ut si milites necem, vulnera, direptionem bonorum sint illaturi, nisi carnes parentur.

Hh 4.

Simi-

(a) S. Thom. 2. 2. q. 147. art. 8. ad 3.

(b) S. Aug. Ser. 205, alias de div. 68. (c) Ser. 4. de jejun.

Similiter famuli, aliique possunt de viris honestis, de quibus dubium est, an jejunare teneantur, judicare in illorum favorem, ac præsumere, ipsos cum debita licentia cibis vetitis uti, nisi evidens ratio contrarium suadeat. Si vero certum est, illos absque necessitate, & dispensatione jejunium frangere, domo potius egredi, quam illis in hac parte obse- qui tenentur.

Sequitur ex dictis, graviter peccare dominos, qui servis suis jejunio obstrictis tantos labores imponunt, ut jejunare non possint, si opera in alios dies differre, vel in plures dies differre fas est absque gravi incōmodo.

Q. 3. Quinam dispensati sint ab observatione jejunii Ecclesiastici?

R. Nemo dispensatur a tali observatione, nisi vel propter inevitabilem necessitatem, vel ob ætatis impossibilitatem, vel ob gravem infirmitatem, & languorem. Sed neque cibis vetitis uti, neque jejunium solvere possunt illi, quorum valetudo id postulat, nisi obtenta prius a Pastòribus facultate.

Itaque ob necessitatem 1. dispensari populus potest tempore obsidionis, aut famis, ut carnibus saturatur, cum alii cibi desunt. Sed hujus necessitatis judex, & arbitrè Episcopus esse debet, sine cuius licentia præsumendus non est efsus ciborum vetitorum (*a*). 2. dispensantur pauperes, non qui sufficien-

(*a*) Benedictus XIV. in litteris ad omnes Catholicos Episcopos datis ann. 1741. hæc habet inter cetera: „ Multitudini, veluti populo, aut Civitati, aut generali indiscriminatim integræ, nonniß gravissima, & urgente necessitate, & in casibus per sacra Canonum statuta præscriptis, cum debita Apostolice

„ hujus S. Sedis reverentia, a Quadragésimali Jejunio dispensationem toties, quoties opus fuerit, concedendam, nec auctoriter, fidenterque usurpan- dam, nec superbe, & arrogan- ter ab Ecclesia, sicut alibi in mote positum esse, accepimus, esse postulandam.“

cienter habent, quod eis sufficit ad unam comedionem, sed qui frustatim eleemosynas mendicant, qui non possunt simul habere, quod eis ad victum sufficiat (a). 3. Mulieres gravidæ, & nutrices; imo peccarent jejunando, si inde periculum ipsis, vel proli immineret; alioquin non excusantur, etiam viris prohibentibus, ne jejunent. 4. Excusantur illi omnes, quibus aliquod opus faciendum incumbit, quod facere non possunt, si jejunent. Hinc a jejunio dispensantur artifices gravia, dura, & laboriosa opera facientes illis diebus, in quibus laborant, vel in quibus ex præcedentis diei labore sunt plurimum fatigati, ut fabri lignarii, ferrarii, fossores lapidicinæ, bajuli, agricolæ, vinitores, cursores, quo tempore iter faciunt, milites cum sunt in castris. Non vero excusantur textores, pistores, sartores, futores, barbitonores, pictores, musici, procuratores judices, advocati, aliique opera exercentes, quæ non multum corpus debilitant. Dispensantur etiam, qui ex officio, aut obedientia diu noctuque ministrant infirmis, vigiliis, gravique ministerio defatigati. Item Concionatores (b), ii præsertim, qui multas eadem die Conaciones habent, pagos peragrandes; aliique vacantes tota die, vel

ma-

(a) S. Thom. 2. 2. qu. 147. ar. 2. ad 4.

(b) Quod hic Auctor docet, non pugnat cum iis, quæ alibi scripsit de Horis Canoniceis non omittendis, causa Prædicationis; nam per labores Prædicationis latit constare videtur finis jejunii, scilicet maceratio carnis. Scias autem de illis tantum Concionatoribus hic agi, qui ex officio, ex necessitate, vel ex obedientia concionantes, non valent simul jejunare; nam qui utrumque præstare possunt, non sunt soluti a

lege jejunii. Etenim Concionatores, ut monet Apostolus 2. Cor. 6. exhibere se debent sicut Dei Ministros in jejunis multis; nec umquam aliis penitentiam suaz debunt, nisi carnem suam crucifixirint. Qui autem dum Conaciones habent, putant se esse exemptiones ob necessariam causam a lege jejunii, dispensationem petere debent, atque implere monitum ejusdem Apostoli: *Nemini danzes ullam offensionem, ut non viuperetur ministerium nostrum.*

magna diei parte piis functionibus, quibus vires multum exhauiuntur, quæque in alium diem differri commode non possunt, nec a tali persona exerceri, si jejunet, laboris magnitudine cum ejus viribus comparata. Excusantur item necessarium iter, quod moram non patitur, pedibus agentes, non curru, equo, navigio. Porro itinerantes, & operarii, qui a jejunio excusantur, debent a Superiori dispensationem petere, nisi forte consuetudo contraria sit, quia dum Prælati dissimulant, videntur annuere.

Quæ de operariis dicta sunt, intelligi debent de illis, qui jejunando non possunt habere competenter victimum pro sua persona, & familia; nam qui divites sunt, vel qui minori labore, cum quo jejunium compatiatur, lucrari sufficientia possunt, non excusantur. Ita S. Thomas (a), qui docet etiam, peccare illos, qui operarios conducere nolunt, nisi tali pacto, ut jejunium solvant, nisi forte sit causa necessaria, que festinationem operis, pro quo laboratur, exposcat. Itaque merito Alexander VII. damnavit has propositiones: Omnes Officiales, qui in Republica corporaliter laborant, sunt excusati ab obligatione jejunii, nec debent se certificare, an labor sit compatibilis cum jejunio. Et: Excusantur absolute a precepto jejunii omnes illi, qui iter agunt equitando, utcumque iter agant, etiamsi iter necessarium non sit, & etiamsi iter unius diei confiant.

Ad conjugatos quod spectat, tantum abest, ut causa reddendi debiti, soluti sint a lege jejunii, ut potius conveniat, eos abstinere ab opere conjugali, ut purius, sanctiusque jejunent.

Ætatis impossibilitas est altera ratio a jejunio excusans. Ob ipsam pueri non tenentur jejunare usque

(a) In 4. d. 15. q. 3. ar. 2. q. 4. ad 3.

que ad annum vigesimumprimum completum. *Conveniens tamen est, ut etiam in hoc tempore se ad jejunandum exerceant plus, vel minus, secundum modum suæ ætatis (a).* Verum abstinentia a cibis vetitis est pueris præcepta, ex quo usum rationis attingunt; imo antequam ratione utantur, disciplina Ecclesiæ, mosque Populi Dei servari debet, ut a cibis vetitis abstineant. Adolescentes Religiosi, qui 21. ætatis annum non expleverunt, ad jejunia Ecclesiæ tenentur ex præcepto, si alias in Regula, vel Constitutionibus sub præcepto injungantur; sub poena vero, si sub poena præscribantur.

De senibus ait S. Antoninus (b), *non est determinata ætas ab aliquo, usque ad quos annos quis tenetur ad jejunium.* Si vegeti sint, tenentur jejunare, et iam si 70. annum excesserint; secus si debiles: nam tunc excusantur ratione infirmitatis.

Postrema ratio a jejunio excusans est gravis infirmitas, vel languor. Sed pro qua infirmitate, vel quanta debilitate infirmi, & debiles excusentur, arbitrio boni viri statur (c). Dispensari possunt, qui graves stomachi dolores, aut capitis vertigines jejunando patiuntur, vel noctes adeo insomnes ducunt, ut inde periculum grave immineat valetudini: secus qui toleranda, nec pericolosa sentiunt capitum, vel stomachi incommoda, vel difficiliorem, aut solito breviorem somnum capiunt, cum jejunium sit præceptum ad carnem macerandam. Si quis autem magnam noctis partem dormire non potest, nisi coenat, indeque suæ valetudini timet, tenetur refectiōnem in vespere differre, & meridie potest jentaculum sumere. Sola jejunandi difficultas non excusat, v.g. si quis magna difficultate studeat, si uxor, aut puella decorem notabiliter amitteret, &c.

In

(a) S. Thom. 2. 2. q. 147. ar. 4. ad 2.

(b) 2. ps. t. 6. c. 2. §. 6.

(c) Idem ibid.

In *dubio*, an causa excusans legitima sit, postulanda est dispensatio ab Episcopo, aut ejus Vicariis. Nec a peccato sunt immunes, qui causam habentes legitimam abstinentiae solvendae, licentiam non petunt ab illis, aut saltem a Parochis, si illos facile adire non possunt (*a*).

Medici, qui consilio suo, aut testimonio præbent occasionem solvendi jejunii absque legitima, vel saltem dubia causa, mortaliter peccant (*b*). Qui autem comedunt carnes, jejuniumve solvunt cum licentia, monendi sunt, ut soli comedant, ne cui scandalo sint (*c*).

Q. 4. An liceat Christianis carnes comedere die Natalis Domini in feriam sextam incidente, aut Sabbatis post Natalem Domini usque ad Purificationem Deiparæ?

*R. Ad 1. p. affirmative ex declaratione Honori III. (*d*).* Verum excipiuntur qui ex voto, vel observantia regulari abstinere a carnis feria sexta adstricti sunt; qui quidem si Regula ad id tenentur ex præcepto, ut Fratres Minores, Cartusiani, & Minimi, carnis vesci ea die absque mortali peccato non possunt. Si autem teneantur ex Regula non obligante transgressores ad culpam, ipsis licere eodem die vesci carnis, docet Fagnanus (*e*). Possunt hi tamen peccare lethaliter, vel ob violationem præcepti Superiorum id speciatim vetantium ea die, vel ob contemptum, scandalum &c.

Quoad alteram partem certum est posse iis Sabbatis carnis uti quotquot vivunt in illis Ecclesiis, ubi viget talis consuetudo; modo ad abstinentiam

a car-

(*a*) *S. Thom. 2. 2. q. 147. ar. 4.* (*b*) *S. Antonin. loc. cit.*

(*c*) *Vide in Append. Opp. August. Serm. 142. in Quadr. 3. qui est 46. S. Cæfarii.* (*d*) *C. explicari, ext. de obser. jejun.*

(*e*) *In cap. cit.*

a carnibus illis diebus nec voto, nec Regula teneantur, ut supra dictum est.

Verum si alicubi non licet carnes comedere illis, aliisve diebus, quibus ibidem servatur jejunium ex præcepto; civibus, aut oppidanis non licet ad vicina loca divertere, eo fine, ut carnibus vescantur, vel a jejunio se eximant; id enim facerent in fraudem.

Q. 5. An qui ex legitima causa carnes comedunt diebus jejuniī, teneantur jejunare?

R. Si jejunare valeant, tenentur: nam jejunium duo præcepta distincta complectitur, alterum carnum esum, alterum iteratas comediones prohibens, nec unum ab alio pendet; quare qui non potest ambo servare, tenetur in eo, in quo potest: sicut qui non potest jejunare omnibus Quadragesimæ diebus, tenetur jejunare illis diebus, quibus potest.

Q. 6. An unica refectio sit jejunio essentialis?

R. Unica refectio ita est essentialis jejunio, ut non solum lethaliter peccet, qui jejunio obstrictus pluries reficitur, sed etiam qui secunda refectione jam violavit jejunium; toties enim peccare videtur, quoties postea comedit. Nam præceptum jejuniī, et si videatur affirmativum, in se tamen continet negationem, ne plures refectiones sumas: præcepta autem negativa toties violantur, quoties iterantur oppositi actus: quemadmodum Sacerdos toties peccat, quoties celebrata prima Missa, alias eodem die celebrat.

Ex his conficitur, jejunium ab eo violari, qui sine causa legitima refectionem interrumpit tanto intervallo, ut moraliter non sit unica refectio. Idem dicendum de eo, qui saepe bibens ante tempus refectionis, aliquid cibi sumit, ne potus noceat. Quare Alexander VII. hanc propositionem damnavit: *In die jejuniī qui saepius modicum quid comedit, et si notabilem quantitatem in fine conederit, non frangit jejunium.*

Si

Similiter jejunium videtur frangere, qui finito prandio, aliquid comedit rogatus ab amico comedente (a). Lectores autem, & ministri mensæ, qui frustulum panis, & cyathum vini aqua temperati præsumunt, non ante horam legitimam, sed ante plenæ refectionis opportunitatem, ne deficiant, non censentur jejunium violare; id enim videtur pertinere ad eamdem moraliter refectionem.

Q. 7. An unica comedio compatiatur cum vespertina collatione?

R. Cœnula, seu vespertina collatio jejunium non solvit, dummodo non vertatur in cœnam. Quantitas certa mensura definiri vix potest: sane ita debet esse modica, ut non æquivaleat ei, quæ in aliis diebus accipi solet. De reliquo standum est consuetudini inter pios receptæ, ac tenenda regula Sancti Thomæ (b): *Quantitas cibi non potuit eadem omnibus taxari, propter diversas corporum complexiones, ex quibus contingit, quod unus majori, alter minori cibo indiget* (c). Consuetudo etiam piorum sumi debet pro regula circa qualitatem ciborum; ita ut cum modico pane sumantur fructus aliqui, vel herbae, aliive cibi leviores, non piscicili etiam pauci, non legumina, non butyrum, non lac, non juscula ex amygdalorum cremore, &c similia.

Q. 8. Quod sit refectionis tempus diebus jejuniorum?

R. Ex hodierna Ecclesiæ disciplina est meridies; quam horam qui multum anticipant sine legitima causa, nullatenus jejunare censendi sunt (d). Horæ integræ anticipatio notabilis est. Prandium anticipare

(a) Senior Theologorum sententia docet, peccare illum, qui prandio absoluto, aliquid comedit urbanitatis causa, si eadem moraliter refectione censeri non potest. Sane amicitia lex prævalere non debet Ecclesiæ precepto. (b) S. Th. 2. 2. q. 147. art. 6. ad 1.

(c) Vide infra Const. Bened. XIV.

(d) Can. solent d. 1. de confecr.

re per dimidiā horām absque necessitate, videtur veniale. Existimatio meridiei a peccato excusat; nam ad jejunium requiritur hora determinata non secundum subtilem examinationem, sed secundum grossam existimationem (a). Ecclesiastici, ac Religiosi hac in re peccantes gravius delinquunt, tum quia tenentur magis affligere carnem suam, tum ratione scandali. Hinc consequitur, peccare illos, qui mane sumunt jentaculum, prandio in vesperam dilato, nisi necessitas, vel infirmitas cogat. Ex legitima autem causa id licet, v. g. propter negotia, profectionem, hospites vespere venturos.

Q. 9. An vinum, aliisque liquores jejunium solvant?

R. Aquæ potus jejunium Ecclesiasticum non solvit, vinum tamen, sicera, cervisia, aliisque liquores extra refectionis horām sumere non licet; nam si aqua, ut docet S. Thomas (b) aliis admixta nutrit, multo magis alii liquores (c). Igitur horum potum licitum afferere extra refectionem diebus jejuniorum, etiam mane, etiam ob solam delectationem, etiam multoties in die, etiam famis sedandæ causa, & in fraudem jejunii, damnandus error est. Nam jejunium est abstinentiae actus assumptus ad concupiscentias carnis reprimendas (d); ad quod valet non solum abstinentia cibi, sed & potus: unde Ecclesia canit: carnis terat superbiam potus, cibique parcitas.

Q. 10.

(a) S. Th. 2. 2. q. 147. a. 7. ad 2.

(b) In cap. 11. 1. Cor. lec. 4.

(c) Omnium etiam benigniorum Theologorum post D. Thomam sententia est, electuaria, potionisque etiam secundum hodiernam Ecclesiaz disciplinam, jejunium solvere, si sumantur in magna quantitate, vel in fraudem jejunii. Quare qui diebus jejunii

extra refectionem vinum, & maxime purum, & generosum bibit ad voluptatem, nutritionem corporis, minuendamque jejunii molestiam, statutum Ecclesiaz frangit, quia legem violat, qui in fraudem legis aliquid facit. Vide de S. Thom. 2. 2. q. 147. art. 6. ad 2. & 3.

(d) Idem ibid. art. 1. & 2.

Q. 10. Quale debeat esse Christianum jejunium?

R. Jejunii meritum perdunt, qui ciborum, ac liquorum delicias, ac varia gulæ irritamenta jejunii diebus exquirunt; copiosiusque ac laetius prandent, ut jejunii laborem minuant. Nam ut S. Augustinus ait (*a*): *Cum corpus castigatur, & servituti subjicitur, restringenda sunt deliciæ, non mutanda.*

Abstinentia ab omni voluptate etiam licita, ut a venationibus, ludis, jocis, jejunium commendare debet: *Non enim lamenta cum jocis convenient; & fallax, ac deceptrix lœtitia veraces lacrymas producere nescit* (*b*).

Deo gratum jejunium non est, quod abstinentia ab omni peccato mortali non commendat: unde Dominus ait (*c*): *Nonne hoc est magis jejunium, quod elegi? dissolve colligationes impietatis*, &c.

Eleemosyna Christiani jejunii comes esse debet, ut pauperibus erogetur, quod in sumptus secundæ refectionis impendi deberet, juxta illud (*d*): *Frange esurienti panem tuum* &c.

Denique Christianus jejunans injurias dimittere debet. *Jejunia vestra*, ait S. Augustinus (*e*) *non sint talia, qualia Propheta condemnat dicens*, Non hoc jejunium elegi, dicit Dominus. Arguit enim jejunia ligiosorum: *quærerit piorum*. Arguit opprimentes: *quærerit relaxantes*. Arguit inimicantes: *quærerit liberantes*. Ideo enim per hos dies a rebus licitis desideria vestra frænatis, ne illicita committatis.

(*a*) Serm. 208. alias de div. 72.

(*b*) Nicol. 1. in respons. ad consult. Bulgar. c. 44.

(*c*) Isa. 58. (*d*) Ibid. (*e*) Serm. 106. alias de div. 70.

ADDITIO

Ad Appendicem de Jejunio.

PRO jejunii observatione restauranda nonnullas Constitutiones edidit Benedictus XIV. in quibus plura præscripsit, ac declaravit, præsertim in Litteris ad omnes Episcopos datas an. 1745. Ac prium quidem decernit: *Concedentes facultates vescendi carnibus tempore vetito, sub gravi teneri easdem facultates non aliter dare, quam geminis hisce adjectis conditionibus, videlicet unicæ in diem comedionis, & non permiscendarum epularum. Eos veros, qui hujusmodi facultatibus utuntur, sub gravi ad binas ipsas conditiones implendas obligari.*

2. Declarat, illis, quibus concessum est vesci carnibus, non licere in vespertina refectiuncula uti carnibus; sed opus habere, eo cibo, eaque uti portione, quibus utuntur homines jejunantes rectæ, meticuloſæ conscientiæ.

3. Edidit, ab iis, qui tempore jejunii permittuntur vesci carnibus observandam esse horam jejunantibus præscriptam.

4. Respondet, *Epulas licitas pro iis, quibus permisum est carnes comedere, esse carnes ipsas: epulas interdictas esse pisces, adeoque utrumque simul adhiberi non posse. Piscibus tamen edendis non interdicuntur ii, quibus datur tantum facultas adhibendi ova, & lacticinia.*

5. Declarat, præceptum de utroque epularum genere non miscendo, dies quoque Dominicos Quadragesimales complecti.

6. Denunciat, nihil se statuisse circa indultum Bullæ Cruciatæ, sed illius tenorem stricte, & considerate esse perpendendum.

7. Ait, utrumque præceptum urgere extra Quadragesimam, illud scilicet unicæ comedionis cum reliquis legibus in secundo, & tertio responso expressis:

Tom. VI.

Ii

alto-

alterum non permiscendi epulas licitas cum interdictis,
ut in quarto postulato definitum est.

Clemens XIII. 20. Decembris 1759. litteris datis, inter pravas opiniones contra jejunii leges repavit abusum, quo nonnulli, quibus ob justas, & legitimas causas ab abstinentia carnium dispensatum fuerit, licere sibi putant potionis lacte permixtas sumere, contra quam prædicto Prædecessori nostro (Benedictus XIV.) visum fuerit, qui censuit, tam dispensatos a carnium abstinentia, quam quovis modo jejunante, unicæ excepta comeditione, in omnibus equiparando iis esse, quibuscum nulla est dispensatio, ac propterea tantummodo ad unicam comeditionem posse carnem, vel quæ ex carne trahunt originem, adhibere.

FINIS TOMI TERTII.

IN-

INDEX

CAPITUM, ET QUÆSTIONUM

Quæ in hoc Vol. III. continentur.

LIBER III.

De peccatis, & Virtutibus.

P A R S I.

De peccatis.

T R A C T A T U S I.

De peccatis in genere.

C A P U T I.

De Peccati definitione, & divisione.

A R T I C U L U S I.

De Peccato Originali.

- | | | |
|-------|--|--------|
| Q. 1. | Q uid sit peccatum originale? | Pag. 4 |
| Q. 2. | Q An de fide sit, peccatum originale in omnes homines transfundi? | ibid. |
| Q. 3. | Q ui sint effectus peccati originalis? | 5 |

A R T I C U L U S II.

De Peccato actuali, mortali, & veniali.

- | | | |
|-------|--|---|
| Q. 1. | Q uid sit peccatum actualle? | 7 |
| Q. 2. | Q uid sit peccatum mortale? quid veniale? | 8 |
| Q. 3. | Q An peccatum veniale a mortali suapte natura distinguatur? | 9 |

- Q. 4. Quomodo noscīs, an aliquod peccatum sit mortale, vel veniale? 10
 Q. 5. An peccatum veniale ex genere fieri possit mortale, & e contrario? 11
 Q. 6. An circumstantia possit transferre peccatum veniale ex genere in mortale? 13

ARTICULUS III.

De reliquis peccatorum divisionibus.

- Q. 1. Quid sit peccatum commissionis? quid peccatum omissionis? 14
 Q. 2. Qua ratione peccata spiritualia differant a carnalibus? 15
 Q. 3. Unde oriatur divisio peccatorum in Deum, in se ipsum, & in proximum? ibid.
 Q. 4. Quo ex capite distinguntur peccata cordis, oris, & operis? 16
 Q. 5. Qua ratione differant peccata ex ignorantia, ex infirmitate, & ex malitia? ibid.
 Q. 6. Quid, & quotuplex sit peccatum in spiritum sanctum? ibid.

CAPUT II.

De distinctione peccatorum.

- Q. 1. Unde sumatur unitas, & distinctio specifica peccatorum? 18
 Q. 2. Unde sumatur distinctio numerica peccatorum? 19
 Q. 3. An actus interiores, & exteriores constituant peccata numero distincta? 21

CAPUT III.

*De pertinentibus ad cognoscendam malitiam
humanorum actuum.*

- Q. 1. A quo procedat consensus in actum peccati? ibid.
 Q. 2.

CAPITUM, ET QUÆSTIONUM. 301

- Q. 2. An sola cogitatio, seu delectatio morosa de re
prava, absque animo perficiendi opus exter-
num, sit peccatum? 22
- Q. 3. An peccet, qui delectatur cogitatione operis alio-
quin liciti? 23
- Q. 4. An liceat optare, ut aliquid non sit divina lege
prohibitum? 24
- Q. 5. An sola malitia intentionis sufficiat, ut voluntas
sit mala? ibid.
- Q. 6. An opera nostra mala sint, si ad Deum non re-
ferantur? ibid.
- Q. 7. An detur aliquod opus indifferens in indivi-
duo? 27
- Q. 8. Quot modis homo particeps fiat alienorum pecca-
torum? ibid.

C A P U T IV.

De Peccatorum gravitate.

- Q. 1. Unde sumatur peccatorum gravitas? 28
- Q. 2. Quot modis peccatum fiat gravius ratione cir-
cumstantia? 29
- Q. 3. Quot sint circumstantiae humanorum actuum? ib.
- Q. 4. An voluntas patrandi peccatum, sit peccatum æ-
que grave, ac si cum opere externo conjunge-
retur? 30
- Q. 5. An peccatum fiat gravius ex conditione personæ,
in quam peccatur? 31
- Q. 6. An peccata eo sint graviora, quo persona peccans
est major? ibid.
- Q. 7. An nocumentum sequens ex peccato, augeat pec-
cati malitiam? 32
- Q. 8. An peccata spiritualia sint graviora carnalibus?
33.

C A P U T V.

De causis interioribus peccatorum, deque iis, quæ possunt a peccato excusare.

A R T I C U L U S I.

De Ignorantia,

- | | |
|---|-------|
| Q. 1. <i>Quid, & quotuplex sit ignorantia?</i> | 34 |
| Q. 2. <i>An ignorantia excusat a peccato?</i> | 36 |
| Q. 3. <i>An detur ignorantia invincibilis de lege naturæ?</i> | 37 |
| Q. 4. <i>An ignorantia circumstantiæ peccati peccatum excusat?</i> | 38 |
| Q. 5. <i>An ignorantia excusat a Censuris?</i> | 39 |
| Q. 6. <i>An ignorantia diminuat peccatum?</i> | ibid. |
| Q. 7. <i>An sit necessaria mentis attentio ad actionis prævitatem, ut peccatum imputetur?</i> | ibid. |

A R T I C U L U S II.

De cupiditate, sive animi perturbatione, & malitia.

- | | |
|---|----|
| Q. 1. <i>Quid sit peccare ex cupiditate? & quotuplex sit hæc cupiditas?</i> | 40 |
| Q. 2. <i>An perturbatio animi, sive passio peccatum minuat, vel excusat?</i> | 41 |
| Q. 3. <i>In quo posita sit noio peccati ex certa malitia?</i> | 42 |
| Q. 4. <i>An peccatum ex malitia gravius sit peccato ex passione?</i> | 43 |

A R T I C U L U S III.

De Vi, & Metu.

- | | |
|---|-------|
| Q. 1. <i>An violentia omnino excusat a peccato?</i> | 44 |
| Q. 2. <i>An metus excusat a peccato?</i> | ibid. |

CA-

C A P U T VI.

De effectibus peccatorum.

- Q. *Quinam sint peccati effectus?* 48

T R A C T A T U S II.

*De Conscientia, sive Regula proxima interiori
ad peccata cognoscenda, & dijudicanda.*

C A P U T I.

De Conscientia erronea, & dubia.

- Q. 1. *An liceat agere contra conscientiam erroneam?* 51
 Q. 2. *An liceat agere secundum errorem conscientiae?* ib.
 Q. 3. *Quibus mediis utendum sit ad conscientiam erroneam legitime deponendam?* 52
 Q. 4. *An judicium errantis conscientiae anteponendum sit præcepto Superioris?* ibid.
 Q. 5. *An liceat agere cum conscientia practice dubia de honestate, vel malitia actionis?* 54
 Q. 6. *An in dubio de honestate rei præceptæ, teneatur subditus obedire?* ibid.
 Q. 7. *Quid, si dubitatio oriatur, an præcipiens sit legitimus Superior?* 55

C A P U T II.

De Conscientia scrupulosa.

- Q. 1. *An liceat agere contra Conscientiam ex scrupulis ortam?* ibid.
 Q. 2. *Quenam sint scrupulorum causæ?* 56
 Q. 3. *Quarum regularum adminiculo Conscientia scrupulosa deponenda sit?* 57

C A P U T III.

De Conscientia probabili, seu de Probabilitate.

- Q. 1. *Quam sententiam teneamur sequi, cum duæ opinio-*
nones occurrent in aliqua materia morum? 59
- Q. 2. *An extrinsecq; probabilitas morali opinioni securi-*
tatem conciliet? 60
- Q. 3. *Quæ pars eligenda sit in dubiis?* 62
- Q. 4. *An semper teneamur sequi sententiam tutiorem?*
ibid.
- Q. 5. *Quid faciendum, si nova aliqua emergat moralis*
quæstio, quæ a Theologis solvi non possit? 63
- Q. 6. *An in concursu duarum opinionum feligenda sit,*
quæ melioribus rationibus nititur? 64
- Q. 7. *An Medicus in medicinæ praxi teneatur sequi*
opinionem probabiliorem? *ibid.*
- Q. 8. *An Judex possit sequi opinionem minus probabi-*
lem, posthabita probabiliori? 65
- Q. 9. *An Princeps, vel Respublica in bello indicendo,*
sequi licite possint opinionem minus probabi-
lem? *ibid.*
- Q. 10. *Quæ sententia eligi debeat in administratione*
Sacramentorum? *ibid.*
- Q. 11. *An vir Theologus consilium dare possit secundum*
opinionem, quæ ipsi videtur minus probabilis,
& minus tuta? 66
- Q. 12. *An liceat exquirendæ sententiæ causa, varios*
adire Doctores, seu casuum Arbitros? 67
- Q. 13. *An homines ignari, & rudes possint tuta con-*
scientia aliorum consilium sequi? *ibid.*

TRA-

TRACTATUS III.

De Vitiis Capitalibus.

CAPUT I.

De Superbia.

ARTICULUS I.

De quidditate, speciebus, & gradibus Superbie.

Q. 1. Quid sit superbia? & quale peccatum?	68
Q. 2. Quot sint species superbie?	70
Q. 3. Quot sint gradus superbie?	71

ARTICULUS II.

De Humilitate.

Q. 1. Quid sit Humilitas, & quæ ejus necessitas, & excellentia?	ibid.
Q. 2. Quæ sint Christianæ humilitatis officia?	73
Q. 3. Quot sint humilitatis gradus?	74
Q. 4. Quæ sint rationes ad humilitatem incitantes?	75

ARTICULUS III.

De inani gloria.

Q. 1. Quid sit inanis gloria?	76
Q. 2. An vana gloria sit peccatum mortale?	77
Q. 3. Quæ remedia adhibenda sint adversus inanem gloriam?	79

I N D E X
ARTICULUS IV.

De filiabus inanis gloriæ.

§. I.

De inobedientia.

Q. *Quid sit inobedientia? & cujus gravitatis?* 80

§. II.

De Jaçtantia, & Ironia.

Q. 1. *Quomodo definitur jaçtantia? & quale peccatum
sit?* 81

Q. 2. *Quid sit ironia? & quam grave peccatum?* 82

§. III.

De Hypocrisi.

Q. 1. *Quid sit hypocrisis?* 83

Q. 2. *Quandonam hypocrisis sit peccatum mortale?* 84

§. IV.

De Contentione, Pertinacia, & Discordia.

Q. 1. *Quid sit contentio? & quam grave peccatum?* 85

Q. 2. *Quid censes de pertinacia?* 88

Q. 3. *Discordia quid sit? & cujus generis peccatum?*
90.

§. V.

De novitatum Præsumptione.

Q. *Quod peccatum sit præsumptio novitatum? &
quam periculosa?* 92

A R -

ARTICULUS V.

De Ambitione.

- Q. 1. *Quid sit ambitio?* 93
 Q. 2. *An ambitio sit peccatum lethale?* ibid.
 Q. 3. *An liceat sacrum regimen recusare?* 96
 Q. 4. *An sit ambitionis reus, qui ordinem suum, ac locum tuetur?* ibid.

C A P U T II.

De Avaritia.

ARTICULUS I.

De Avaritia secundum se.

- Q. 1. *Quid sit avaritia?* 97
 Q. 2. *An avaritia semper sit peccatum mortale?* 98
 Q. 3. *An liceat patribus familias facultates pro filiis congerere?* 99
 Q. 4. *An Clerici possint absque avaritiæ labe, pecuniam servare?* 100
 Q. 5. *An liceat absque avaritia forenses lites suscipere, bonorum temporalium causa?* ibid.
 Q. 6. *An Monachi, & Moniales rei sint avaritiæ, si pecunias retineant?* 101
 Q. 7. *Quid de avaritia Mercatorum?* 102
 Q. 8. *An parentes cogentes filios ad statum religiosum, rei sint avaritiæ?* 103
 Q. 9. *Quid de avaritia Judicum, Advocatorum, & similium?* ibid.

T R A C T A T U S II.

De filiabus avaritiae.

§. I.

De Proditione.

- Q. 1. *Quid sit proditio, & quale peccatum?* 105
 Q. 2. *An liceat aliquando revelare arcanum sibi creditum?* 113
 Q. 3. *An peccet qui ob-signatas aliorum litteras refingnat?* 114

§. II.

De Fraude, Fallacia, & Perjurio.

- Q. 1. *Quid sit fraus? & quomodo differat ab astutia, & dolo?* 115
 Q. 2. *Quid sit fallacia? quid perjurium? & quando fallacia sit peccatum lethale?* ibid.
 Q. 3. *Quomodo se gerere debeat Confessarius cum illis Mercatoribus, qui mendaciis, & perjuriis assueverunt, nec aliter vendere, & emere se posse ajungi?* 117

§. III.

De Sollicitudine.

- Q. *Quid sit sollicitudo? & an lethale peccatum?* ibid.

§. IV.

De Violentia.

- Q. *Quid sit violentia? & quando mortale peccatum?* 118

§. V.

CAPITUM, ET QUÆSTIONUM. 509

§. V.

De obduratione contra Misericordiam.

- Q. 1. *Quid sit? & quando peccatum lethale?* 125
Q. 2. *Quot sint opera Misericordiae corporalis?* 131
Q. 3. *Quot sint opera Misericordiae spiritualis?* 132

A R T I C U L U S III.

De Prodigalitate.

- Q. *Quid sit Prodigalitas? & cujus generis peccatum?* 133

C A P U T III.

VI. *De Luxuria.*

A R T I C U L U S I.

*De simplici fornicatione, ubi de meretricio,
concubinatu, & lenocinio.*

- Q. 1. *Quid sit fornicatio simplex & an peccatum lethale?* 135
Q. 2. *Quid sit meretricium? & an gravius simplici fornicatione?* ibid.
Q. 3. *Concubinatus quam grave peccatum sit? & quæ pœne in concubinarios statutæ?* 136
Q. 4. *Qui lenones dicantur? & quam sit grave eorum peccatum?* 138

A R T I C U L U S II.

De Stupro.

- Q. 1. *Quid sit stuprum? & quomodo differat a simplici fornicatione?* ibid.

Q. 2.

- Q. 2. *Ad quid teneatur, qui virginem defloravit?* 139
 Q. 3. *An vir teneatur puellam ducere, si haec habeatur ut ab ipso constuprata, quamvis revera constuprata ab ipso non fuerit?* 141

ARTICULUS III.

De Adulterio, & Sacrilegio.

- Q. 1. *Quid sit adulterium? & an distincta species luxuriae?* ibid.
 Q. 2. *Quae sint adulterorum poenae?* 142
 Q. 3. *Quid sit sacrilegium in materia luxuriae? & cuius malitiae?* ibid.
 Q. 4. *An omne sacrilegium sit ejusdem gravitatis?* 143

ARTICULUS IV.

De Incestu, & Raptu.

- Q. 1. *Incestus quomodo definiatur? & quae sit ejus gravitas?* 145
 Q. 2. *Quomodo se gerere debeat Confessarius cum incestuosis?* 146
 Q. 3. *Quid sit Raptus?* ibid.
 Q. 4. *An omnis raptus sit ejusdem malitiae? & quae raptorum poenae?* 148

ARTICULUS V.

De peccato contra naturam.

149

S. I.

De Mollitie.

- Q. 1. *Quid sit mollities? & quo jure prohibita?* 150
 Q. 2. *An pollutio semper sit peccatum mortale?* ibid.
 Q. 3.

CAPITUM, ET QUÆSTIONUM. 511

- Q. 3. An pollutio nocturna in somnis inchoata, & evigilante homine consummata, sit peccatum mortale? 154
Q. 4. An sint in pollutione gradus malitiae? 155

§. II.

De inordinato concubitu, sodomia, bestialitate,
& fellatione.

- Q. Quid censes de hujusmodi speciebus peccati: contra naturam? 156

ARTICULUS VI.

De Luxuriae filiabus.

- Q. Quot, & quæ sint filiae luxuriae? 158

ARTICULUS VII.

De remediis contra Luxuriam. 160

C A P U T IV.

De Invidia.

ARTICULUS I.

De Invidia secundum se spectata.

- Q. 1. Quid sit invidia? 161
Q. 2. An invidia sit peccatum mortale? 162
Q. 3. Quot, & quæ sint remedia adversus invidiam? 163

ARTICULUS II.

De filiabus Invidiae.

§. I. 165

§. I.

De odio proximi.

Q. An odium proximi sit peccatum lethale? 163

§. II.

De Susurratione.

Q. 1. Quid sit susurratio? Quid sit peccatum lethale? ib.

Q. 2. Quam grave sit peccatum susurbationis? 167

§. III.

De Detractione.

Q. 1. Quid sit detrac^{tio}? 168

Q. 2. An detrac^{tio} sit peccatum mortale? 169

Q. 3. Quando fama proximi censeatur graviter ladi? 172

Q. 4. An qui ex animi levitate, loquacitate, aliave causa non necessaria malum, vel defectum proximi afferit absque animo nocendi, famam eius graviter ledere censeatur? 173

Q. 5. An lethaliter peccent, qui publicum alicujus crimen nescienti aperint? 174

Q. 6. An liceat alienum crimen patefacere uni, vel duobus viris prudentibus, arcuque tenacibus amicis? ibid.

Q. 7. An liceat seipsum infamare? 175

Q. 8. Quot modis detrac^{tio} fiat? ibid.

Q. 9. An peccent, qui audiunt detrabentes? 177

Q. 10. An liceat detractionem detractione repellere? 179

Q. 11. An detractor teneatur ad restitutionem famae? Quid quomodo ea restitutio fieri debeat? 180

Q. 12. An detractor teneatur ad restitutionem famae alienae, cum vitae periculo? 181

Q. 13.

CAPITUM, ET QUÆSTIONUM. 513

- Q. 13. *Quid factō opus, si auctor criminis, cuius in suspicionem venit innocens mox toquendus, & morti addicendus, ipsi crimen non adfixe it, sed usus sit occasione data, ut crimen præco-
gitatum patraret, cuius in suspicionem sciebat alterum adducendum?* 182
- Q. 14. *An quid teneantur libellorum famosorum aucto-
res?* 183
- Q. 15. *An lege restitutionis teneantur, qui infamem uno
generē peccati, alterius criminis aspergunt in-
famia?* 184
- Q. 16. *An Prælati, & Superiores, qui subditos suos
detrahentes non coercent, ad restitutionem te-
neantur?* ibid.
- Q. 17. *Quinam excusentur a restitutione famæ?* ibid.
- Q. 18. *An sit obligatio resarcendi damna ex infamia
sequuta?* 187

§. IV.

*De exaltatione in adversis proximi, & afflictione
in prosperis.*

- Q. *An hujusmodi exultatio, & afflictio sint pecca-
ta lethalia?* 188

C A P U T V.

De Gula.

- Q. 1. *Quid sit gula? & quot ejus species?* 189
- Q. 2. *Quot sint filiae gulæ?* ibid.
- Q. 3. *Quæ sint remedia adversus gulam?* 191
- Q. 4. *An gula sit peccatum lethale?* 193
- Q. 5. *An ebrietas sit peccatum lethale?* 194
- Q. 6. *An omnis ebrietas sit ejusdem gravitatis?* ibid.
- Q. 7. *An gula possit esse peccatum lethale, etiam si quis
propter excessum cibi, vel potus, usu rationis
non excitat?* 195

- Q. 8. An liceat alios cogere ad aequales potus? 196
 Q. 9. An liceat Judici reum inebriare, ut ab eo confessionem elicit? 197
 Q. 10. An saltem liceat Medic⁹ inebriare ægrotum ad curandam ejus infirmitatem? ibid.
 Q. 11. An ebrietas excusat a peccatis ex ea consequentis? ibid.
 Q. 12. An sit peccatum, comedere, & bibere usque ad satietatem, ob solam voluptatem? 198

C A P U T VI.

De Ira.

ARTICULUS I.

De Ira secundum se.

- Q. 1. Quid sit ira? 200
 Q. 2. Quam turpe sit iræ vitium? ibid.
 Q. 3. An ira sit peccatum lethale? 201

ARTICULUS II.

De filiabus Iræ.

§. I.

De rixa, & mentis tumore.

- Q. 1. Quid sit rixa? & quale peccatum? 204
 Q. 2. Quid sit tumor mentis? & an lethale peccatum? 205

§. II.

CAPITUM, ET QUÆSTIONUM. 515

§. II.

De Contumelia.

- | | |
|---|-------|
| Q. 1. <i>Quid sit contumelia?</i> & quomodo differat a con- | |
| vitio, & improposito? | 206 |
| Q. 2. <i>An contumelia, vel convitium sint peccata mor-</i> | |
| <i>talia?</i> | ibid. |
| Q. 3. <i>An quid contumeliosi teneantur?</i> | 208 |
| Q. 4. <i>An licet contumelias repellere?</i> | ibid. |

§. III.

De Indignatione, Clamore, & Blasphemia.

- | | |
|---|-------|
| Q. 1. <i>An indignatio sit peccatum lethale?</i> | 209 |
| Q. 2. <i>Quid sit clamor? & cuius generis peccatum?</i> | |
| | 210. |
| Q. 3. <i>Quid sit blasphemia?</i> | ibid. |

A R T I C U L U S III.

De remediis adversus iram. ibid.

C A P U T VII.

De Acedia.

- | | |
|---|-----|
| Q. 1. <i>Quid sit acedia?</i> | 211 |
| Q. 2. <i>An acedia sit peccatum lethale?</i> | 212 |
| Q. 3. <i>Quot sint filiae acediae?</i> | 214 |
| Q. 4. <i>Quæ sint remedia adversus acediam?</i> | 218 |

LIBER III.

PARS SECUNDA,

De Virtutibus.

TRACTATUS I.

De Virtutibus Theologicis.

SECTIO I.

De Fide.

CAPUT I.

*De Assensu Fidei, & de Mysteriis necessario
explicite credendis.*

- Q. 1. *Quæ requirantur ad assensum fidei?* 221
 Q. 2. *Qualis esse debeat assensus fidei?* 222
 Q. 3. *Quorum Mysteriorum explicita fides necessaria sit
ad justificationem, & ad salutem?* 223

CAPUT II.

De precepto fidei cum interioris, tum exterioris.

- Q. 1. *An teneatur homo elicere actum fidei? & quam
frequenter?* 227
 Q. 2. *An quilibet Christianus teneatur fidem exterius
profiteri?* 230

CAPUT III.

De Infidelitate.

- Q. 1. *Quid, & quotplex sit infidelitas?* 232
 Q. 2. *An liceat cum infidelibus publice disputare de fi-
de?* 233
 Q. 3.

CAPITUM, ET QUÆSTIONUM. 517

- | | | |
|-------|---|-------|
| Q. 3. | <i>An licita sit conversatio cum infidelibus?</i> | 235 |
| Q. 4. | <i>Quinam censeantur heretici?</i> | ibid. |
| Q. 5. | <i>An ritus infidelium tolerari possint?</i> | 236 |
| Q. 6. | <i>Quid de libris hereticorum?</i> | ibid. |

SECTIO II.

De Spē.

- | | | |
|-------|--|-----|
| Q. 1. | <i>Quid sit spes? & an Christiani teneantur ex præcepto actum spēi elicere, & quoties?</i> | 238 |
| Q. 2. | <i>Quae sint vitia spēi opposita?</i> | 239 |
| Q. 3. | <i>Quae sint potissima ad spēm concipiendam, abjectiandamque desperationem incitamenta?</i> | 240 |

SECTIO III.

De Charitate.

CAPUT I.

De Dilectione Dei.

- | | | |
|-------|--|-----|
| Q. 1. | <i>An detur speciale præceptum amoris Dei?</i> | 241 |
| Q. 2. | <i>Quoties teneamur elicere actum amoris?</i> | 242 |

CAPUT II.

De Dilectione Proximi.

ARTICULUS I.

De dilectione Proximi secundum seipsum.

- | | | |
|-------|--|-------|
| Q. 1. | <i>An teneamur proximum diligere amore interno, & affectivo?</i> | 244 |
| Q. 2. | <i>Quomodo proximum sicut nos ipsos diligere teneamur?</i> | ibid. |
| Q. 3. | <i>Qui sunt fraternæ charitatis characteres?</i> | 245 |

- Q. 4. Quæ sint officia fraternæ charitatis? 246
 Q. 5. An ordo in charitate servari debeat? 247
 Q. 6. An proximo spiritualem extremam necessitatem patienti, subvenire teneamur, etiam cum certo mortis periculo? ibid.

ARTICULUS II.

De Dilectione inimicorum.

- Q. 1. An ex præcepto charitatis teneamur inimicos diligere? 248
 Q. 2. An omnis dilectio inimicorum sit de necessitate charitatis? 249
 Q. 3. An teneamur aliqua signa dilectionis inimicis exhibere? ibid.
 Q. 4. An teneamur signa benevolentie inimico veniam petenti exhibere? 251
 Q. 5. An teneamur inimico actionem juridicam remittere? ibid.

ARTICULUS III.

De Beneficentia, & Eleemosyna.

- Q. 1. Beneficentia in quos, & quo ordine exercenda sit? 253
 Q. 2. An teneatur homo ex præcepto charitatis eleemosynam erogare? 254
 Q. 3. Quæ sint motiva incitantia ad eleemosynam erogandam? 256
 Q. 4. Quibus eroganda sit eleemosyna? ibid.
 Q. 5. Quæ sint conditiones Christianæ eleemosynæ? 257
 Q. 6. An Monachus facere eleemosynas possit? 258
 Q. 7. An uxor possit aliquid in eleemosynas erogare? 259
 Q. 8. Quid de eleemosyna filiorum familias? 260
 Q. 9. An famuli, & ancillæ eleemosynam dare queant? ibid.

AR-

ARTICULUS IV.

De Correctione fraterna.

- Q. 1. Estne præceptum de correctione fraterna facienda? 261
 Q. 2. An subditi teneantur Prælatos corripere? ibid.
 Q. 3. An peccet peccator officium fraternæ correctionis alteri impendens? 262
 Q. 4. An peccet mortaliter, qui non corripit lethaliter peccantem? ibid.
 Q. 5. An secreta admonitio denunciationi præmitti necessario debeat? 264
 Q. 6. An subditus possit Prælato denunciare peccatum occultum fratris prius, quam testes adhibeat? 266
 Q. 7. An Prælatus possit præcipere subditis, ut revealent certorum criminum reos? 267
 Q. 8. Quomodo facienda sit correctio fraterna? ibid.

C A P U T III.

De scandalô.

- Q. 1. Quid sit scandalum, & quotuplex? 168
 Q. 2. An scandalum activum sit peccatum mortale? 270
 Q. 3. An sufficiat virtualis intentio ruinæ proximi, ut quis scandali sit reus? ibid.
 Q. 4. An peccet peccato scandali, qui actionem speciem mali præferentem coram aliis facit? 271
 Q. 5. An qui præcipit alteri malum, quod is paratus est facere, peccet peccato scandali? ibid.
 Q. 6. An mulieres se ornantes, peccent peccato scandali? 272
 Q. 7. An mulieres absque scandalô possint fucis vultum adulterare, aut capillos fingere? 273
 Q. 8. An scandalî reatum incurvant, qui utuntur ueste alterius sexus? & quid de larvaris hominibus, vel mulieribus? 274

- Q. 9. An scandali rei sint, qui novas illiciti ornatus, & vestimentum formas excogitant, vel conficiunt? 275
 Q. 10. Quid de factoribus, & venditoribus fucorum, & alearum? 276
 Q. 11. An histriones, & mimi scandali sint rei? ibid.
 Q. 12. Utrum scandali sint rei, qui domos præstant ad ludendum, vel meretricibus locant? 278
 Q. 13. An bona spiritualia, vel temporalia omitti debent ad vitandum aliorum scandalum? ibid.

T R A C T A T U S II.

De Virtutibus Cardinalibus, iisque adnexis.

S E C T I O I .

De Prudentia.

- Q. 1. Quid sit prudentia? & quæ ejus species, & officia? 282
 Q. 2. Quæ sint partes integrantes prudentiae? 283
 Q. 3. Quæ sint virtus opposita prudentiae? 284

S E C T I O II.

De Justitia in genere.

C A P U T I .

De Justitia, & Jure secundum se.

- Q. 1. Quid sit justitia? & quotplex? 287
 Q. 2. Quid, & quotplex sit jus? 288
 Q. 3. Quid sit discriminis inter jus in re, & jus ad rem? 289
 Q. 4. An jus in re, vel ad rem prius acquisitum comprehendatur sub revocatione, si gratia antea concessa revocetur? 290

Q. 5.

CAPITUM, ET QUÆSTIONUM. 521

- Q. 5. Quæ sit differentia inter jus naturale, & positivum. 291

C A P U T II.

De Dominio.

§. I.

De Dominio secundum se.

- | | |
|---|-------|
| Q. 1. Quid sit dominium? & quotuplex? | ibid. |
| Q. 2. Quid sit ususfructus? | 293 |
| Q. 3. Quomodo acquiratur, vel finiatur ususfructus? | 295 |
| Q. 4. Quid sit nudus usus? | ibid. |

§. II.

De Possessione, & Servitute.

- | | |
|---|-------|
| Q. 1. Quid, & quotuplex sit possessio? | 296 |
| Q. 2. Quot modis acquiratur possessio? | 297 |
| Q. 3. Quæ sint privilegia possessionis? | ibid. |
| Q. 4. Quid sit servitus, & quotuplex? | ibid. |

§. III.

De obiecto Dominii, ejusque subiecto.

- | | |
|--|-------|
| Q. 1. Quæ res cadant sub dominio hominis? | 298 |
| Q. 2. Cuinam competit habere dominium? | 300 |
| Q. 3. An mancipia sint domini saltet alicujus generis bonorum? | ibid. |
| Q. 4. Filii familias quorum bonorum dominium habeant? | 301 |
| Q. 5. Ad quæ bona se extendat dominium uxorum? | 302 |
| Q. 6. An Religiosi sint capaces dominii? | 303 |
| Q. 7. An bona Ecclesiastica possint alienari? | 304 |

§. IV.

§. IV.

De modis acquirendi dominium rerum, quæ suum habent dominum.

- | | |
|---|-----|
| Q. 1. <i>Quomodo fiat translatio dominii?</i> | 309 |
| Q. 2. <i>An sint alii modi acquirendi dominium rei, quæ suum habet dominum?</i> | 310 |

§. V.

De modis acquirendi dominium rerum, quæ nullum habent dominum.

- | | |
|--|-------|
| Q. 1. <i>Quomodo acquiritur dominium animalium?</i> | 313 |
| Q. 2. <i>An licita sit venatio, aucupatio, aut piscatio in publicis locis?</i> | ibid. |
| Q. 3. <i>Ad quem pertinet dominium sylvarum, monitium, & pascuorum?</i> | 314 |
| Q. 4. <i>Quid de bonis derelictis, aut vacantibus?</i> | 315 |
| Q. 5. <i>Cujus sint res inventæ?</i> | 316 |
| Q. 6. <i>Thefauri ad quos pertineant?</i> | 317 |

§. VI.

De Praescriptione.

- | | |
|--|-------|
| Q. 1. <i>Quid sit præscriptio?</i> | 319 |
| Q. 2. <i>Quæ conditiones requirantur ad præscribendum?</i> | ibid. |
| Q. 3. <i>An præscriptione transferatur dominium?</i> | 322 |
| Q. 4. <i>An possessor dubiæ fidei præscribere valeat?</i> | ib. |
| Q. 5. <i>An ignorantia præscriptioni obfit?</i> | 323 |

S E C T I O III.

De actu Justitiae in genere, seu de Judicio.

- Q. 1. *Quid, & quotuplex sit judicium?* 323
 Q. 2. *An peccet Judex, si existens in peccato mortali, alios judicet?* 324
 Q. 3. *An judicium temerarium, & prava opinio, vel suspicio de proximo sint peccata lethalia?* ibid.
 Q. 4. *Quæ materia censeatur gravis respectu judicii temerarii, vel suspicionis?* 325
 Q. 5. *Quæ indicia censeantur gravia, ne judicium sit temerarium?* 326
 Q. 6. *An idem dicendum sit de judicio rerum, & personarum?* 327
 Q. 7. *An dubia indicia in meliorem partem interpretari debeamus?* 328

S E C T I O IV.

De Restitutione.

C A P U T I.

De natura, & necessitate restitutionis, ac multiplici titulo, unde oritur obligatio restituendi.

- Q. 1. *Quid sit restitutio? & quomodo differat a satisfactione?* 329
 Q. 2. *An restitutio sit necessaria ad salutem?* 330
 Q. 3. *An præceptum restitutionis sit affirmativum, vel negativum?* 331
 Q. 4. *Quot sint principia, seu tituli, & radices restitutio-*
nis? 332

C A P U T II.

*De personis restitutiōni obnoxīis ex re accepta,
vel iūsta acceptiōne.*

§. I.

De possessore bonae fidei.

- | | |
|---|-----|
| Q. 1. <i>Quis ille sit? & qua ratione teneatur restituere?</i> | 333 |
| Q. 2. <i>An possessor bonae fidei teneatur restituere fructus
rei bona fide possesse?</i> | 334 |
| Q. 3. <i>Qua ratione expensæ deduci debeant?</i> | 335 |

§. II.

De possessore malefidei.

- | | |
|--|-----|
| Q. 1. <i>Ad quid teneatur malefidei possessor?</i> | 336 |
| Q. 2. <i>In quo statu res aliena restitui debeat ab iūsto
possessore?</i> | 337 |
| Q. 3. <i>Quid, si quis a principio malefidei possessor,
postea bonae fidei possessor fiat?</i> | 338 |

§. III.

De possessore dubiae fidei.

- | | |
|--|-----|
| Q. <i>Quis ille sit? & quando teneatur restituere?</i> | 339 |
|--|-----|

§. IV.

De emptore bonae, & malefidei.

- | | |
|--|-----|
| Q. <i>Ad quid teneatur emptor bona, vel malefidei?</i> | 340 |
|--|-----|

C A -

C A P U T III.

*De injusta actione, sive omissione, ex quibus
restitutionis obligatio oritur.*

- Q. 1. *Quotuplex sit culpa, qua restituendi debitum parit?* 341
 Q. 2. *An qui damnum intulit alteri absque omni prorsus culpa, ad restitutionem teneatur?* 343
 Q. 3. *Qua ex culpa juridica teneatur quis lege restitutio-*
nis, ratione contractus? 344
 Q. 4. *Quando quis lege restitutionis teneatur ratione*
quasi contractus, sive officii? 345
 Q. 5. *An illicite accepta ob turpem causam, restituui*
debeant? 349
 Q. 6. *An ex injusta boni alteri ob venturi interceptione,*
& impeditione, restituendi oritur obligatio? 351

C A P U T IV.

De personis restitutioni obnoxiiis ex damno alterius,
cui sunt efficaciter cooperatæ.

- Q. 1. *Quot modis cooperari quis possit injuste alterius*
damno? 353
 Q. 2. *Quinava comprehendantur sub recensitis modis,*
quibus potest quis damno alterius injuste coo-
perari? 356
 Q. 3. *Cooperantes damno alterius, quo ordine tenean-*
tur restituere? 360
 Q. 4. *Quid fit teneri in solidum? quinque obligentur*
restituere in solidum? 261

C A P U T V.

De iis, quibus restitutio fieri debet, & de ordinis
servando inter ipsos.

- Q. 1. *Restitutio cui facienda sit?* 362
 Q. 2.

- Q. 2. *Cui facienda sit restitutio, cum dominus, ejusque hæredes sunt ignoti?* 363
 Q. 3. *Quo facienda sit restitutio, & cujus expensis?* 364
 Q. 4. *Cujus periculo facienda sit restitutio?* 365
 Q. 5. *Qui ordo servandus sit inter creditores, quibus restitutio facienda est?* 366

C A P U T VI.

De causis, ob quas omitti, aut differri potest restitutio.

- Q. 1. *An condonatio creditoris a restitutione excusat?* 371
 Q. 2. *An impotentia excusat a restitutione?* 373
 Q. 3. *An qui restituere non potest, teneatur credere bonis?* 376
 Q. 4. *An præscriptio restituendi obligationem perimat?* ibid.

S E C T I O V.

De Contracionibus in genere.

C A P U T I.

De natura, & divisione Contractus.

- Q. 1. *Quid sit contractus?* 377
 Q. 2. *Quotuplex sit contractus?* ibid.

C A P U T II.

De obligatione, que oritur ex contractibus.

- Q. 1. *An omnis contractus obligationem pariat?* 380
 Q. 2. *An fidei contrabens teneatur stare contractui?* 381
 Q. 3. *An valeat contractus initus per dolum, vel errorum?* 382
 Q. 4. *An metus irritet contractus?* 384
 Q. 5. 385

CAPITUM, ET QUÆSTIONUM. 527

- Q. 5. An valeat contractus sine solemnitatibus a iure
præscriptis? 386
- Q. 6. An contractus invalidus fermetur juramento? ibid.

C A P U T III.

De contractibus qualificatis.

§. 1.

De contractu conditionali.

- Q. An contractus conditionalis sit validus, & quomo-
modo obliget? 389

§. II.

De contractibus sub modo, & ad causam.

- Q. 1. Quis sit contractus sub modo? & quomodo obli-
get? 392

- Q. 2. Quis sit contractus ad causam? & quam obligatio-
nem pariat? 393

§. III.

De contractibus ad demonstrationem, ad diem, & sub disjunctione.

- Q. 1. Quis sit contractus ad demonstrationem? & que
ejus obligatio? ibid.

- Q. 2. Quis sit contractus ad diem? & quomodo liget? ib.

- Q. 3. Quis sit contractus sub disjunctione, seu alter-
nativus? & que ejus obligatio? 394

C A P U T IV.

De personis, quæ possunt inire contractus.

- Q. 1. Quinam possint valide contrahere? 395

Q. 2.

- Q. 2. *An filii familias, pupilli, & minores possint validere contrahere?* 396
 Q. 3. *An filii familias, pupillis, & minoribus obligatio aliqua ex mutuo contrahatur?* 400
 Q. 4. *An uxor contrahere possit absque mariti consensu?* 401
 Q. 5. *An mulier, quae pro marito, vel alio fidejussit, solvere teneatur?* 402

C A P U T V.

De restitutione in integrum.

- Q. *Quid sit restitu*i* in integrum? & qui hoc privilegio fruantur?* 403

S E C T I O VI.

De Contractibus in specie.

C A P U T I.

De contractibus gratuitis.

A R T I C U L U S I.

De Promissione.

- Q. 1. *Quid sit promissio?* 405
 Q. 2. *An promissio gravem obligationem inducat?* 407
 Q. 3. *An simplex promissum, seu pactum uadum (ut vocant) actionem pariat?* ibid.

A R T I C U L U S II.

De Donatione.

- Q. 1. *Quid sit donatio? & quotuplex?* ibid.
 Q. 2. *Quis possit donare?* 408
 Q. 4.

CAPITUM, ET QUÆSTIONUM. 529

- | | |
|--|-------|
| Q. 3. <i>Quantum quis donare valeat?</i> | 410 |
| Q. 4. <i>An donatio revocari possit?</i> | ibid. |

ARTICULUS III.

De ultimis voluntatibus.

§. I.

De Testamentis.

- | | |
|---|-------|
| Q. 1. <i>Quid sit testamentum?</i> | 411 |
| Q. 2. <i>Quotuplex sit testamentum?</i> | 413 |
| Q. 3. <i>Quæ solemnitates requirantur ad testamenti valorem?</i> | ibid. |
| Q. 4. <i>An testamentum ad causas profanas solemnitatibus destitutum, valeat in foro conscientiæ?</i> | 416 |
| Q. 5. <i>Qui possint concedere testamenta?</i> | ibid. |
| Q. 6. <i>An liceat Clericis bona ex proventibus Ecclesiasticis parta, testamento relinquere?</i> | 417 |
| Q. 7. <i>Qui possint heredes institui?</i> | 418 |
| Q. 8. <i>An filii illegitimi possint a parentibus heredes institui?</i> | 419 |
| Q. 9. <i>Quid de filiis ex secundo thoro suscepis?</i> | 420 |
| Q. 10. <i>Ad quem spectet exequutio testamenti?</i> | 421 |
| Q. 11. <i>Quomodo exequutioni mandari debeat ultima testatoris voluntas, præsertim quoad legata pia?</i> | 422 |
| Q. 12. <i>An exequutor testamenti, qui ad certa bona pauperibus distribuenda deputatus est, ea sibi adscribere possit, si pauper sit?</i> | 423 |
| Q. 13. <i>An Religiosus exequutor possit suo Monasterio pauperi conferre, quod relictum est pauperibus?</i> | ibid. |
| Q. 14. <i>Quandonam testamenti exequutor exequi debeat voluntatem testatoris?</i> | ibid. |
| Q. 15. <i>Quomodo Parochi, & Confessarii gerere se debeant circa testamenta ab aliis conficienda?</i> | 424 |

§. II.

*De reliquis ultimis voluntatibus.**De Codicillo.*

- Q. 1.** *Quid sit Codicillus? & quæ ad ipsum requiri
rantur?* 425
De Legato?

- Q. 2.** *Quid sit legatum? quæque ejus appendices?* 426

De Fideicommisso.

- Q. 3.** *Quid sit fideicommissum?* 427

De Donatione causa mortis.

- Q. 4.** *Quid sit donatio causa mortis? & quomodo dif-
ferat ab aliis ultimis voluntatibus?* 428

C A P U T II.

De Contractibus onerosis.

T R A C T A T U S I.

De Venditione, & Emptione.

§. I.

De Venditione, & Emptione secundum se.

- Q. 1.** *Quid sit venditio? quid emptio?* 429
Q. 2. *An liceat rem vendere pluris justo pretio, vel
minoris justo pretio emere?* ibid.
Q. 3. *Quod sit justum rerum pretium?* 430
Q. 4.

CAPITUM, ET QUÆSTIONUM. 531

- Q. 4. An sit aliquis titulus, quo possit res vendi carius, quam valeat? 431
 Q. 5. An liceat merces vendere pretio majori, quam tunc valeant, cum distractabuntur? ibid.
 Q. 6. An venditio reddatur illicita ob defectum rei venditæ? 432
 Q. 7. An liceat occultare vitium rei venalis? 433
 Q. 8. An liceat marcatori, qui frumentorum, aliarumve rerum ad humanos usus necessariarum compiam brevi advehendam certo scit, id emptoribus celare, & sua frumenta, resve alias vendere currenti pretio? 434
 Q. 9. An proxeneta, cui aliquid vendendum commissum est, possit sibi retinere id, quod accedit lucri, si pluris vendat? ibid.
 Q. 10. An famuli, vel artifices in aliqua officina emere soliti, licite retinere sibi possint, quod in eorum gratiam detrahere mercator videtur de majori pretio, quo res similis in alia officina venditur? 435
 Q. 11. Quid de iis, qui pondera, vel mensuras adulterant? ibid.

§. II.

De pactis, quæ adjici solent contractu emptionis,
& venditionis.

- Q. 1. An licitus sit contractus venditionis cum pacto retrovendendi? 436
 Q. 2. An contractus Mohatra sit licitus? ibid.
 Q. 3. Quid de pacto legis commissoriæ, & de pacto adjectionis in diem? 437

§. III.

De Monopoliis.

- Q. Quid sit Monopolium? & an fieri licite possit? 438
 L 1 z AR-

ARTICULUS II.

De Mutuo & Usura.

- Q. 1. Quid sit mutuum? 439
 Q. 2. Quid sit usura? ibid.
 Q. 3. Num omnis usura prohibita sit? & quo jure? 440
 Q. 4. An liceat aliquando mutuum fœneratitium accipere? 441
 Q. 5. Qui sint justi tituli, ut aliquid ultra sortem absque usura exigatur? ibid.
 Q. 6. An ratione periculi in mutuo aliquid exigi possit ultra sortem? 446
 Q. 7. An sit usurarium commercium maritimum institutum in Cameris Assecurationum? ibid.
 Q. 8. An liceat pœnam conventione partium mutuo adjicere? 447
 Q. 9. An liceat pro securitate mutui pignus accipere? 448
 Q. 10. An mutuans possit percipere absque usura fructus provenientes ex pignore frugifero, quod in securitatem mutui accepit? ibid.
 Q. 11. An sit usura, rem aliquam ob dilatam solutionem carius vendere justo pretio? vel ob anticipatam solutionem minoris emere justo pretio? 450
 Q. 12. An creditor absque usuræ vicio possit debitori imponere aliquam obligationem propter mutuum? 452
 Q. 13. Ad quid usurarii teneantur? 453
 Q. 14. An restituere teneantur ii, qui usuris cooperati sunt? ibid.
 Q. 15. An Montes Pietatis in Italia, & in Belgio instituti, fœneratitii sint? 455

ARTICULUS III.

De cæteris Contractibus.

§. I.

De Censibus.

- Q. 1. *An sit licitus contractus celebrari solitus in constitutuendis annuis censibus?* 456
 Q. 2. *Quænam sit hujusmodi conditiones?* 457

§. II.

De Cambiis.

- Q. 1. *Quid, & quotuplex sit cambium?* 459
 Q. 2. *Utrum in cambio aliqua committatur usura?* ibid:

§. III.

De Contractu Societatis.

- Q. 1. *Quid sit contractus societatis? & an licite iniiri possit?* 461
 Q. 2. *An liceat animalia in societatem tradere eo pando, ut sors, sive caput semper salvum sit, nec tradenti pereat, sed accipientis, quamvis fortuito, absque socii accipientis dolo, culpare que pereat: vel ea conditione, ut aliquid praeter sortem ex fructibus animalium quotannis solvatur?* 463

§. IV.

De Contractu trino.

- Q. *An sit licitus hujusmodi contractus?* 464
 §. V.

De Locatione, & Conductione.

- Q. 1. *Quid sit locatio? quid conductio?* 465
 Q. 2. *Quæ conditiones requirantur, ut locatio sit licta?* 466

§. VI.

De Emphyteusi, Feudo, & Libello.

- Q. 1. *Quid sit Emphyteusis? & ad quid Emphyteuta teneatur?* 467
 Q. 2. *Quid sit Feudum? quid Libellus?* 468

§. VII.

De Commodo, Precario, & Deposito.

- Q. 1. *Quid sit Commodatum? quid Precarium?* ibid.
 Q. 2. *Quid sit Depositum? & quæ ejus leges?* 469

§. VIII.

De Tutela, & Cura.

- Q. 1. *Quid veniat earum nomine?* 470
 Q. 2. *Qui possint in tutores, & curatores dari?* 471
 Q. 3. *Quæ sint officia tutoris, & curatoris?* ibid.

§. IX.

De Assecurazione, Fidejussione, & Transactione.

- Q. 1. *Quid sit asseturatio? & quæ conditiones, ut iusta sit?* 472
 Q. 2. *Quid sit Fidejusso? & quæ ejus leges?* 473
 Q. 3. *Quid sit Transactio? & quæ ejus vis?* ibid.

§. X.

§. X.

De Ludo, & Sponsione.

- | | |
|---|-----|
| Q. 1. <i>Quid sit ludus? & an licitus?</i> | 474 |
| Q. 2. <i>Quid sit sponsio? & quando licita?</i> | 475 |

S E C T I O . VII.

De Virtutibus Justitiae adnexis.

- | | |
|-------------------------|-----|
| Q. <i>Quot eæ sint?</i> | 475 |
|-------------------------|-----|

S E C T I O . VIII.

De Fortitudine?

- | | |
|--|-----|
| Q. 1. <i>Quid sit, quotplex, & quæ ejus officia?</i> | 479 |
| Q. 2. <i>Quæ virtutes fortitudini adjungantur?</i> | 480 |

S E C T I O . IX.

De Temperantia.

- | | |
|--|-------|
| Q. 1. <i>Quid sit, & quæ ipsi vitia opposita?</i> | 481 |
| Q. 2. <i>Quæ sint partes temperantie?</i> | 483 |
| Q. 3. <i>Quæ sint virtutes temperantie cum subiectæ, tum adjunctæ?</i> | ibid. |

A P P E N D I X.

De Jejunio Ecclesiastico.

- | | |
|--|-----|
| Q. 1. <i>Quid sit jejunium? & qui ejus finis, atque uritas?</i> | 486 |
| Q. 2. <i>An violatio jejunii Ecclesiastici sit peccatum mortale?</i> | 487 |
| Q. 3. | |

536 INDEX CAP., ET QUÆST.

- Q. 3. *Quinam dispensati sint ab observatione jejunitis Ecclesiasticis?* 488
- Q. 4. *An liceat Christianis carnes comedere die Natales Domini in Feriam sextam incidentem, aut Sabbatis post Natalem Domini usque ad Purificationem Deiparæ?* 492
- Q. 5. *An qui ex legitima causa carnes comedunt diebus jejunii, teneantur jejunare?* 493
- Q. 6. *An unica refæctio sit jejuno essentialis?* ibid.
- Q. 7. *An unica comedio compatiatur cum vespertina collatione?* 494
- Q. 8. *Quod sit refæctionis tempus diebus jejuniorum?* ibid.
- Q. 9. *An vinum, aliique liquores jejunium solvant?* 495
- Q. 10. *Quale debeat esse Christianum jejunium?* 496


A D D I T I O

Ad Appendicem de Jejunio.

497

F I N I S,











ROSELLI



ANT
518

SCARABOCCHIO